Jungwierth del.et Sc.M.

Exc. Fr.

<36635245760010

<36635245760010

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Exp. 298

Digitized by Google

FRANCISCI FABRICII

FIDES CHRISTIANA

PATRIARCHARUM AC PROPHETARUM,

Exhibita Dissertationibus novem

PHILOLOGICO-EXEGETICIS

AD

SELECTOS TEXTUS

VET. ET NOVI TESTAMENTI.

Argumenta præcipua de Testamento Isaäci, Scala & Luctatione Jacobi, Propheta sicut Mose, Rege germine Davidi suscitando, & futuro JEHOVA *justitia nostra: Magnifico ac Dominatore ex Israële, corde suo sponsuro apud Deum: tanquam Rege & Sacerdote etiam sessuro in throno, inter quem &* JEHOVAM *consilium pacis; Messia Præcone adventum suum non dilaturo post tempus statutum; Jesu Nazareni ortu ex familia Davidis &c. plenius explicantur & vendicantur.* Adjectæ sunt calci

DUÆ ORATIONES

Dictæ cùm Rectoris Academiæ munere abiret:

Prior, DE SCHOLIS PROPHETARUM.
Altera, DE SCRIBA EDOCTO IN REGNO COELORUM.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1730.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS, DIGNITATE AC MERITIS VERE SPECTATISSIMIS

QUATUORVIRIS

D. D. JOANNI VANDE POLL, J. C.
Conſulum cùm maximè Principi.

JOANNI TRIP, J. C.
Berkenrodæ &c. Domino.

JOANNI SIX, J. C.
Hillegomi, Vromadæ &c. Domino.

LEVINO GEELVINCK,
J. C. Caſtricomi &c. Domino.

Florentiſſimæ Reipublicæ Amſtelædamenſis

CONSULIBUS

&c. &c. &c.

SALUTEM AC FELICITATEM

FRANCISCUS FABRICIUS.

Digitized by Google

DEDICATIO.

QUoties amœniſſimæ regionis Velſanæ, Hollandiæ Paradiſi, recordor, (recordor autem ſæpiſſime) toties mihi cum animi mei voluptate incredibili ſubit lætiſſima illius temporis imago, quâ ætate virili ineunte, in Eccleſia ibi florentiſſima inter Amſtelædamenſes meos in prædiis ſuis auguſtiſſimis, procul negotiis urbanis, æſtivâ præcipuè tempeſtate ruſticantes, miniſterio ſacro fungi, & inter plurimos primæ dignitatis Viros, quinque nonnunquam ac ſex ſimul Conſularis faſtigii (qui honoris cumulus, in ipſa Urbe veſtra pro concione dicentibus, rariùs uno contingit tempore) numerare audi-

ditores licuit. Inter hos veſtri Parentes, clariſſimi ac nobiliſſimi Viri, hos inter Vos & ipſi eratis, tunc juvenes humaniſſimi atque optimi, nunc Viri Ampliſſimi, qui iſthôc jam curriculo ætatis ſtudio honeſto, ardore laudabili ad ea ſummorum honorum culmina enitebamini, queîs fauſtis avibus pridem conſcenſis, maximo Urbis, quin & Patriæ univerſæ emolumento, in hunc uſque diem, ſupremo humanarum rerum largiente Arbitro, inſiſtitis eaque tenetis, digniſſimi verè tantis Parentibus Filii, genuini laudatiſſimorum Majorum imitatores. Situm quidem Tibi erat, Graviſſime SIXI, paternum in vicino Hillegomenſi tractu elegantiſſimum prædium: ſed in Velſanos noſtros Te ſæpiſſime agros eliciebat, iſthic Te detinebat virgo lectiſſima ex celebratiſſima KALKOENIORUM gente, tunc tuus amor, pòſt multos per annos, dulciſſima vitæ tuæ ſocia, deliciæ unicæ. Quamvis

DEDICATIO.

TE, Nobiliſſime POLLI, Conſulum cùm maximè Princeps, ante quadraginta jam annos, & ultra; TE etiam, Amiciſſime TRIPPI, (rarâ enimvero humanæ ſortis conſtantia) per undecim, & quod excurrit, luſtra familiarius uti, frui datum fuerit. VOS, Viri Ampliſſimi, ſociatâ operâ, uti Sacris in cœtu Eccleſiaſtico ſanctè ac caſtè moderandis, ſic humanioribus ſtudiis, cùm in Scholis inferioribus, tum in Illuſtri Athenæo ſapienter ordinandis, præſidentes, & Eccleſiam & rem unà literariam ſollicitâ ſemper cura fovetis atque tuemini. Neque TU id ſolùm in ampliſſima Urbe, orbis emporio, dudum præſtas, Splendidiſſime TRIPPI, ſed & in Civitatis Batavæ Schola primaria, in hac Hollandiæ Academia celebratiſſima idem agis, ex quo ante biennium ferme almæ noſtræ Matris cum omnium bonorum applauſu ab iis, penes quos ſumma apud nos eſt publicæ rei poteſtas, Tutor atque Curator

rator fuiſti datus. Ego TE ergo, ô levamen & meum dulce decus! ex quo olim CHRISTOLOGIÆ NOACHICÆ & ABRAHAMICÆ Dedicatione a me ante duos annos, & quod ſupereſt, ſpectatiſſimo nomini tuo inſcriptâ, Amicum ac Fautorem & antiquiſſimum & conſtantiſſimum compellabam, nunc & meum, & ſtudiorum meorum Inſpectorem atque Arbitrum exultans ſaluto, & libens lubensque veneror. VOBIS autem, Ampliſſimi QUATUORVIRI, Amſtelædamenſis ego, in veſtra illa Urbe natus non tantùm, ſed & educatus, literis, quibus ætas puerilis informari ſolet, imbutus, poſt Academica dein hic Leidæ luſtri ſpatio confecta ſtudia, Muſis patriis per ſequens denuo biennium redditus, atque ſolus in toto hoc celeberrimorum Profeſſorum Ordine ampliſſimo non civis veſter duntaxat, quod mihi cum Clariſſimo Ooſterdicio commune eſt, ſed & Scholæ apud Vos utriusque diſcipu-

cipulus, inter principes veſtros exinde Viros in Eccleſiæ Velſanæ miniſterio per novennium fere verſatus, ad idem denique munus in ipſa illa Urbe veſtra ante annos triginta duos deſideratus, VOBIS, inquam, tot ego nominibus devinctus, meum eſſe putavi, ut qualecunque hoc, publicum certè, obſervantiæ meæ in VOS monumentum exſtaret. Jubet hoc priva Veſtrûm erga me benevolentia: poſcit id ſplendor, quô in Republica præfulgetis: denique beneficentia prolixa, quâ Vos per Urbem & Orbem, per Orientem & Occidentem, rem ſacram & civilem complectimini atque tutamini, id, & multò majora merentur. Utinam meritis veſtris debitas ego grates, & publico & meo nomine ſolvere poſſim! Nunc, quod ſolùm potis ſum, tenui opuſculo memoriam aliquam veſtrorum decorum ſeros ad Nepotes inſcribo, hoc unum etiam atque etiam rogans, velitis, VIRI Spectatiſſimi, hoc quicquid

eſt

eſt muneris literarii, quod a me VOBIS dedicatur animo lubenti gratoque, vultu excipere placato ſerenoque. De quo tamen inſtituti mei fortuna dubitare vetant illinc veſtra pietas, hinc ipſum opuſculi argumentum ſacrum, quo Vobis PATRIARCHARUM ac PROPHETARUM in CHRISTUM FIDES, in quem & Vos creditis ipſi, quemque religiosè colitis, repræſentatur atque offertur: quo ſanè argumenti genere Magiſtratui verè Chriſtiano nullum aliud carius, nullum aliud dulcius eſſe poteſt. Propter hunc, qui Vobis hic ſiſtitur, CHRISTUM, quique voce ac ſcripto, & in Eccleſia, & Academia, ceu UNICUM AC PERPETUUM ECCLESIÆ FUNDAMENTUM, unicè ac perpetuò, & Naziræis diſciplinæ noſtræ commiſſis, & Chriſtiano curæ noſtræ mandato populo, a me commendatur atque infigitur, uti ſperare auſim, VOS, qui a longa annorum ſerie

veſtrâ me honoraſtis amicitia ac favore, ſeneſcentem ſeneſcentes non deſtituros, ita ego genua mea flectam ad Deum, & Patrem Domini noſtri JESU CHRISTI, ut VOBIS, CONSULES SPLENDIDISSIMI, largiatur, quò Urbis veſtræ, Eccleſiæ, rei Literariæ, atque adeo Patriæ univerſæ dignitati ac commodis diu inſervire queatis, valetudinem proſperam, vegetam ſenectam, ſerum mortis articulum, quô tandem vitæ honorumque ſaturi piè ac placidè defuncti conſequamini finem noſtræ in illum CHRISTUM fidei, ſalutem animarum! Faxit qui unus poteſt! Votum nuncupabam Lugduni in Batavis a. d. 27. Aprilis 1730.

BENE-

PRÆFATIO

AD

LECTOREM BENEVOLUM.

Quod Horatius Sermon. L. 1. Eclog. 3. Verſ. 1.

Omnibus hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injuſſi nunquam deſiſtant. ——

Idem ſæpe vitium in illis, qui libros ſcribunt, obſervare licet: idem &, ne longè abeam, in me ipſo forſan nonnulli notabunt. Ille ego, qui olim non cogitâram me in publicum proditurum unquam, quod tardus etiam, & non niſi quinquagenario jam major, ob rationes in Præfatione ante Librum primum DE CHRISTO UNICO AC PERPETUO ECCLESIÆ FUNDAMENTO *traditas, auſus fui. Deinceps tamen haud prorſus infelici primi conaminis exitu illectus, iterum* MELCHIZEDECUM *edidi. Quibus porro ante biennium* CHRISTOLOGIAM NOACHICAM & ABRAHAMICAM *addidi. Omnibus autem nunc* FIDEM CHRISTIANAM PATRIARCHARUM *ac* PROPHETARUM *etiam adjicio. Omnes hi conatus noſtri in id unum exeunt, ut quod ab initio mihi conſtitueram, & repetita quavis occaſione ore ac ſcripto profiteri ſoleo,* CHRISTUM ECCLESIÆ FUNDAMENTUM UNICUM AC PERPETUUM *demonſtrarem. Hoc enim in volumine* Primo *Diſſertationibus quatuordecim ſelectis demonſtravi in credentibus antediluvianis, Adamo, Eva, Setho, Enocho &c. Hoc in* Secundo *in poſt-diluvianis Noacho & Abrahamo Diſſertationibus duodecim. Hoc iterum in hoc* Tertio *demonſtraturus in Patriarchis, nec non hos deinceps ſecutis Prophetis, ſeptem cùm maximè Diſſertationibus, hoc quidem ordine ſeſe ſequentibus, inſtituo. Demonſtrata* ABRA-

HAMI *in* CHRISTUM *fide*, *cujus* ISAACUS *fuerat hæres*, *explico teſtamentariam* Benedictionem Iſaäci in filios ſuos *ex* Gen. 27: 1. ſeqq. & Hebr. 11: 20. *Exinde* JACOBUM, *fidei avitæ & paternæ hæredem ſiſto. Hæc repræſento ex* Gen. 28: 10–19. *ubi de* SCALA; & Cap. 32: 24–30. *ubi de* LUCTATIONE *Jacobi. Atque ſic claudo* FIDEI PATRIARCHARUM CHRISTIANÆ *ſub meræ* Promiſſionis *œconomia hiſtoriam.*

Exinde ad PROPHETAS *tranſeo ſub œconomia* Legali. *Incipio a* MOSE, *Propheta illo magno, qui, ne Iſraël ad Tabernaculum & miniſterium Levitĭcum Promiſſione omiſſâ adhæreſceret, alium ſe majorem Doctorem & Interpretem Iſraëli univerſo ſolenniter admodum commendavit. Huc facit interpretatio* Deut. 18: 15. *Tranſeo ad* JEREMIAM *ſub Templo etiamnum primo, ſed ad finem jam vergente gloriâ cùm* Sacerdotii Levitici *ex parte, tum* Regni Davidici *in totum, qui eundem* CHRISTUM *ad prius damnum compenſandum non tantùm promiſit* GERMEN JUSTUM, *ſed futurum &* REGEM, *&* JEHOVAM JUSTITIAM NOSTRAM, *id eſt, Sacerdotem omnibus aliis excellentiorem. Huc tendit locus tractatus ex* Jerem. 23: 5, 6. *Sed & promiſſionem illam repetiit atque explicuit, ipſis fundamentis & Regni iſtius, ac Sacerdotii Chriſti,* glorioſa ortu Dominatoris *hujus, &* appropinquatione *ejus* ſponſoriâ, *ſimul explanatis. Id verò adſtruximus ex* Jerem. 30: 21. *Inde ad* ZACHARIAM *pergo, qui ſub miſeris ſecundi Templi initiis, inter ſingultus lachrymasque ſenum, vix tenuem priſtini ſplendoris, Zerubbabele Duce, & Joſuâ Sacerdote magno, umbram agnoſcentium, oculos animosque Iſraëlis ab umbratico illo qualicumque Regno ac Sacerdotio avertit in illud* GERMEN, *Jeremiæ olim etiam memoratum, ædificaturumque Tertium & verum illud* Templum Domini: *dum in ipſo* JEHOVÆ aſſidens throno gloriam *Regni ac Sacerdotii priſtinam non inſtaurat tantùm Iſraëli, verùm & in immenſum auget* conſilio pacis *æterno nixus. Hæc enarravimus ex* Zach. 6: 12, 13. *Atque ſic* CHRISTO *tanquam unico an-*

te-

te-diluvianorum, poſt-diluvianorum, Patriarcharum, Prophetarumque ſub Tabernaculo, Templo primo ac ſecundo, FUNDAMENTO *palam exhibito, amandamus porro Lectorem ad* JESUM, *qui ſit ille* CHRISTUS hodie, & heri, idem in ſeculum.

In his verò Diſſertationibus nunc publicandis, quarum nonnullæ Juvenum noſtrorum exercitiis ante quatuor jam ferme luſtra Academicis inſervierant, eâdem, quâ olim, uſus fui libertate augendi, delendi, tranſponendi, mutandi, quam in prioribus Præfationibus ſatis expoſitam hic non repeto. Hoc moneo me in harum nonnullis, quales illæ ad Deut. 18: 15. Jerem. 23: 5, 6. *&* 30: 21. *uſum eſſe methodo, ut vocant,* Deliberativâ, *quæ primùm in* ſenſum literalem Prophetiæ *inquirit ſimpliciter; mox in* ſenſum Theologicum, *ex* detecto ſubjecto *demum emanantem; denique in* Implementum : *in eo maximè differens a Methodo* Affirmativa, *ſeu* Confirmativa, *quòd mox hæc ab initio Subjectum indicet, ac rationibus demonſtret, ut illi Prædicata ſubinde, tandem & Implementum abſque ambagibus fixo greſſu accommodet. Hæc procul dubio clarior, intellectu facilior, & concioni Eccleſiaſticæ, cui multi rudiores interſunt, longè utilior eſt. Hac etiam Jeſus ut plurimum, hac uſi ſunt Apoſtoli in ſuis ad populum de locis propheticis ſermonibus: eô tantùm diſcrimine, quod* ſubjectum orationis *haud pari, qua hodie utimur, curâ demonſtrent, cùm, quia infallibiles ipſi, eorum itaque auctoritas ipſius S. Spiritus dictamen erat; tum, quia multarum, quas in cauſa Jeſu allegabant, prophetiarum* ſubjectum Meſſias, *apud omnes in confeſſo erat. Adeo ut omnis modò difficultas verteretur in implemento, num in Jeſu noſtro illud rectè inveniri poſſet. Neque tamen prorſus methodo* Deliberativâ *abſtinuiſſe cenſendi ſunt Apoſtoli. Ubi enim rem habebant cum adverſariis, & corde obduratis Judæis, locum aliquem ad Meſſiam, atque Jeſum proinde ſpectare jam fortè aut negantibus, aut negaturis, ut felicius de auditoribus triumpharent, a primis incipientes principiis, pergebant per modum* Demonſtrationis, ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, 1

Cor. 2: 4. *atque* declaratione veritatis ſe commendantes apud omnem hominum conſcientiam, 2 Cor. 4: 2. *Quem in finem, uti illos, etſi non ornato, ordinato tamen, & orationis partes multa cum arte decurrente dicendi genere uſos, pluribus in meo* Oratore Sacro, *& peculiaribus porro huc ſpectantibus* Diſſertationibus *publici juris factis, aliàs ex profeſſo docui: ita eodem ſcopo methodum nonnunquam* Deliberativam *adhibuiſſe, exemplo uno alteroque nunc oſtendam. Petrus concione ea Pentecoſtali* Act. 2: 14. & ſeqq. *probaturus Meſſiam debuiſſe mori ac reſurgere,* Pſalmum decimum ſextum *adducit, de quodam, quem diſertè non nominat, loquentem tanquam a* JEHOVA non derelinquendo in ſepulchro, *ſed reſuſcitando* antequam videat corruptionem, *& mox* exhilarando apud Dei dextram. *Hic Petrus de* ſubjecto *primùm* deliberat, *ſitne illud* David; *cujus nomen Pſalmo præfixum eſt? & ſi* David, Davidne *jam* typicus *ille, an* antitypicus, *ſive Meſſias, eodem nomine Judæis ſatis ex prophetiis cognitus? Comparat autem utrumque illum Davidem diſtinctè cum utroque illo prædicato,* κατ' ἄρσιν *primò;* μοχ ᾧ θέσιν, *eò tantùm diſcrimine, quod apud poſterius prædicatum eleganti inverſione utatur. Sic ergo probat primò* κατ' ἄρσιν *Davidi antiquo prædicatum prius, utpote mortuo &* corrupto *non competere, uti ejus* ſepulchrum, *&* illa adhuc ætate, *inter Judæos exſtabat. Deinde* ᾧ θέσιν *adſtruit dictum hoc omnino pertinere ad Meſſiam, & in* Jeſu Nazareno, quem crucifixerant Judæi, *ipſiusque reſurrectione ſuam nunc habere veritatem plenam ac certiſſimam. Vid.* verſ. 22–32. *Mox probat etiam ſecundo loco, neque alterum prædicatum antiquo Davidi aptari poſſe; Deum enim juxta* Pſalm. 110: 1. *non* Davidem, *ſed* Jeſum, Davidis Dominum, *in cœlo collocaſſe* ad dextram ſuam verſ. 33–35. *Ex quibus denique eam conficit concluſionem* verſ. 36. Deum *ergo* hunc Jeſum feciſſe Dominum ac Chriſtum: *id quod contra Judæorum, Jeſum ob hanc ipſam profeſſionem diris devoventium, ei probandum erat. Eodem ferme modo procedit Paulus* Act. 13: 35, 36. *demonſtraturus ex eodem* Pſalm. 16. *Chriſtum, adeoque Jeſum reſuſcitari debuiſſe.*

Pa-

Pariter ex Pſalm. 95: 11. *Hebræis commendaturus* Sabbathiſmum *Novi Teſt. deliberativè arguit, qui in Pſalmo de* requie *exſtat, ſermonem eſſe, non de* requie *illa in* terra Canaänis, *in quam Iſraëlitas olim introduxerat Joſua Dux, ſed de* alia requie, *quam tempore Davidis nondum ingreſſi erant. Arguit autem ex eo, quod* prior illa *diu jam ante Davidis tempora adducta eſſet poſſeſſaque, de qua ergo, ut adhuc danda deinceps, non potuerit loqui Regius Pſaltes. Ex quibus colligit iſtic ergo loci agi de* requie populo Dei adhuc reliqua: *atque hanc eſſe ipſam illam, quam ipſis commendabat,* Novi Teſtamenti requiem: Hebr. 4: 9–11. *Verùm harum quædam monui etiam in limine Diſſertationis ad* Zach. 6: 12, 13. *& methodi hujus leges omnes in Scholis Oratoriis & Hermeneuticis plenius traduntur. Sufficit hic oſtendiſſe alicubi me hac uſum fuiſſe non ſine præeuntibus Apoſtolis: in plerisque tamen Diſſertationibus methodum ſecutum Affirmativam.*

Porro hiſce Diſſertationibus adjeci alias duas, ad doctrinæ de JESU UNICO FUNDAMENTO *prioribus iſtis comprehenſæ defenſionem contra Judæorum cavillationes, partim de dilato ob peccata Meſſiæ adventu, cui oppoſui aſſeverationem* Hab. 2: 3. *ex analogiæ Scripturæ, & Judæorum ipſorum principiis ac traditionibus explicatam, nunquam a me hactenus in publicum editam: partim de* Jeſu noſtro non orto ex Davide, *quam refutavi Diſſertatione de* Genealogia Jeſu, *ejuſque* ex familia Davidica ortu, *& antehac editâ, nunc verò maximam partem novâ & productiori longè, atque ad confirmandum §.* LXVI. Diſſertationis *in* Jer. 23: 5, 6. *deſtinatâ.*

Omnibus denique duas Orationes addidi publicè a me habitas Academiæ deponente Recturam, de Scholis Prophetarum *alteram; alteram de* Scriba edocto in Regno cœlorum, *quia hæ ad* Diſſertationem *in* Deut. 18: 15. *ſpectare videbantur.*

Habes, Lector, ex obliquo mei conſilii hujuſque libri rationem, in qua deſinere poſſem, & forte deſinam, niſi ipſe rerum uſus me docuerit rem literariam Theologicam nondum mearum lucubrationum ſatietatem cepiſſe. Superſunt namque mihi quædam pene confecta,

plura

plura affecta, quæ ingrata prorſus non fore ſperare poſſem, iis certè quibus priora mea haud ommino diſplicent. Cùm enim in explicatione Deut. 18: 15. *plus ſemel mentionem injecerim de* Jeſu Chriſti miraculis *aliàs latius tractandi, abſonum forſan non eſſet, ſi providentiæ divinæ viſum vitam mihi vireſque protrahere, ut peculiari Tractatu ex profeſſo oſtendam* Jeſum Nazarenum *& in* Vita, *cùm privata, tum publica, quam duxit, &* Doctrina, *quam tradidit, &* Operibus, *quæ fecit &c. talem fuiſſe, qualem Meſſiam eſſe decebat. Quemadmodum neque publico diſplicitura ex principiis forſan ſperare liceret, ſi pleniora fortean adhuc quædam, & conſummatiora evulgarem, quæ vel ad Philologiam, vel Oratoriam ſacram ſpectant. Increſcit ſanè ætas, nec negotiorum moles decreſcit: id tamen ſatagendum eſt, ut donec aliquid in me ſit ingenii induſtriæve, unicè ad Salvatoris noſtri, & Naziræorum curæ noſtræ diſciplinæque commiſſorum utilitatem inſerviam, ne Deus meus ſervum ſuum otioſum inveniat: eò fine Deo ac gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti me meaque omnia commendo, nec non tuis, Chriſtiane Lector, precibus piis, quas enixè rogo: tui & ego in meis ad Deum memor futurus. His interim fruere, & multum in Chriſto vale. Dabam 28. Aprilis 1730.*

DISSER-

DISSERTATIO I.

AD GEN. 27: 1. & seqq. & HEBR. 11: 20.

Qua agitur

DE

BENEDICTIONE ISAACI IN FILIOS SUOS.

BREVIARIUM.

I. *Romissionis Abrahamicæ hæres Isaäcus.* II. *Eandem transfert in Jacobum per benedictionem suam. Cujus hic exponitur* III. A. *Natura. Benedictio erat* Paterna. IV. *At simul extraordinaria & Patriarchalis, id est,* Prophetica. V. B. *Occasio. Isaäci esus de cupediis venaticis. An ad excitandum spiritum senilem? ut multi.* VI. *Non tamen Scripturam ideo ludibrio exponentes, ut Clericus quasi metuit.* VII. *Clerici opinio.* VIII. *Non solida.* IX. C. *Æquitas. Non obstante Oraculo:* major serviet minori. *An, & quæ hic Isaäci culpa? Quæ item Rebeccæ ac Jacobi?* X. *Res ipsa certe non erat iniqua ob tres rationes, interque eas* profanitatem Isaäci. XI. *Quam non minuit* quæsitus ab ipso pœnitentiæ locus. XII. *Modus tamen rei aliquid iniqui habuit.* XIII. D. *Argumentum* ℵ. *ipsum, inque eo* 1. *Exordium.* XIV. 2. *Benedictio ipsa continens bona* naturalia *tria:* Civilia *duo: & insuper* Spiritualia. XV. *Judæis ipsis hic agnita, & recte.* XVI. *Esavi benedictio, & ea Jacobi, inter se comparatæ.* XVII. ב. *Ipsum illud, in implemento suo respectu Jacobi.* XVIII. *Respectu etiam Esavi.* XIX. *An Esavus æternum perierit.* XX. E. *Fons. Fides Isaäci ex* Hebr. 11: 20.

Non obstat enim quod Prophetica *hic sit prædictio.* XXI. *Neque quod ab intentione sua Isaäcus aberraverit Jacobo pro Esavo benedicens.* XXII. *Quia verò* benedictio ex fide *fuit, ergo spiritualia complectitur, & Jacobus typus Christi fuit.* XXIII. *Esavus exemplar, aut typus Judæorum incredulorum.* XXIV. *Verba Franc. Junii notabilia.* XXV. *Conclusio ad scopum.*

I.

Promissionis Abrahamicæ hæres Isaäcus.

AB historia ABRAHAMI ejusque CHRISTOLOGIA, post illam NOACHICAM, peculiari volumine ante tradita, lubet hanc telam ulterius pertexere, & eandem *fidem* in hos sequentibus *Patriarchis* ac *Prophetis* contemplari, adeoque ordine nunc progredi ad illam ISAACI filii Abrahami, paternarum benedictionum hæredis unici, utpote in quo uno, uti edixerat Oraculum divinum, *vocandum erat Abrahæ semen*, *Gen.* 21: 12. *semen* nempe illud, (quemadmodum latius Oraculum illud per tria seminis promissi encomia explicat Angelus JEHOVÆ *Gen.* 22: 16, 17, 18.) quod futurum esset multitudine innumerabile, victoriâ contra hostes omnes insuperabile, benedictione denique erga omnes mundi populos desiderabile atque superabundans. In quo prædicato ultimo includebatur absque dubio promissum illud *de semine mulieris* eximium, id est, Messia, *in quo* verè demum *benedicerentur omnes familiæ terræ.* Harum verò omnium promissionum Isaäcum hæredem fuisse unicum ac legitimum, Moses diligenter lectorem docere voluit ex adductis ipsius JEHOVÆ ad Isaäcum verbis, per quæ omnes illas solennem in modum ei confirmavit in duabus distinctis apparitionibus, alterâ apud Gerarem inter Philistæos *Gen.* 26: 1–5. alterâ verò in Beersheba (antiquo Abrahami domicilio *Gen.* 22: 19.) in ipsa Canaäne, *ibid. vers.* 24. Isaäcum porro istis promissionibus acceptandis fidem adhibuisse eandem, quâ eas olim quoque amplexus fuerat ipse Abrahamus pater, Moses ulterius nos docuit ex eo, quod eidem illi Deo ipsi ap-

pa-

parenti paternum ſecutus exemplum *Gen.* 12: 7, 8. *altare extruxerit*, & offerendo inſuper *nomen* JEHOVÆ *invocaverit*; ſecutis etiam mox præclaris adeo favoris divini erga Iſaäcum ſpeciminibus, ut vel penes ipſos ethnicos accolas Iſaäcus titulo inſigni ברוך יהוה / *Benedictus* JEHOVÆ per excellentiam nuncuparetur *Gen.* 26: 29.

II. Harum porro noſter Iſaäcus benedictionum filium ſuum Jacobum, mirè ita dirigente providentiâ divinâ, inſtituit hæredem in ſolidum. Quod factum pluribus a Moſe exaratum *Gen.* 27: 1. *& ſeqq.* ita in ſummam contraxit Paulus *Hebr.* 11: 20. Πίστει καὶ μελλόντων εὐλόγησεν Ἰσαὰκ τὸν Ἰακὼβ καὶ τὸν Ἠσαῦ. Inque eo breviter explicando nos ita verſabimur, ut benedictionis hujus Patriarchalis exponamus I. Naturam. II. Occaſionem. III. Æquitatem. IV. Argumentum ipſum, cum ſuo implemento. V. Denique Fontem, id eſt, fidem. *Eandem transfert in Jacobum per benedictionem ſuam. Cujus hic exponitur*

III. Hiſtoria ex Moſe nota eſt. Quandoquidem verò in eâ hic primum *benedictionis*, a parente ſolenniter in liberos collatae ante obitum, in Sacris occurrit exemplum, operæ putem pretium hic inquirere diligentius, de quali hic *benedictione* agatur. Aliae ſcilicet erant *benedictiones privatae*, quas dubiô procul ſæpius adhibuerit quiſque pius parens erga filios ſuos, tum quotidie in precibus ad Deum pro ſalute filiorum fuſis, tum in ſalutationibus ad ſingulos occurſus adhiberi olim ſolitis. Vid. ex. gr. *Ruth.* 2: 4. *Gen.* 43: 29. Aliæ verò *benedictiones* erant *ſolemnes* & *publicæ*, Dei nomine a Viris divinis pronuntiatæ: eæque aut *ordinariæ*, quales illæ erant Sacerdotibus demandatæ, de quibus eſt *Num.* 6: 24, 26. aut *extraordinariæ:* uti Regum aliquando etiam munus erat illuſtrem in modum benedictionem impertiri ſubditis ſuis: quod exemplo comprobarunt ſuo David & Salomo, 2 *Sam.* 6: 18. 1 *Chron.* 16: 2. 1 *Reg.* 8: 55. Frequentius autem Prophetarum benedictionem adprecantium vel Eccleſiæ Iſraëlis in genere, vel Regibus cæteriſque Viris honoratis in ſpecie (conf. illud Nathanis erga Davidem 2 *Sam.* 7.) & unà quoque prædicentium, quæ futura ſint ſubſecuturis

A. *Natura. Benedictio erat* Paterna.

temporibus, quorum in Sacris exempla ubivis prostant. Hæ erant benedictiones *publicæ*, quæ conjunctam habebant auctoritatem singularem, utpote ab illis institutæ, qui ad publicum a Deo vocati munus sic benedicebant iis, quorum res curare tenebantur, meritò hac ratione *majores habiti iis quibus benedicerent*: conf. *Hebr.* 7: 7.

Ab simul extraordinaria & Patriarchalis, id est, Prophetica.

IV. Ad extraordinarium illud ac solenne benedicendi ministerium refero has Isaäci nostri, uti & deinceps Jacobi, reliquorumque Patriarcharum benedictiones, qui certâ sic relatione adimplerunt simul, quod posterioribus seculis factum fuisse a Sacerdotibus, & Regibus, & Prophetis vi munerum destinatorum, modò jam vidimus. Haec enim Patriarchæ illi munera, etiamsi non vocatione & missione formali, re tamen ipsa in Ecclesia veteri, id est, in familia sua quique obibant. Patriarchæ etenim suis in familiis unà ad sacrificium collectis *Sacerdotes* erant: earumdem capita quoque erant, atque sic etiam tanquam *Reges* in eas principatum ac dominium habebant: immo &, dum familiæ suæ oracula Dei pandunt, *Prophetæ* erant, quo etiam nomine insigniuntur disertissimè omnes *Psalm.* 105: 15. uti Abrahamus primus omnium mortalium magnifico illo titulo ab ipso exornatus fuerat Deo *Gen.* 20: 7. Unde facile quivis perspicit, quod in benedictione sua illa *Patriarchali* non tantùm voverent, optarent, aut imprecarentur, sed & unà Propheticè prædicerent quid successivè & gradatim eventurum esset, non tantùm in suis familiis privatis, sed & palam in mundo, & in Ecclesia, ad seculi usque consummationem, quod proinde suam quoque semper sortitum est adimpletionem. Neque ergo mirum est, quod benedictiones a piis hisce pronunciatæ parentibus in liberos suos ante mortem, ejusdem fuerint efficaciæ, ac testamentum, quô bona sua inter hæredes dividit testator. Sic enim Paulus in hac ipsa re, quam tractamus, loquitur de *benedictione jure hæreditatis* tanquam ex testamento *Hebr.* 12: 17. Parentum verò liberis suis ante mortem benedicentium, longum nobis texuerunt catalogum e Nostris Petr. Martyr, & e Pontificiis Corn. a Lapide,

pide, ambo in *Gen.* 49: 1. *& ſeqq.* & crediderunt ipſi quoque Ethnici morientium verba præſtantiori ſpiritu fuiſſe agitata; ut horum ſententiam Cicero exhibens ſcribit, *animum hominis ad mortem appropinquantis multo eſſe diviniorem*, de *Divinat. Lib.* 1. *C.* 30. quod de Patriarchis demum noſtris veriſſimè dici potuit.

V. Antequam verò ad ipſam Iſaäci progrediamur benedictionem contemplandam, prælibanda ſunt nonnulla de *Occaſione*, per quam Iſaäcus benedictionem ſuam edere voluit, deſcripta a Moſe *Gen.* 27: 2, 3, 4. hiſce verbis: *Deinde fuit, cum ſenuiſſet Iſaäcus, & caligarent oculi ejus, adeo ut non videret, ut vocans Eſavum filium ſuum majorem, diceret ei, fili mi: atque* hic *illi, ecce me, inquit. Tum dixit* ille, *ecce nunc ſenui, non novi diem mortis meæ. Jam itaque quaeſo ſume inſtrumenta tua, pharetram tuam, & arcum tuum, exienſque in agrum venare mihi venationem. Et para mihi cupedias quemadmodum diligo; & adfer ad me ut comedam; & benedicet tibi anima mea antequam moriar.* Ecce ergo mandatum pii ſenis de præparandis ipſi ex venatione cupediis. Ecce & huic mandato additam promiſſionem benedictionis tunc Eſavo impartiendæ: quæ rerum, uti videtur, toto genere diſcrepantium tam arcta connexio adeo mira etiam videtur, ut hunc haud vulgarem in Patriarcha ſene imbecillitatem fuiſſe rati ſint bene multi. Judæi antiqui dixerunt hanc noctem Paſchatis fuiſſe, ſive fuiſſe idem anni & menſis tempus, cui deinceps Deus iſtud feſtum ſolenniter alligavit. Addunt porro dixiſſe Iſaäcum filio ſuo grandiori: *Fili mi, hæc eſt nox, in qua univerſus mundus dicit laudem, & recluduntur theſauri roris. Para mihi cupedias, ut tibi nunc benedicam.* Vid. *Pirke* R. Eliëzer. *Cap.* 32. ex verſione Guil. Henr. Vorſtii *pag.* 77. Sed hoc ſanè frivolum eſt, neque nobis rationem probabilem connexæ cum apparatu cupediarum benedictionis ullam ſuppeditat. Quid ergo dicendum? Nonne homini pio facultas eſt ex creaturis hanc illamve, cujus legitimus dominus ſit, eligendi & in cibum vertendi abſque peccato? Nonne etiam ad voluptatem decentem, in ipſa quoque ſenectute?

B. *Occaſio. Iſaäci eſus de cupediis venaticis. An ad excitandum ſpiritum ſenilem? ut multi.*

te? Nonne præterea ſapidus cibus vinumque meracius, quàm maximè faciunt ad excitandum, nec non exhilarandum homini ſpiritum? obſervante ipſo Davide in eo vini effectu benignitatis divinæ clariſſimum ſpecimen *Pſal.* 104: 15. Nempe, quemadmodum cantu aliiſque inſtrumentis Muſicis corpus hominis afficientibus, ſedatur animi ira, lenitur triſtitia, & mens affectibus quibuſcunque turbata in priſtinam reducitur quietem; ſic cibo vinoque corpus reficientibus minuitur triſtitia, fugatur mœror, novuſque ſpiritui hominis vulnerato additur vigor. Huc pertinet illud Salomonis *Prov.* 31: 6. *Date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo.* Idem autem vel præcipuè in iis, qui defecti ſunt annis, locum habet, dum ſpiritus animales fere extincti calorque naturalis frigeſcens, cibo potuque inſtaurari atque ſuſcitari debent. Quid ergo, an tales hic etiam deſiderat cupedias pius ſenex, ut ita corpore animoque exhilaratis aptius fiat divini ſpiritus ejuſque inſpirationis recipiendæ inſtrumentum, ad benedictionem rite pronunciandam, & olim futura pariter filio ſuo pronuncianda? Annuunt atque ſic inſtituunt Viri Docti cùm Veteres, tum Recentiores fere omnes.

Non tamen Scripturam ideo ludibrio exponentes, ut Clericus quaſi metuit.

VI. Hoc verò ubi ſcripſeram, incidi in *Commentar.* Celeberrimi Jo. Clerici, ita ſcribentis in *h. l. Non ita facile eſt dictu, quare Iſaäcus grati ſaporis condimenta ſibi ab filio velit parari,* ut ei benedicat; *Quid enim opus erat cibis ſapidioribus? Reſpondent Viri docti refici cibo & vino voluiſſe Iſaäcum, ut animum eo pacto recrearet, & divino ſpiritui excipiendo aptiorem redderet. Nam triſtitia, anxietas, & ejuſmodi alii affectus cum animum perturbent, tum etiam cibo, & præſertim vini potu leniri poſſunt* (*Prov.* 31: 6.) *adeoque his potuit uti Iſaäcus, ut opinantur, fugandi omnis mœroris cauſa, ut divinam inſpirationem, quæ in mœſtum hominem non cadit, excipere poſſet, & filio futura prænuntiare. Verum hoc videtur,* inquit, *niti Judaïco axiomate,* Spiritum Prophetiæ in hominem triſtem non cadere: *quod ſi verum eſſet, paucos profectò habuiſſent Prophetas, cùm pleroſque Hebræi ſceleribus ſuis*

in

in ſummas anguſtias conjecerint. Vide de ea opinione Joan Smithum *de Prophetia Cap.* VIII. Laudo argumentum hoc Viri primum: ſequens verò haud ita aptum eſt. *Deinde*, ait, *quanquam vota piorum parentum exitum ſortiri credebantur, ita volente Deo, qui ſe eorum ſoboli promiſerat benedicturum; ſemper Prophetica fuiſſe, nusquam nos docet Scriptura.* De *piis parentibus* quibuſcunque non opus eſt hic quærere. De Patriarcha hic agitur. Patriarcharum verò horum, Abrahami, Iſaäci, & Jacobi benedictiones illas fuiſſe mere Propheticas, res ipſa clariſſime docet quemvis, qui argumentum illarum cum rerum eventu comparat. Pergit verò Vir Doctus: *Hæc cum ita ſint, non dicam hominem ſobrium aptiorem eſſe excipiendis divinis inſpirationibus, quam bene pranſum; & qui contrarium cenſent profanorum hominum cavillationibus Scripturam nec-opinos exponere.* Laudo hanc Viri prudentiam ac pietatem. Nulla mihi placet opinio, nulla commentatio, nulla criſis, quæ *profanorum cavillis Scripturam exponat.* Et toto ego animo Virum doctiſſimum obteſtor, ne ſinere velit ut unquam ex ullis ipſius ſcriptis ſimile malum per profanos homines in Scripturam excitari poſſit! Videamus verò quì hunc locum Vir Clar. expediat.

VII. *Sed*, ait, *voculam* UT בעבור (bahabour) *hic non ita* Clerici opinio. *ceperim quaſi prandere ſe oportere dixerit Iſaäcus, ut filio benedicere poſſet, quod a ſobrio fieri nequiret: veroſimilius eſt incitamento eam præfigi, ut cum Iſaäco benedicendi filio dudum animus eſſet, quamvis nihil comediſſet, cuperetque is interea ferina veſci, filium ita compellavit, ut quam primum venatum iret, & optatum cibum ſibi pararet, quemadmodum paraphraſi expreſſimus.* Nimirum, paraphraſis Viri eruditi ita habet: *Iſaacus* 136. *annorum, & prae ſenectute & morbo amiſſo oculorum uſu, cum decumberet, morti propiorem multo ſe exiſtimabat eſſe, quam erat. Itaque ne forte diem ſuum obiret, antequam ſolemnia vota in primogeniti gratiam conciperet, hunc ad ſe vocat, & cum ſenio videretur defectus, neſcire ſe ait quando futurus eſſet mortis ſuæ dies, ſed haud remotum ſuſpicari: ideoque velle ſe noviſſimas preces in ejus gratiam fundere, poſtquam pranſus eſſet.*

esset. Utque affectus, quo filium prosequebatur pastu illo renovaretur, venatum illico iret, et ferinam allatam, paratamque, prout norat palato suo gratissimam, sibi apponeret, ut postea extrema parentis vota exciperet. Esavus sine mora se voluntati ejus obsequuturum respondet, captisque armis venatum egreditur &c. Mihi verò ipsum textum legenti videtur nemo, qui simplicitatem amat, dubitare posse, quin Isaäcus venationem illam, & prandium ab Esavo exigat, tanquam antecedens aliquid, quod praemitti debebat, *ut ei* tunc porro *benedicere* sive posset, sive vellet. Longè ergo petita est Viri Doctissimi commentatio. *Praeterea*, pergit, *cùm, ut observatum est ab ipso Mose Cap. 25 : 28. Isaäcus Esavum praeferret Jacobo, eâ ipsa de causa quod ferinam sibi crebro apponeret, renovari sibi fortè voluit, occasionem filio suo bene volendi cibo jucundo, ut eò alacriori animo ei bene precaretur. Hinc ubi Isaäci verba denuo iterum repetuntur, non occurrit vocula* UT, *sed conjunctio* ET. *Vide Vers. 7.*

Non solida. VIII. An postrema hæc observatio solida sit dubito. Certum est ET, sive conjunctionem ו quæ dicto *vers.* 7. exstat, Hebræis sæpissime pro UT usurpari. Certum est insuper Mosem adeo nullum discrimen inter ו & בעבור hoc loco voluisse facere, ut verba eadem repetens *vers* 19. Jacobum dicentem faciat *Ede*, בעבור UT *benedicat mihi anima tua:* & *vers.* 25. ipsum Isaäcum introducat loquentem ואכלה למען תברכך *Et edam*, UT *benedicat tibi anima mea.* Quod verò ad hanc ipsam explicationem Viri Doctissimi attinet, ut verum fatear, non multum, quod ad summam rei, hic video discriminis ab eo, quod alii illi modò dicebant Viri Docti, ex quo metuebat tamen Clar. Clericus, ne *profanorum hominum cavillationibus Scripturam nec-opini exponerent.* Etenim dum remanet istud, voluisse nempe ferinâ vesci Isaäcum, antequam benediceret, remanet etiam occasio cavillandi & inde Scripturam. Non enim quod ad cavillationem, non adeo multum differt, an Isaäcus, *ut alacriori animo Esavo bene precaretur*, ferinis illis epulis voluerit senile corpus, & per corpus animum reficere,

an

an verò voluerit occasione earum epularum in animo suo *renovare occasionem Esavo bene volendi.* Si enim *illic* tu metuas cavillatorem forsan dicturum, mirum esse Patriarcham ad actionem adeo seriam, & sanctam, pleno ventre opus habuisse; ego & *hìc* metuo, ne cavillator objiciat, mirum esse Patriarcham occasionem Esavo *bene volendi*, in actione tam sanctâ sumere voluisse ex cibo jucundo ad replendum prius ventrem appositò. Quid enim? An Isaäcus ob cibum aliquem Esavo *adeo bene volet*, ut jus primogenituræ propterea illi tribuat, cum Esavo ipsi pro maximo imputatum sit vitio, quod ille pro *cibo* idem jus Jacobo tradiderit, (*Hebr.* 12: 16.) eodem, quo vendiderat, iterum emturus pretio? Et tamen Clar. Clericus hoc dicit *observatum esse ab ipso Mose*, quod scilicet *Isaäcus Esavum prætulerit Jacobo eâ ipsa de causa, quod ferinam sibi crebro apponeret.* Quod autem ad rem ipsam attinet, non puto ego aut ex vulgari explicatione, aut ex ea Clar. Clerici. justam ullam profanis hominibus suboriri posse rationem quippiam cavillandi; quibus quidem, si ita ipsis libuerit, nulla vel hìc, vel alibi ansa deërit. Quos tamen non est ut *metuamus* propterea, ridendos potius vicissim, aut, quod Christianum magis est, deplorandos. Etenim cum Patriarchæ essent homines, humanisque obnoxii infirmitatibus, quæ justa cavillandi occasio exinde poterit arripi, quod in maximis etiam rebus administrandis aliquid etiam humani passi fuerint? Quamvis non adeo magnum in Isaäco vitium, quod amaverit Esavum, qui captare solebat parentis sui benevolentiam, accommodando sese ad ejus lubitum & desideria. Neque porro adeo mirum est, quod Isaäcus tandem solemniter benedicturus, voluerit id eò potissimum facere tempore, quo novum ipsi praeberet Esavus soliti sui erga parentis desiderìa obsequii specimina.

C. Æquitas Non obstante oraculo: Major serviet minori. An, & quae hic Isaäci culpa? Quae item Rebeccæ ac Jacobi?

IX. Sed major restat difficultas ex eo, quod Isaäcus sese parans ut benediceret Esavo, sic contrarium videatur facere voluisse ejus, quod revelatum erat *Gen.* 25: 23. nempe *majorem serviturum minori.* Qui planè eum excusare conantur, contendunt illius cum revelationis divinæ ignarum fuisse,

isse, utpote eô absente factæ uxori suæ. Verum nequaquam videtur Rebecca rem tanti ponderis marito suo celasse. Absit tamen ut cogitemus virum sanctum protervè divino hac in parte voluisse reluctari decreto. Quid igitur? Non satis videtur assecutus Oraculi mentem. Quandoquidem enim sermo institutus esset non de *duobus filiis*, sed de *duobus populis* prodituris ex Rebeccæ visceribus, additumque esset proximè, *& populus unus fortior erit populo altero*, potuit Isaäcus verba ultima, nimirum *Major serviet minori*, etiam de *populis*, sive gemellorum horum posteris, & non de ipsis hisce filiis duobus suis, intelligenda putare; adeoque primogenito suo Esavo, cui ex more competebat illud privilegium, benedicere in animum induxisse. Quæ quidem culpa aliqualis Isaäci erat, quod oraculum divinum non attentius, prout eum decebat, examinasset; nihil tamen malo hic fecit animo: quemadmodum ex eventu patuit. Simulac enim deinceps a posteriori collegit omnem hanc rem a Deo dirigente profectam esse, omnino benedictioni in Jacobum collatæ acquievit. Interim hoc mariti sui institutum comperta Rebecca, majori in filium suum Jacobum, quàm in Esavum ducta amore, eò quod hic duxisset uxores ex filiabus Chittæorum, quæ suo, & simul mariti sui Isaäci *animo*, *amaritudo* erant *Gen.* 26: 35. sine dubio insuper memor Oraculi divini, quod *minorem majori* prætulerat, *Gen.* 25: 23. forsan etiam conscia venditionis, quâ profanus Esavus primogenituræ jura in Jacobum transtulerat, *Gen.* 25: 32. 34. mavult Jacobum paternarum benedictionum hæredem facere, statuitque eum in finem astutè agere, ilico cupedias parans marito, atque per Jacobum in Esavi, quantum fieri poterat, formam mutatum, eas mittens, uti ex historia satis noest.

Res ipsa certe non erat iniqua ob tres rationes, interque eas profanitatem Isaäci.

X. In quo Rebeccæ, nec non ipsius Jacobi facto, non Esavus tantùm postea fraudem arguit, *Gen.* 27: 36. sed & pater ipse dixit *venisse Jacobum per fraudem*, *Gen.* 27: 35. Et vere: etiamsi hic Rebeccam in totum excusent nonnuli Judæi pariter ac Christiani, fatendumque revera sit rem ipsam

pſam plane fuiſſe iniquam, ſi attendamus ad haſce rationes hujus rei, quà occultas, quà palam jam tunc notas. a. Voluntas divina, juxta quam Deus liberrimus, cum ſuis agens prout ei lubet, *dilexit Jacobum, & odio habuit Iſaäcum: Mal.* 1: 2. *coll. Rom.* 9: 13. b. Oraculum ante horum gemellorum nativitatem jam a Deo editum *Gen.* 25: 23. *Major ſerviet minori.* c. Accedit ipſa juſtitia & jus æquiſſimum. Eſavus quippe erat βέβηλος, *profanus*, à βάω, & βηλὸς, *limen*, utpote cujus *limen ingredi* fas eſt cuivis, etiam qui *non ſanctus* eſt: quod Latini efferunt per *profanum*, à *porro*, ſive *procul*, & *fanum*: ut notet talem, qui *procul* eſt à *ſacris*, omnia ſusque deque habens, ipſaque ſacra tanquam communia tractans, immo hæc illis præferens: adeoque qui impurum habet animum, nullâque in Deum & divina reverentiâ ducitur. Vide de hac voce Suidæ & Martinii *Lexica*. De re autem ipſa conſtitit, vel obſervante Apoſtolo Paulo *Hebr.* 12: 16. ex eo, quod *eduliô unicô vendiderit jus primogenituræ ſuæ.* Quæ enim iſta eſt profanitas primogenituræ jura perdere malle, quam carnis voluptates palatique cupedias; atque omnes benedictiones ſpirituales minoris ducere quam ventris ſaginam? Repudiando enim τὰ πρωτοτόκια repudiabat ſimul promiſſionem Seminis benedicti, ſatis habens ſi hac in terra beatus viveret ipſe, benedictionum ſpiritualium aut futuræ vitæ parum cupidus, & nihil forſan de iis credens. Quô enim ſenſu accipies Eſavi dictum; *Abeo ad moriendum, & quorſum mihi* בכרה *ſ.* τὰ πρωτοτόκια; *verſ.* 32. niſi iſtô, quod poſt mortem nulla voluptas expectanda ipſi viſa fuerit, eamque ob rationem primogenitura, nil niſi longinquas, & aut poſt ſecula forſan, aut poſt mortem demum acquirendas oſtentans felicitates, flocci facienda? Vid. Clar. Vitringæ *Obſerv. Sacr. Lib.* 2. *Cap.* 2. *pag.* 44. & Coccejum in *Hebr.* 12: 17. cujus hic verba dabo: *Ea profanitas animi perſpecta eſt, quum vendidit primitiva ſua, ſive jus primogeniti. Qua re non tantùm ſprevit bonum temporale, ſed & ſpirituale. Primogeniti duas portiones in hæreditate habebant, fratribus præërant, iis collectis ad ſacrificium pro iis ſacrificabant. Sed hic accedebat hæreditas*

benedictionis, ad quam primogenitus aditum habebat præ fratribus, quantum per ipsam generationem fieri poterat. Illusit Esau puer aut juvenis benedictioni; Jacobus eam ambivit. Quibus Deus eam præparavit, in iis etiam amorem ejus excitat. Reprobatus fuit Esau à benedictione, quam parvi fecerat. Puerile ludicrum serium dolorem & pudorem & noxam traxit. Privavit posteros suos regno Dei. Quod Jacobo per gratiam destinatum à Deo, datum est ex fide; Esavo & posteris ejus etiam propter propriam culpam non datum. Cujus verò hæreditas illi non data est, ejus & amor ipsi datus non est. Nunquam voluit Esau cum filiis suis esse unus populus cum filiis Jacobi; nisi extremis demum temporibus, quum Edom factus est hæreditas, *juxta dictum Bileami, Num.* 24: 18. & *Amos.* 9: 12.

Quam non minuit quæstus ab ipso pœnitentiæ locus.

XI. Neque ad profanitatis tantæ suspicionem minuendam objici debet, quod teste Paulo *Hebr.* 12: 17. *Esavus posteà benedictionem hæreditario jure assequi volens, pœnitentiæ* quasi *locum quæsierit cum lachrymis.* In totâ enim ista lamentatione Esavum aut non ex animo egisse, aut saltem nil nisi corporalia, ut solebat, & non spiritualia cogitasse, vel inde patet, quod affirmante eodem Paulo, *reprobatus fuerit*; & à Deo, rem sic dirigente; & ab Isaäco, ad Dei providentiam magis seriò nunc attendente. Neque ideo benedictionem Iacobo datam revocante, sed confirmante, dum ait *Gen.* 27: 33. *Benedictus est, & benedictus erit.* Et hoc est, quod idem Paulus ait: *Non enim*, ait, *reperiebat* (Esavus) *locum μετανοίας, pœnitentiæ*, nempe apud patrem suum Isaäcum, ut *mutaret sententiam*, sive aliter *judicaret faceretque, quàm antè statuisset.* Adeo ut Paulus ne verbo quidem de ipsius Esavi *pœnitentia*, aut *resipiscentia* hic quicquam monuerit. Ista enim, quam ante dixi, vis est phraseos Græcæ, documentis citantur multa à Raphelio ex Xenophonte, Polybio, & Arriano. Ego asseram verba unius Josephi Historiographi Judæi de *vita suâ*, p. m. 999. *Edit. Genev. Conabar*, ait, *seditiosos μετανοεῖν, ad meliorem mentem reducere*, ut nempe *sententiam mutarent.* Hæc & Latinæ phraseos vis est. Audi Grotium in *h. l. Sic & Jurisconsulti Romani di-*

cunt

cunt non esse locum pœnitentiæ, *ubi non amplius in nostra est potestate id, quod actum est, rescindere.* Et Gatakerus *Adversf. Miscell. Posthum. Cap.* 29. p. m. in *fol.* 732. postquam multis disputasset μετάνοιαν Isaäci, non Esavi intelligi, ita pergit: *In quam mentem* & pœnitentiæ *vocem, & eam ipsam, quæ hic habetur, formulam usurpavit Ulpianus* J. C. Digest. l. 4. Tit. 7. de Statu Lib. leg. 3. *ubi dixit*: pœnitentiæ hæredis locum non esse. *Ubi* pœnitentia *pro* mentis, *sive* consilii mutatione *apertè ponitur.* Cùm itaque persisteret firmiter Isaäcus in iis, quæ pronunciaverat contuleratque semel, nullam habuit *pœnitentiam*, sed diserte satis Esavo, *tametsi lacrymis quærenti*, & quantum in se erat *benedictionis* qualiscunque Jacobo concessæ revocationem extorquenti, constanter renuit.

Modus tamen rei aliquid iniqui habuit,

XII. Ex hisce ergo quidem rationibus conspicitur, Rebeccam nil Jacobo quaesiviſse, nisi quod suum erat; Esavo nihil abstulisse, nisi quô indignissimus erat. Fatendum tamen simul modúm, quô illa rem exequitur, factis verbisque senem cæcutientem decipiens, utique nec bonum fuisse, nec laudandum: semper manente regulâ, *non facienda esse mala, ut inde eveniant bona.* Dei insuper causam, & eô inconsultô, ex diffidentia quadam carnali, imprudenter & audacter satis invadit, per mendacia & fraudem rapiens, quod divinæ commendandum fuerat providentiæ. Quamvis ipsa forsan putaverit nonnullas hic adesse circumstantias, quæ culpam hanc mitigarent imminuerentque. Nimirum, quod primogenituræ jus Jacobo ex supra dictis causis revera competeret, quod interim maritus, sive non rectè percepisset, sive oblivioni dedisset, sive impræsens saltem non attendisset divinum Oraculum, videretur obluctaturus divinæ dispositioni; quodque haud videretur facile ab isto suo proposito uxoris verbis revocari posse. Quapropter Rebecca forsan melius existimavit, ut hac intervenientе suâ providâ curâ, absque ulla hac in causa cum marito lite prævia, *præstitutum Dei, quod est secundum electionem*, nec non ejus promissum, *firmum maneret*, *Rom. 9: 11.* quam ut nemine inhibente, maritus in errore illo suo pergeret, Dei oraculo contrariaretur,

Jacobo revera injuriam faceret, & ipso summi Numinis nomine in vanum abuteretur benedictionem pronuntiando, quae revocari postea deberet, & rescindi, nisi ipsum Deum ad palinodiam cogere vellent. Quod de Rebecca, idem & de Jacobo notamus. Excusare eum Judæi in primis conantur, & a mendacii opprobrio suum vendicare Patriarcham, ut & inter Christianos Theodoretus, Isidorus Hispalenlis, Beda, alii. Dici etiam potest, culpam cunctam facientis ex matris voluntate ac præscripto, cui ceu filius obedire tenebatur, non adeo magnam esse, præsertim cum nihil peteret, nisi quod esset suum : egit tamen profectò sciens contra veritatem, estque locutus mendacium, quod omnino, quô etiam nomine veniat, peccatum est. De quo Jacobi astu ex professo egit Aug. Pfeifferus *Dub. Vex.* in *h. l. Centur.* 1. *Loc.* 56. Videantur etiam hac de re tota è Nostris Jo. Mercerus in *Gen.* 26. Andr. Rivetus *Exercitat.* 121. in *Genes.* Jo. Henr. Heideggerus *Hist. Patriarch. Tom.* 2. *Dissert.* 14. §. 6. *& seqq.* Ex Pontificiis verò Claud. Frassen *Disquisit. Bibl.* in *h. l. p.* 309. Natalis Alexander *Hist. Ecclesiast. Tom.* 2. in 8vo *p.* 317. *& seqq.*

D. Argumentum & ipsum, inque eo 1. *Exordium.*

XIII. His prælibatis ad ipsam pergimus benedictionem, cujus exordium prodidit tale nobis MOSES, Isaäcum nempe *osculatum filium Jacobum, & odoratum odorem vestimentorum ejus*, ei *benedixisse*, dixisseque : *Vide, odor filii mei est sicut odor agri, cui benedixit* JEHOVA. Fabulæ sunt, quas Judæi de horum vestimentorum natura tradunt, ac si hæc eadem fuissent, quæ confecerit Deus Adamo ex pellibus pecudum mactatarum, *Gen.* 3 : 21. quæque suavem illum odorem inde a Paradiso in hunc usque diem servaverint. De his plura habet Jo. Braunius de *Vestitu Hebræor.* L. 1. C. 4. §. 61. & jam notavi antè Lib. *de Christo Fundamento Ecclesiæ, Dissert.* 6. C. 2. §. 32. p. 343. Sed, ut dixi, nugæ hæ sunt. Hujus enim *odoris* causa fuit nota, quòd scilicet vulgatissimi moris esset tunc temporis, vestes suavissimis condiri odoribus, cùm, ut ita tutius a corruptione conservarentur; tùm, ut odore isthoc aromatum corroboraretur etiam hominis ce-

re-

rebrum, ac inſtaurarentur ſpiritus, calidioribus iſtis in regionibus facilius conſumi ſoliti. Hic odor ab Iſaäco adſcribitur Jacobo ipſi (*odor filii mei*, ait) & comparatur cum *odore agri, cui benedixit Dominus.* Non omnes quidem a Deo ſunt benedicti agri, contrà maledicti quidam, ſpinas qui proferunt & carduos; *terra* autem *imbibens imbrem ſæpius in ſe venientem, & progenerans herbam* &c. *benedictionis divinæ eſt particeps, Hebr. 6: 9.* non ergo mirum eſſe gratum quoque odorem a tali diſpergi agro, præcipuè germinantibus & efflorescentibus omne genus fructibus. Cum hoc porro *agri odore* conferens *odorem Jacobi*, denotat filium ſuum tanquam *benedictum a Deo*, gratum quoque futurum & fragrantem in fructibus ſpiritualibus, fidei, virtutis, pietatis ac perfectionum, quas ei affatim largiturus erat JEHOVA ipſe.

XIV. Hæc exordii quaſi locô praemiſſa excipit benedictio ipſa: in qua Iſaäcus Jacobo apprecatur bona triplicis generis; quæ vocare mihi liceat *naturalia*, *civilia*, & *ſpiritualia*. *Naturalia* nempe *verſ.* 28. quæ tria nominat. 1. *Rorem cœli*, quo deficiente in Canaäne pluvia, quotidie manè ac veſperi irrigaretur terra. Ros enim inter ſummas benedictiones recenſetur in calidis iſtis terris ficciſque. Conf. *Deut.* 33: 13. & 28. 2. *Pinguedines terræ*, ſive vim frugiferam glebae fertilis intelligas, quae alterum medium ita foret ad producendum *frumentum muſtumque*, ſive ipſos terræ fructus pingues, lac, bityrum, caſeum, oleumque. 3. *Copiam* denique *frumenti muſtique*, de quorum in vita humana uſu vid. *Pſalm.* 104: 15. Ad *Civilia* deinceps pergit *verſ.* 29. quæ ad imperium ac dominatum ſpectant, & ad duo reduci poſſunt ℵ. Primò ait in genere: *Servient tibi populi, & incurvabunt ſe tibi nationes honorem exhibentes.* His verbis indicatur omnes aliquando populos ſemini Jacobi, ſive carnali, ſive potius ſpirituali, obtemperaturos; atque ſic regiam penes illud fore majeſtatem omni rationi venerabilem. Addit deinde in ſpecie: *Eſto herus fratribus tuis, & incurvabunt ſe tibi filii matris tuæ.* Per *fratres* latius intelliguntur omnes ex patris ſui domo ac familia orituri, atque ipſi propin-

2. *Benedictio ipſa continens bona* naturalia tria Civilia *duo: & insuper* Spiritualia.

pinquitate sanguinis juncti, ex. gr. posteri Ismaëlis, Ammonis, Moabi, & ex Cetura geniti, a quibus omnibus agnosceretur Jacobus tanquam herus ac Dominus. Per *filios matris suæ* intelligitur Esavus ejusque posteri omnes: super quibus omnibus Jacobus, tantum familiæ paternæ caput, habiturus esset jus & potestatem semet gerendi tanquam primogenitum inter fratres suos. *Spiritualia* tandem adduntur, dum repetitur, quod Deus ipse in principio jam fuerat pollicitus Abrahamo, quodque nos explicuimus jam ante *Dissertat.* in *Gen.* 12: 3. *Maledicentium tibi quisque maledictus esto, & qui benedixerit tibi, esto benedictus.* De his verbis Chrysostomus *Homil.* 53. in *Genes.* ita habet: Ἡ κορωνὶς τῆς εὐλογίας, τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων τὸ εὐλογημένον εἶναι, *Coronis omnium benedictionum, summa omnium bonorum est benedictum esse.* Cujus benedictonis Abrahamo antea promissæ, uti factus erat Isaäcus hæres, sic & constituit hæredem ejusdem benedictionis excellentissimae suum Jacobum. Quam & ulterius confirmavit abituro filio in Mesopotamiam his verbis ipsi valedicens *Gen.* 28: 3. *Det tibi Deus benedictionem Abrahami.*

Judæis ipsis hic agnita, & recte.

XV. Et hujus benedictionis ultimæ spiritualem excellentiam ipsi viderunt Judæi. Ita quippe legitur in *Pirke* R. Eliëzeris *Cap.* 35. in initio: *Melior est finis orationis quam principium ejus:* (*Eccl.* 7. 9.) *Benedictiones primæ, quibus Isaäcus benedixit Jacobo, sunt de rore cœli & frumento terræ, juxta illud:* Det tibi Deus de rore cœli. (*Gen.* 27: 28.) *Benedictiones postremæ sunt fundamentum æternum, neque inest iis defectus in hoc vel futuro seculo: hinc dicitur;* Deus fortis benedicat tibi. (*Gen.* 28: 3.) *Addidit illi insuper benedictionem Abrahami, sicuti dicitur:* Det etiam tibi benedictionem Abrahami, tibi & semini tuo tecum: (*ibid. vers.* 4.) *En ut dicat:* Melior est finis orationis quàm initium ejus: np. *Eccl.* 7: 9. Et recte ita Judæos putasse patet α. Non tantùm ex formula eâ spirituali antè a nobis exposita. *Gen.* 12: 3. & hìc repetita: sed & β. Ex eo, quod quam accepit Jacobus benedictio, primogeniti benedictio erat, quæ benedictionem pa-

paternam, inde ab Abrahamo ortam complectens, eam præcipuam ergo promissionem etiam continebat, etsi hic non de novo expressam *Gen.* 27: 29. illic tamen jam memoratam, *Gen.* 12: 3. 18: 18. 22: 18. & in Isaäcum translatam *Gen.* 21: 12 & 26: 4. quod scilicet *in ipso*, seu *in ipsius semine benedicerentur omnes familiæ*, *Gen.* 21: 12. *Hoc* verò *semen erat Christus*, docente Paulo *Gal.* 3: 16. id est, fons *spiritualium benedictionum omnium Ephes.* 1: 3. γ. Adde denique, si sub benedictione Jacobi spiritualia non essent comprehensa, quâ, quæso, in re tum constitisset Jacobææ benedictionis excellentia præ Esavi illa? Debuit Jacobus experiri fratris odia sæviſſima, fugere ante ejus faciem, tot tantasque pati molestias, duram sustinere servitutem in domo Labanis noctu & interdiu, ita ut ipse fateri cogatur, *paucos & malos fuisse dies peregrinationis suæ*, *Gen.* 47: 7 & 8. & tamen ne vestigii quidem volam, sepulchrô excepto, ceu propriam accepit possiditque in terra Canaänis. Esavus contrà mox præpotens exstitit Dux, jam quadringentis stipatus armatis suis, cum quibus obviam factus est fratri Jacobo, *Gen.* 33: 6. Esavus ergo, dum Jacobus servus est, servorum jam multorum est dominus: dumque Jacobus exulem agit, jam suam habet terram, suos subditos. Et tamen benedictio Jacobi supponitur melior fuisse eâ Esavi: in quo, quæso, nisi in *Spiritualibus?*

Esavi benedictio, & ea Jacobi, inter se comparata.

XVI. Compara jam cum hisce bona Esavo addicta. Tametsi enim Esavus non tam ad historiam Ecclesiæ, nostrumque pertineat institutum, dicendum tamen verbo, quam ille, amissa benedictione optima, post multas preces lacrymasque fusas benedictionem a patre suo accipere potuerit. Eam autem ita effert Isaäcus *vers.* 40. *Ecce præpinguis soli erit habitatio tua, & rore cœli persusa superne. Et gladio tuo vives, & fratri tuo servies: erit tamen cum planxeris, ut rumpendo excutias jugum ejus e collo tuo.* In qua benedictione *tria* quidem illa audio, pinguem victum, felicia cum peregrinis bella, fraterni immo jugi excussionem olim futuram. Nihil verò in ea audio de spirituali illa & optima benedictione

Abrahami. Jacobus ergo, unà cum primogenituræ jure, 1. duplicem in hæreditate paterna recepit portionem: namque, quod a posteriori liquet, illius terra facile duplo major meliorque fuit illâ Esavi. 2. Dominatum etiam accepit in Esavi terram in semine suo. 3. Sacerdotium denique, quod velut primogeniti prærogativa tertia etiam considerari solet, sic simul Jacobo adjudicatur. Sacerdotium certè in ejus quoque familia fuit semper confirmatum; *typicum* quidem in tribu Levi, *verum* autem in illo, qui ex Judæ tribu natus *sacerdos manet in æternum Hebr.* 7: 7.

2. *Ipsum illud, in implementa suo respectu Jacobi.*

XVII. Sed operæ pretium fuerit Patriarchalis benedictionis, quod ad priores ejus prærogativas, paulò adhuc latius exhibuisse. Et quidem quod ad primam Jacobi prærogativam attinet; α. Deus posteros ejus introduxit in terram Canaänis, ceu in possessionem hæreditariam, affluentem lacte & melle; frumenti copiâ mustique: quæ *pluviam cœli imbibit aquam*; *quamque* JEHOVA *ipse curat, cujusque oculi in eam sunt jugiter intenti a principio anni, usque ad finem ejus, Deut.* 11: 10–12. quam *custodit & irrigat, Esai.* 37: 3. quæque meritò inde dicta *decus omnium regionum, Ezech.* 20: 6. *terra Immanuëlis, Esai.* 8: 8. quamvis hoc nomen & altiorem sensum habeat, præsignificetque *Deum in carne* isthac *in terra tanquam sua* ambulaturum olim: *coll. Levit.* 26: 12. cum *Joan.* 1: 14. immò & ipsius *Dei hæreditas, Exod.* 15: 17. β. Multæ etiam *iis servierunt gentes*, Deo Israëlitarum imperio non tantùm subjiciente *ipsorum fratres*, id est, sanguine junctos, Ismaëlitas nimirum, Moabitas, Ammonitas, Syrios, aliosque populos vicinos, ex Abrahamo, Lotho, aut horum consanguineis ortos; sed & *matris ipsorum filios*, Rebeccæ nempe, Esavi posteros, Edomitas puta: quod factum Davidis præcipuè ac Salomonis Regum temporibus, qui sua sceptra in istas quoque gentes extenderunt. Vid. 2 *Sam.* 8. & 1 *Chron.* 18. Adeo ut *Israëlitici imperii termini non solùm à Shichore usque ad Hamatham* (1 *Chron.* 13: 5.) *sed etiam inde usque ad Euphratem, Syriæ Zobæ limitem, sint propagati,* (2 *Sam.* 8: 3.) *qui extremi erant terræ, semini Abrahami à Deo*

pro-

promiſſæ, *termini* (*Gen.* 15: 18. *cum Deut.* 11: 24. & *Joſ.* 1: 3, 4.) *& à ſolo Davide, & filio ejus Salomone*, (1. *Reg.* 4: 21, 24. 2. *Chron.* 9: 28.) *poſſeſſi*, ſunt verba Præſulis Armachani Jac. Uſſerii in *Annal. Vet. Teſt.* ad A. M. 2960. γ. Immo & illud impletum, quod qui *Jacobi ſemini*, id eſt, Iſraëlitis, *maledicerent*, *maledicerentur:* quod ex hiſtoria Balaci & Bileami maledicentium, & maledictorum, patet *Num.* 22-25. Qui verò iis *benedicerent, & ipſi benedicerentur:* quod in Moſe benedicente, & benedicto, ſuam certè habuit veritatem: & multo adhuc illuſtrius in gentibus, cum illæ *benedicentes*, id eſt, faventes, exiſtimationem deferentes, ſeſe aggregantes vero *Abrahami ſemini*, id eſt, verè credentibus ex Iſraële, ſeu Apoſtolis, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, juxta Prophetias *Pſalm.* 47: 10. *Eſai.* 60: 1-4. *Zach.* 8: 22, 23. & ſimiles, & ipſæ benedictionis participes ſint factæ, prout Paulus obſervat *Gal.* 3: 7, 9. Hujus autem connexionis inter hanc benedictionem, & benedictionis ratio ſatis liquet, cum extra ſemen iſtud nuſpiam reperiretur *benedictio*, & non niſi *maledictio* mera.

XVIII. Eodem modò & in Eſavo adimpleta fuit ipſa promiſſa *benedictio*. א. Ille quippe terrarum tractus, ubi ſita erat Idumæa, ab Eſavi poſteris inhabitata, & ſub quo montana Sehiri comprehendebantur, ab antiquiſſimis temporibus admodum fuit fertilis. ב. Fuerunt inſuper Edomitæ gens bellicoſa *viveus gladio ſuo:* quæ ipſis Iſraëlitis Canaänem petentibus per terram ſuam tranſitum negare auſa, eis obviam prodibat cum populo numeroſo ac manu forti, ita ut Jacobi poſteri ab illis deflectere neceſſe habuerint, *Num.* 20: 14-21. ג. Idumæi tamen iidem ſubjecti ſunt poſtea Iſraëlitis, magna vi & multa ſtrage à Davide Rege ſubacti, ejuſque facti ſervi, 2. *Sam.* 8: 14. A. M. §. ſuperiori indicato. Quo in ſtatu porro manſerunt præter propter per ſeculi unius & dimidii, & quod excurrit, ſpatium. Deinceps verò illud rurſus *jugum rejecerunt de collo ſuo*, tempore Regis Jorami, vid. 2. *Reg.* 8: 14. quod contigit A. M. 3115. juxta ejusdem Præſulis ſupputationem. Et licet à Joramo fue-

Reſpectu etiam Eſavi.

rint percussi, à jugo tamen ipsius, prout vaticinatus fuerat Isaäcus, deinceps penitus se liberarunt. ℸ. Machabæorum autem tempore post multas vexationes circa tempora captivitatis illatas, ut vel ex *Psalm.* 137: 7. patet, rursus ab his devicti fuerunt, & planè tandem ab Hyrcano subacti, atque sic eousque facti *hæreditas*, ita olim vaticinantibus Bileamo *Num.* 24: 18. & Amozo *Cap.* 9: 12. ut ipsam religionem Judaïcam & circumcisionem fuerint coacti suscipere, ab Esavo quidem acceptam *Gen.* 17: 23. sed pòst, ex indignatione forsan in Israëlitas primogenituræ Esaviticæ injustos, uti ipsis videri potuit, possessores, penitus neglectam. Vid. Josephi *Antiquit. Jud.* Lib. 13. Cap. 17. & Strabonis *Geograph.* Lib. 16. Ubi hæc, quamvis erroribus maculata, leguntur p. m. 1103. *Edit. Amstel.* Τῆς δὲ Ἰουδαίας &c. *Judææ extrema occidentalia Casio proxima Idumæi occupant, & lacus. Idumæi quidem Nabatæi sunt: per seditionem autem inde ejecti Judæis se adjunxerunt, & eorum leges amplexi sunt.* Hæc evenerunt A. M. 3875. id est, per annos ferme 129. ante Christum natum, juxta eundem Usserium, *de ætate Macedonum* p. m. 116. & 117. ℸ. Postremò tamen accidit, ut iidem *Esavi posteri*, inclinante jam ad interitum suum Judæorum Republicâ, in persona Herodis M. qui Idumæus natione erat, dominati sint in Israëliticam gentem, cum qua in unam jam inde a temporibus Hyrcani coaluerant gentem.

An Esavus æternùm perierit.

XIX. Sic Esavus quidem omnino multas quoque adeptus est benedictiones, & corporales, & quibus Jacobi illæ duplo majores melioresque erant. Qua occasione rogari potest, an ergo Esavus æternum perierit? Ego primùm dico, hoc non posse colligi ex dicto Pauli *Hebr.* 12: 17. quod *reprobatus* fuerit Esavus. Nam *reprobatio* ea nequaquam ad salutis æternæ negotium est extendenda, utpote de quo ibi non agebatur: uti neque ex Græca phrasi iste sensus rectè deducitur, intelligenda strictius de primogenituræ prærogativis; quarum respectu frater ipsius ei prælatus erat: ad quas cùm & ipse admitti cuperet, *reprobatus* est, id est, repulsam à pa-

patre tulit. Etenim, *qui in honorum contentione prætereuntur*, ἀποδοκιμάζεσθαι *dicuntur*; δοκιμάζεσθαι *è contrario*, *qui probantur*, *cæterisque præponuntur*; uti obſervat M. Georg. Raphelius in *Annotat. Philol.* in *N. T.* in *h. l.* & adducit è Xenophonte locum. Rectè itaque *Theod.* Beza in *h. l. Nullus hic relinquitur locus diſputandi de æterna reprobatione Eſavi.* Quæ tamen, utut voce iſthac nequaquam ſignificetur, per conſequentiam tamen rectè inde deduci poteſt. Sic enim pergit Beza *loc. cit. Quamvis hæc repulſa ab æterno illo Dei adverſus Eſavum decreto pendeat. Fuit enim hæc repulſa præludium abdicationis Eſavi extra Jacobi familiam, ac proinde extra ſalutis fœdus, cujus teſſera fuit terra Chanaan.* Similiter & Rivetus *Exercit.* 121. in *Geneſ.* p. 471. *Col.* 2. Sane Eſavum *reprobum* fuiſſe ipſa ſatis Scriptura ſacra ſupponere videtur.

XX. Nunc ad fontem benedictionis hujus tranſeo, quem Paulus nobis monſtrat fuiſſe *Fidem.* Πίστει, ait, περὶ μελλόντων εὐλόγησεν Ἰσαὰκ τὸν Ἰακὼβ, καὶ τὸν Ἠσαῦ. Antequam verò id explicem, neceſſe erit prius diluere quæſtionem illam, quì potuerit Paulus hanc benedictionem Propheticam tribuere *fidei* Iſaäci, cùm cognitio futurorum contingentium potius ſpectet ad lumen Propheticum, ceu donum extraordinarium, quam ad donum *fidei?* Variè reſpondent varii. Hæc habet Lud. Tena in *h. l. Palacius*, inquit, *hic reſpondet, quod cùm iſtud lumen nitatur fidei (ſiquidem credunt, quæ Deus illis revelat) ideo tribuit Paulus fidei cognitionem futurorum contingentium, quam immediatè cauſat lumen Propheticum. Et reddens rationem Palacius*, ait: Nam qui nihil habebat in terra promiſſionis, niſi jus ſepulcri pecuniâ redemtum, quomodo de futuris benediceret, non tantùm bona precando, ſed quaſi in poſſeſſionem mittendo, niſi crederet fide Deo dicenti, & Prophetico lumine id prævideret? Pergit porro Tena: *Quare meritò hic Primaſius ait:* Fide de futuris benedixit eis, quia juxta id, quod eis imprecatus eſt, ita poſtea omnia illis credidit evenire; & quæ futura illis erant, ea benedicendo optavit. *Et Oecumenius:* Quomodo filiis ſuis tanta

E. *Fons. Fides Iſaäci ex* Hebr. 11 20. *Non obſtat enim quod* Prophetica *hic ſit prædictio.*

bona promisisset, nisi credidisset quod Deus promissa præstaret? Hactenus Tena. Verbô ergo dicam. *Fides* Paulo hic memorata fides fuit, non de veritate quâvis præsenti, sed de veritate futura, quam Isaäcus adeo credebat certissimam fore, & omni dubitatione esse majorem, ut filio suo hujusdem veritatis futuræ exspectationem pro reali hæreditate addicere auderet. Rectè ergo Sebast. Schmidius in *h. l. Hic quia Isaacus vaticinatus est, & certò promisit futura; Apostolus verò fidei adscribit, apparet, quanta sit fidei certitudo, & quantum à dubitatione absit, dum etiam de futuris adeo certa est, ut aliis non tantùm promittere, sed infallibiliter prædicere audeat.*

Neque quod ab intentione sua Isaäeus aberraverit Jacobo vero Esavo benedixerit.

XXI. Nunc inquirendum, quo pacto dicatur Isaäcus benedixisse *Fide*, cum præter suam intentionem & errans benedictionem eam Jacobo dederit? Ut probè id intelligamus, attendendum est, commixtionem hic quandam fuisse & Dei spiritus, & Isaäci. Proveniebat ab Isaäci spiritu, primùm, quod benedictionem suam testamentariam, ut ita dicam, vellet edere. Deinde &, quod eam in Esavum conferre vellet. Interim tamen proveniebat à Spiritu Dei, primùm, quod Isaäcus certissime persuasus de futuro implemento, *benedicere* vellet vaticinando *de rebus futuris*. Deinde etiam, quod in *primariâ intentione ei* vellet *benedicere, quem Deus voluit primogenitum esse*; quæ verba Pererii sunt in *Gen.* 27. & rectè. Nam etsi *benedictionem* initio ad Esavum flectere tentaret, tamen ex eventu cognoscens eam ad Jacobum perveniisse, nihil mutat, nihil revocat. Neque est quod quis porro dicat; quomodo *fide* dicitur Isaäcus *benedixisse Jacobo* cum benedixerit mendacio deceptus? Respondebo cum Jac. Cappello in *h. l. Non mendacio benedixit, nec mendaci, quà mendax erat, & mendacii ac fraudis nonnihil in hoc negotio adhibebat; sed filio suo, sed primogenito suo, quod & satagebat. Itaque deceptus fuisset Isaac, nisi deceptus fuisset.* Eleganter! Primogenito destinat benedictionem. Id bene. Pro tali Esavum habet. Id male. Jacobus revera talis erat jure divino humanoque. Felici erga errore ab errore

fer-

ſervatur. Quod itaque ex eventu compertus *fidem* ſuam hic palam exſeruit, dicens, *Benedictus eſt Jacobus, & benedictus eſto.* Nempe ex eventu jam videbat ſummi Numinis providentiâ ſingulari benedictionem ad *Jacobum* veniſſe. Simul Iſaäcus, ut cum Hammondo in *h. l.* loquar, *intelligens quod a ſe factum erat, quamvis aberrante, recordatur oraculi, antequam filii naſcerentur editi; & apud ſe reputans, quàm aptè conveniret ei oraculo cum votis a ſe in gratiam Jacobi conceptis, fide colligit rem ita futuram, quia quod ipſius affectus Eſavo deſtinaverat, id à Deo promiſſum fuerat Jacobo, ac proinde ad eum neceſſariò pertinebat; qua de cauſa vota ſua, in gratiam Jacobi, iterum confirmat.*

XXII. Cæterùm ex hac benedictione ſic *fide* porro colligimus, cùm fides in primis ad ſpiritualia ſpectet, hanc proinde benedictionem non tantùm in *tertia* ſua *parte*, quam palam *ſpiritualia* complecti, jam ſupra §. XIV. docui; ſed & in *prima* & *ſecunda*, quas literali ſenſu acceptas, *naturalia* & *civilia* bona prædicere ibidem monui, complecti pariter ſpiritualia, cœleſtia, & æterna bona quæ in Chriſto ſunt, ad quem, ceu primarium objectum fides collimat. Cui accedit, quod ea demum *benedictio Patriarchalis* cenſeri poſſit, & *Prophetica*, quæ pluſquam terrena promittat, non *ultimâ* tantùm ſui parte, ſed & *primâ* & *mediâ*. Et quid, quæſo, abſoni fuerit in eo, quod bona *ſpiritualia* rebus hiſce *corporalibus* etiam ſignificata eſſe dicamus? Uti enim Jacobi veſtes, *gratum agri a Deo* benedicti *odorem* exhalabant; ita idem propter *veſtes ſalutis Eſai.* 61: 10. a Chriſto per fidem *emtas Apoc.* 3: 18. *bonus odor Chriſti erat Deo*, & propter ejus ſacrificium ei gratus. Opima etiam terræ, nec non *roris cœli* fertilitas, ei addicta, apto etiam emblemate ſignificare poſſunt ſpiritualia illa ac cœleſtia bona, ſæpe per Scripturam ut Vet. ſic Novi Teſtamenti comparata cum *pluvia, rore, fructibus agri, Deut.* 23: 2. *Eſai.* 55: 10. *Matth.* 13: 8. *Hebr.* 6: 7. quorum etiam pignus & arrhabo jam tum iſthæc erat terra, in quam etiam Meſſias tanquam in *ſuam conf. Eſai.* 8: 8. olim cum ſuo verbo

Quia verò benedictio ex fide fuit, ergo ſpiritualia complectitur, & Jacobus typus Chriſti fuit.

ac

ac Spiritu tanquam *pluviâ*, & *guttæ descensurus esset Psalm.* 72: 6. ut *in eo benedicerentur omnibus spiritualibus benedictionibus in supercœlestibus*, *Ephes.* 1: 3. coll. *Esai.* 65: 16. *c.* Quando porro statuitur *Dominus omnium fratrum suorum*, id est, primogenitus, nec non sacerdos universæ paternæ familiæ in unum collectæ, quod primogenituræ annectebatur, tunc certè significari potest ipsum in suo semine Messia, quo etiam *Israël* vocatur *Esai.* 49: fore *primogenitum inter multos fratres Rom.* 8: 29. nec non *sacerdotem futurorum bonorum Hebr.* 9: 11. id quod eò minus absurdum videbitur, si Messiam consideres tanquam anti-typum Jacobi. Messias certè *Sacerdos est in throno suo*, *Zach.* 12: 13. qui meritô suô impetravit ut *primogenitus fieret princepsque Regum terræ* non tantùm *Psalm.* 89: 28. sed & *nationum* ei *subjectarum Gen.* 49: 10. *Psalm* 72: 11. *Apoc.* 11: 15. *d.* In Christo denique omni vi verissimum est; *si quis ei maledicat*, *maledictus est*, *maranatha*, 1. *Cor.* 16: 22. cùm extra eum nulla prorsus sit *vita*, *nulla salus*, *Joan.* 14: 6. *Act.* 4: 12. Et si quis ei benedicat benedictus est, ipsiusque meriti vi servatur in æternum: de quo & antè verbo monui.

Esavus exemplar aut typus Judæorum incredulorum.

XXIII. Quemadmodum verò Jacobus sic constituebatur benedictionis exemplar, eôdem plane modo Esavus contrà exstitit exemplar reprobationis, & cùm in persona, tùm in factis, Judæorum carnalium typus illustris, qui ipsius sunt imitati indolem, ἀπιστίαν, facta & profanitatem. Inde Primasius & Haymo a Lud. Tena citati in *Hebr.* 11: 20. ita habent: *Jacob figuram Christi, vel Christiani populi gestabat*; *Esau verò Judaici.* Neque aliter Illustriss. Grotius in *Hebr.* 11: 20. etiamsi fortè aliter in applicatione: *In hac quoque re*, inquit, *figura latet populi Judaïci & Christiani, quam evolvit Paulus Rom.* 9. Exinde sermone etiam prophetico Israël, qui Christum crucifixit, ejusque regni Euangelium rejecit, quandoque *Edom* audit: uti *Esai.* 34: 5. & 63: 1. Vid. Coccejum in *Ezech.* 35: 1. & *Hebr.* 12: 17. cujus ego cognominationis has modò afferam rationes. *a.* Judæi tunc temporis unum conficiebant cum Edomitis populum.

lum. *b.* Idem ipſis fuit in Jeſum animus ad occidendum illum, & ſemen ejus, Chriſtianos delendos, quô erga Jacobum olim fuerat Eſavus. *c.* Eſavus vi ſuæ carnalis primogenituræ ſibi benedictionem primariam competere opinabatur, præ Jacobo; ſimiliter quoque Judæi carnales, eò quod primogeniti eſſent Dei in omnibus populis, ſibi quoque deberi autumabant bona regni Dei, neque bonis oculis adſpicere, vel æquâ idcirco mente tolerare poterant fratres ſuos minorennes, Ethnicos puta, unà cum ipſis hæredes futuros. *d.* Eſavus tamen, utut primogenitus, utut etiam ſibi benedictionem primariam deberi putans, eam haud hæreditavit; ita neque Judæi carnales. *e.* Vendiderat enim Eſavus primogenituram ſuam unicô eduliô; ſic & privilegia ſua, quæ cæteroquin habebant Judæi maxima, bonis corporalibus ac proventibus terræ Canaänis opimis. *f.* Eſavus ideo, ceu impius ac profanus, a Deo eſt rejectus, ſic & Judæi abjecti ſunt a Dei facie gratioſa, & patriâ extorres vagabundi errant. *g.* Denique, Eſavi tamen poſteri tandem unam gentem confecerunt cum Judæis, earum ſuſcipientes religionem; ſic & ultimis temporibus *ſalvabitur totus Iſraël*, & cum vera Chriſti Eccleſia in unum coaleſcet: Vid. *Rom.* 11: 26. & *ſeqq.* Vid. & Witzii noſtri *Oecon.* L. 4. C. 3. §. 23. 25.

XXIV. Claudam hanc Diſſertationem verbis Franc. Junii noſtri in *Gen.* 27. docentis Iſaäcum modò in Dei manu inſtrumentum, exitum verò à Domino, cauſâ principali, fuiſſe: conſequenter licèt ea evenerit contra intentionem Iſaäci primam, & Rebeccæ fraude peracta, ratam tamen eam fuiſſe, ubi ita ſcribit: *Quemadmodum*, inquit, *efficientes cauſæ, hæ principales ſunt, illæ inſtrumentales: ita in illa Iſaäci actione Jacobo benedicentis ſtatuendum eſt, cauſam utramque concurriſſe, quarum principalis eſt Deus, ut communis pater principiumque omnium: inſtrumentalis verò Iſaac, ut particularis Jacobi pater, & Dei in actione hac, ut in aliis, adminiſter. Cùm itaque benedictionem ab utroque ſimul pronuntiatam conſtet: vis autem actionum omnium, ad quas efficiendas cauſæ plures convenerunt, ita ſe habeat, ut principalis cauſa non cedat inferiori* *Verba Franc. Junii notabilia.*

riori vim & auctoritatem ſuam: ex eo planè conſequitur, vim veritatemque hujus benedictionis non ab Iſaäco, (inſtrumentum enim fuit, quod principalis cauſa non neceſſitate, ſed bonitate & gratia ſibi adaptavit, ſeu adjunxit) ſed à Deo eſſe, quæ eſt ipſa per ſe efficiens cauſa, vimque benedictionis contulit. Itaque perſonam quidem Iſaäci, & vocationem patriam ipſius Deus hoc miniſterio honoravit: ſed neque cæcitas ipſius, neque conſilium, neque imprudens factum Iſaaci opus illud divinum potuit vitiare. Cùm itaque Deus omnia, quæ gerebantur, viderit, ſciveritque: & conſilium ſuum hoc pacto ulla imprudentia exſequi voluerit: ex eo neceſſe fuit ut benedictio maneret rata, quam principalis cauſa efficiebat: neque vitio inſtrumentalis cauſæ fieret irrita, ac propterea videmus Deum imprudentibus tum ſervis ſuis, tum etiam exteris, in voluntatis ſuæ conſiliorumque explicatione jam ſapienter fuiſſe uſum, ut illi aut nihil, aut aliquid cogitantes volentesque, tamen Dei conſilium & voluntatem expreſſerint, contrà in ea ipſa actione imprudentes ſæpe impegerint, ut tota laus penes Dominum, ut auctorem ſuum, permaneret. Hæc Junius.

Concluſio ad ſcopum.

XXV. Quod ſi ergo & Iſaäcus in fide tribuens, & Jacobus in fide recipiens patriarchalem benedictionem, in promiſſione propagationis ſeminis mulieris, & profluentibus inde beneficiis maximè conſiſtentem, quam tanti fecerint, liquidò exinde rurſus conſtat CHRISTOLOGIA & ISAACI, & JACOBI, eorumque FIDES in CHRISTUM, adeoque eum UNICUM AC PERPETUUM iſtius Patriarchalis ECCLESIÆ FUISSE FUNDAMENTUM. Immo & patet ex hiſce etiam Iſaäcum Meſſiam conſideraſſe tanquam unicum Eccleſiæ *ex Jacobo* orituræ fundamentum. Benedictionem eam ſpiritualem, quæ Meſſiam ambitu ſuo complectitur Eſavo negat, Jacobo autem ſoli concedit: & quam ipſe Deus ei confirmat deinceps & in *Somnio de Scala*, & in *Luctatione* & *Victoria* reportata, *Gen.* 28 & 32. de quibus jam diſtinctè Diſſertationibus duabus ſequentibus agendum.

DIS-

DISSERTATIO II.

AD GEN. 28: VERS. 10—19.

Qua agitur

DE

SCALA JACOBI.

BREVIARIUM.

I. NExus rerum. II. *Jacobo plures visiones obtigerunt quam aliis; & in specie duæ illustrissimæ*, Scalæ *scil. in somnio* visæ, *&* Viri *cum eo* luctantis. III. *Quarum prior attentione dignissima.* IV. *Historia Jacobi hic incipiens a Judæis novâ sectione notatur.* V. *Causæ hujus itineris Jacobi.* VI. *Ordo tractationis tripartitus.* VII *A. Historiæ* explicatio. *Ubi.* VIII. א. Tempus, *sive* ætas *Jacobi.* IX. ב. Locus *è quo*, Beerseba, *& ad quem*, Charran. מקום *an hic notet Deum ipsum, ut Judæi; & an* Bethel *in monte Moriæ fuerit.* X. ג. Modus 1. *Pernoctabat ibi.* XI. 11. Ex lapidibus istius loci disposuit cervical. Lapidibus *non ex altari Isaäci; non præcise duodecim, ad tribus Israëlis; aut tribus, ad tres divinas personas indicandas; sed uno majori, de quo Judæi mira fingunt.* XII. 111. Somniat ibi somnium. *Ubi α. de* insomniorum *variis speciebus, & de criteriis somnii a Deo immissi.* XIII. β. *Etiam respectu hujus* Jacobi *insomnii ex circumstantiis ejus, pertinentibus* 1. *ad* visum: Scala *scilicet* pertingens a terra usque ad cœlum. *Ubi figmenta Judæorum.* XIV. *Et Mosis commendatio per triplex* הנה / Ecce. XV. *Mira commentatio Judæi cujusdam in hanc historiam.* XVI. 2. *Ad* auditum: JEHOVA, *ait*, ego sum Deus *&c. Quæritur quo sensu Deus*

ſe Deum viventis *adhuc* Iſaäci *vocet?* XVII. *Tria ibi promiſſa ſunt generaliora.* XVIII. *Quorum quodlibet aptiſſimum erat ad Patriarchæ noſtri exulantis conſolationem.* XIX. *Quartum tamen accedit promiſſum ſpecialius ad Jacobum pertinens.* XX. ד. *Effecta in Jacobo expergefacto* 1. *Internum unum:* Exclamat. XXI. *Quod exponitur etiam collatis Judæorum commentariis plus & minus nugatoriis.* XXII. 2. *Externa duo:* *a.* Lapidem erigit; *de quo variæ adducuntur ſententiæ.* XXIII. 3. *Nomen* Bethelis *loco imponit.* XXIV. *Quâ occaſione agitur de* Bætulis *Antiquorum ex prava imitatione Jacobi ortis.* XXV. *B. Somnii hujus vera* divinitas: *ubi in genere de* ſomniis divinis, *ex Judæis, etiam ex Ethnicis.* XXVI. *Et in ſpecie de hoc* ſomnio Jacobi. XXVII. *Objectio ex Ariſtotele, Salomone & Syracho.* XXVIII. *C. Somnii hujus* ſignificatio, *quæ aliqua eſt juxta ipſum Macrobium.* XXIX. *Quæ varia valde & multiplex hic aſſignatur a Judæis.* XXX. *Et a Chriſtianis: de quibus omnibus judicium Riveti.* XXXI. *Vera autem ſignificatio eſt α. In* genere *repræſentari* providentiam Dei ſuper piis; *quò omnes circumſtantiæ viſionis accommodantur.* XXXII. *Quæritur* 1. *An Homeri* catena aurea *ex hac Jacobi ſcala derivata fuerit? Affirmant multi. Negat Auctor.* XXXIII. *Quæritur* 11. *an Homeri* germen palmæ, *cum quô Ulyſſes Nauſicäam comparat, ſignificet hanc ipſam Jacobi ſcalam? ubi mira opinio doctiſſimi Croeſii adducitur.* XXXIV. *Schotani de ejusmodi interpretationibus fabularum gentilium judicium.* XXXV. β. *In* ſpecie, *ad* conſolationem Jacobi *omnes circumſtantias pertinere.* XXXVI. γ. *Specialiſſime* Meſſiæ perſonam & officium *repræſentari; quod explicatur & confirmatur.* 1. *Ex variis Theologis.* XXXVII. 2. *Ex variis rationibus, interque eas ex teſtimonio Chriſti* Joan. 1: 52. *quod latius exponitur ex variis Doctoribus.* XXXVIII. *Confirmaturque explicatio ex ipſa phraſi* adſcendere & deſcendere ſuper filio hominis. XXXIX. *Convenientiæ inter Chriſtum & ſcalam hanc.* XL. *A. Reſpectu ſcalæ ipſius, ratione tum a. graduum: tum b. quatuor aliarum circumſtantiarum.* XLI. *B. Reſpectu* Angelorum *ſuper ea adſcendentium & deſcen-*

ſcendentium. XLII. *Objectiones duæ ſolvuntur* 1. *Jacobum atique tantum myſterium in ea ſcala non intellexiſſe.* XLIII. 2. *Meſſiam non fuiſſe* ſcalam *ipſam*, *ſed* JEHOVAM, *qui* in ſummitate ſcalæ ſtabat. XLIV. *Concluſio ad ſcopum.*

I.

POſt traditam ISAACI in *Filios benedictionem*, ex qua patuit CHRISTUM Eccleſiæ Patriarchalis fuiſſe FUNDAMENTUM UNICUM AC PERPETUUM, rerum ſeries ultro nos ducit ad hiſtoriam JACOBI itidem percurrendam, indagando utrum Patriarchalis benedictio illa, de qua egimus in antecedentibus, & cujus eum præ Eſavo fratre majorenni participem fecerat Iſaäcus pater, in eo ſuum habuerit implementum. Quem in finem duos, qui ei obtigerunt, contemplaturi ſumus caſus illuſtriores, quibus Deus iſtas ipſi factas benedictiones paternas ſolenniter confirmatas dedit. Prior eſt, Deo ei primò apparente ſomnianti in SCALA iſthac erecta in terra, ac pertingente ad ipſos cœlos, in cujus ſuperiore parte ſtabat ipſe Dominus, multa Jacobo promittens, adſcendentibus interim ac deſcendentibus Angelis. Alter eſt LUCTATIO illa, quam habuit cum Viro, in quo tandem victor evaſit, & benedictionem nomenque *Iſraëlis* honorificum reportavit. Hos duos caſus prodidit Moſes, priorem *Gen.* 28: 10–19. poſteriorem *Cap.* 32: 24–30. ordine nunc nobis duabus diſtinctis Diſſertationibus enarrandos: ex quibus rurſus conſtabit MESSIAM UNICUM ECCLESIÆ iſtius fuiſſe FUNDAMENTUM.

Nexus rerum.

II. Non malè a Theologis obſervatur Patriarcharum nemini magis admirandas obtigiſſe, aut clariores viſiones, quàm Patriarchæ Jacobo. Cujus prærogativæ Jacobo conceſſæ forſan cauſa dari poſſet, quod ille proximus veluti parens futurus eſſet numeroſioris Eccleſiæ, non in paucis duntaxat, uti hactenus, familiis poſthac conſtituræ; ſed ingenti illo populo Dei duodecim, vel tredecim potius comprehenſo tri-

Jacobo plures viſiones obtigerunt quam aliis, & in ſpecie duæ illuſtriſſimæ, Scalæ *ſcil. in ſomnio viſæ, &* Vid

cum eo luctantis.

tribubus, intra trecentorum ferme annorum ſpatium ex uno Jacobo ad tricies ferme millia hominum, de quo ad *Gen.* 12: 1-3. §. LIX. diximus, multiplicatis, quique & de glorioſo cognomento Jacobi ISRAEL deinceps vocandus eſſet. In hiſce verò viſionibus præ reliquis omnibus accurata ego quidem conſideratione digniſſimas ſemper cenſui duas iſtas notabiles prorſus & plane ſingulares, quas ſuo in itinere ſubiiſſe Patriarcha hicce memoriæ proditur, de *Scala* viſa, & JEHOVÆ voce audita; ejuſque deinceps *Luctatione cum viro.* Nunc de priori.

Quarum prior attentione digniſſima.

III. Hiſtoria autem ipſa ſic ſe habet: ויצא יעקב מבאר שבע וילך חרנה: ויפגע במקום וילן שם כי־בא השמש ויקח מאבני המקום וישם מראשתיו וישכב במקום ההוא: ויחלם והנה סלם מצב ארצה וראשו מגיע השמימה והנה מלאכי אלהים עלים וירדים בו: והנה יהוה נצב עליו ויאמר אני יהוה אלהי אברהם אביך ואלהי יצחק הארץ אשר אתה שכב עליה לך אתננה ולזרעך: והיה זרעך כעפר הארץ ופרצת ימה וקדמה וצפנה ונגבה ונברכו בך כל־משפחת האדמה ובזרעך: והנה אנכי עמך ושמרתיך בכל אשר תלך והשבתיך אל האדמה הזאת כי לא אעזבך עד אשר אם־עשיתי את אשר־דברתי לך: ויקץ יעקב משנתו ויאמר אכן יש יהוה במקום הזה ואנכי לא ידעתי: ויירא ויאמר מה־נורא המקום הזה אין זה כי אם־בית אלהים וזה שער השמים: וישכם יעקב בבקר ויקח את־האבן אשר־שם מראשתיו וישם אתה מצבה ויצק שמן על־ראשה: ויקרא את שם המקום ההוא בית־אל ואולם לוז שם העיר לראשנה: Quæ a Xant. Pagnino & Aria Montano de verbo ad verbum ita redduntur: *Et egreſſus eſt Jahacob è Beer-ſebah, & ivit in Charan. Et occurrit in locum, & pernoctavit ibi, quia occubuerat ſol; & tulit de lapidibus loci, & poſuit cervicalia ſua, & jacuit in loco illo. Et ſomniavit: & ecce ſcala erecta*

ſuper

ſuper terram: & caput ejus attingens cœlum: & ecce Angeli Dei aſcendentes & deſcendentes in ea. Et ecce Dominus ſtans ſuper eam, & dixit: Ego Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſchac: Terram quam tu jacens ſuper eam, tibi dabo eam, & ſemini tuo. Et erit ſemen tuum ſicut pulvis terræ, & creſces ad occidentem, & ad orientem, & ad aquilonem, & ad meridiem: & benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in ſemine tuo. Et ecce ego tecum, & cuſtodiam te in omni (loco) *quò ibis, & redire faciam te ad terram hanc: quia non derelinquam te, uſque quò ſi fecero quod locutus ſum tibi. Et expergefactus eſt Jahacob a ſomno ſuo, & dixit: Verè eſt Dominus in loco iſto, & ego non ſciebam. Et timuit, & dixit: Quam terribilis locus iſte: non eſt hic niſi domus Dei, & hæc porta cœli. Et manicavit Jahacob in diluculo, & tulit lapidem quem poſuerat cervicalia ſua, & poſuit eum ſtatuam, & effudit oleum ſuper caput ejus. Et vocavit nomen loci ipſius Bethel; & utique Luz nomen civitatis illius in priori.* Ad cujus hiſtoriæ commendationem maximopere facit, quod magnificentius nihil homini exhiberi potuerit, divinius nihil, quam SCALA a terra ad cœlum pertingens, diſſitiſſimaque ſic loca uniens, habens ad infimam ſuam partem Patriarcham cubantem; in gradibus verò ſuis continuò deſcendentes adſcendentesque Angelos cœleſtes; in ſummitate porro ſua ipſum JEHOVAM omnia fauſta Jacobo promittentem. Profectò ſi ullibi unquam Paradiſus dici poſſit e cœlo deſcendiſſe in terram, certè hic loci deſcendit, & hoc tempore. Si ejusdem aliquis unquam vidiſſe & præguſtaſſe voluptatem dici poſſit, hic noſter Patriarcha certè eam ſenſit, atque ſenſu illo in exſtaſin abreptus præ admiratione, gaudio, & ſancto quoque timore exclamavit: *Quàm reverendus eſt hic locus, non eſt hic niſi domus Dei, atque hic eſt porta cœli.* Agedum properemus, ut & nos cum Jacobo illuſtrem hanc viſionem è propinquo contemplemur.

Hiſtoria Jacobi hic incipiens a Judæis novâ ſectione notatur.

IV. Incipitur hic loci à Judæis hiſtoria Jacobi Patriarchæ, de qua novam hic ideo Sectionem formant, quæ libri Geneſeos ordine ſeptima eſt, & a prima dictione dicitur ויצא /

וַיֵּצֵא / *Et egreſſus eſt.* Nec malè hoc illi: nam omiſſa deinceps *Iſaäci* mentione, ſi pauca illa, quæ de ejus morte obiter ac ſepultura narrantur, excipias, ea nunc porro traduntur ex profeſſo, quæ ad res geſtas ac familiam *Jacobi* ſpectant. Quorum principium hoc fuit, quod ſcilicet ille paternâ benedictione Prophetico Spiritu à venerando Sene *capite* 27: 28. &c. in hunc Filium ſuum prolatâ, & mox contra Eſavi indignationem per repetitionem confirmatâ *Cap.* 28: 3, 4. pro vero illo *Abrahami ſemine*, cui *omnes promiſſiones* eſſent factæ, declaratus, ſolus non multo ſane commeatu, ſed *baculo Gen.* 32: 10. inſtructus, peregre profectus fuit Meſopotamiam verſus.

Cauſa hujus itineris Jacobi.

V. Cujus quidem ſuſcepti itineris cauſæ duæ potiſſimum ex ipſa hiſtoriâ Sacra dari poſſunt. Prima, ut ſic ex Rebeccæ conſilio *Cap.* 27: 43. 45. invidi fratris Eſavi iram, ob ſubreptam ipſi principem benedictionem conceptam, tutius effugeret. Altera verò, ut ex Rebeccæ quoque conſilio, Iſaäci autem mandato uxorem duceret, non adinſtar Eſavi, è filiabus Canaänis, quæ diſplicebant Iſaäco & Rebeccæ parentibus; non tam, uti res docet, ob mores, quam ob ſtirpem maledictam Canaänis, cum qua ſemen Abrahami non debebat commiſceri; ſed è cognatione Semitica ſua, ad imitationem patris Iſaäci, qui inde quoque, ipſo Abrahamo ſub ſolenni juramento hoc Eliëzerem ſuum jubente, Rebeccam acceperat uxorem; & in ſpecie quidem è filiabus Labanis avunculi ſui habitantis in Meſopotamia. Quæritur verò a Theodoreto *Quæſt.* 83. *in Geneſin: Cur Jacobus tantas benedictiones adeptus fratrem fugit, & ſolus, rebus neceſſariis carens, abit peregre?* Ad priorem partem hujus quæſtionis jam modò reſpondimus. Ad poſteriorem verò variè debet reſponderi, prout ratio vel ex intentione ipſius Jacobi, vel ex intentione Dei derivatur: quod diſcrimen Interpretes non ſatis obſervant. Amant enim nonnulli conjecturare, voluiſſe eum fortaſſis hac ſua inopi profectione iter, ſive potius fugam ſuam occultare, ut ſic ex Eſavi inſidiis evaderet tutius. Theodoreti verò ipſius

psius responsio hæc est: Ἐναργέστερον ἐν τοῖς δοκούσαις κακοπραγίαις ἡ τοῦ θεοῦ κηδεμονία δηλοῦται. Οἱ γὰρ ἐν εὐκληρίᾳ ὄντες οὐχ οὕτως ἴσασιν ὅσων ἀγαθῶν ἀπολαύουσι &c. Quæ ex versione Jac. Sirmondi sic se habent: *Providentia Divina manifestius declaratur in rebus, quæ videntur adversæ. Nam quibus omnia prosperè cedunt, non perinde intelligunt quantis bonis fruantur. Hac de causa Jacobus aufugit, & solus peregrinatur, ut locupletissimus rediens & ipse experiatur quanta sit Dei omnium providentia, & alios doceat. Hanc sollicitudinem suam apparitione confestim declaravit. Ostendit enim ei scalam &c.* Quæ sanè intentio Jacobi esse non debuit. Nam hoc foret *tentare Deum*, & temerariè agere. Sed ex intentione Dei omnino dici potest, & Jacobi plurimum interfuisse, ita omni ope humana destitutum egenumque peregrinari, ut disceret à solo sic Deo dependere, eique uni omnia sua posthac impetranda accepta referre; quemadmodum revertens de impetratis ita gratias agit *Cap.* 32: 10. sed & aliquo modo ipsius Dei, qui hominem, qui pauper nunc exierat, post paucos annos & bonis, & pecore, & liberis ditissimum reducturus, ita ad oculum demonstrare posset fidelem se fuisse in adimplendis omnibus istis promissis, quæ Pater Isaäcus Divino & Prophetico Spiritu ipsi impertitus fuerat? Præter quas rationes non videtur operæ pretium huc afferre, quæ alii alia habent, quæque videri possunt apud Frassen *Disquisit. Biblic* p. m. 319. Nam ipsa certè sacra historia hanc Dei intentionem ex ore ipsius huc affert mox *vers.* 13, 14, 15. Quemadmodum & hæc ipsa visio primâ forsan fugæ nocte mox ipsi exhibita eandem intentionem Dei nobis exhibebit. In hac enim Deus ipsi factam ab Isaäco benedictionem repetiit non tantùm, sed & porro ampliavit confirmavitque nostro Patriarchæ, qui ejus per fidem exstiturus erat hæres.

VI. Quem casum explicaturi hunc servabimus ordinem; A. Dabimus universæ historiæ simplicem, seu literalem, tam ratione verborum, quàm rerum elucidationem. B. Ostendemus hoc Jacobi Somnium, & quæ in eo vidit audivitque, *Ordo tractationis tripartitus.*

Deum habere auctorem. C. Inquiremus quid eô Patriarchæ fuerit significatum.

A. *Historiæ explicatio. Ubi.* VII. Ad quidem historiæ elucidationem operæ pretium erit expendere Apparitionis oblatæ א. *Tempus.* ב. *Locum: vers.* 10, 11. ג. *Modum*, qui vel in *visione* consistit, conspiciente Jacobo in *somnio scalam*: vel in *sermone*, Deo ex ejus summitate ipsum alloquente: indo à medio *vers.* 12, 13, 14, 15. ד. Effectum ejusdem in Jacobo; 1. *Internum vers.* 16 & 17. 2. *Externum vers.* 18. & 19. Hisce verò omnibus præmittenda est Jacobi sic abeuntis ætas.

א. Tempus, *sive* ætas *Jacobi.* VIII. Jacobus ergo cùm hocce periculis refertum iter solus susciperet, natus erat, juxta verisimillimam supputationem, annos septuaginta septem. Ita in *Pirke* R. Eliezer. p. 87. nec non *Chronologia* Dav. Ganz. p. 11. Novi equidem R. Sal. Jarchum scribere in *Gen.* 28. eum natum duntaxat fuisse annos sexaginta tres, cum paterna domo egrederetur; at quatuordecim annos latitasse in domo Heberi, ob iram fratris Esavi effugiendam, antequam versus Mesopotamiam tenderet. Qui ejus commentarius Latinitate donatus est a Breithaupto, verbaque huc spectantia etiam citantur à Guil. Vorstio in *Observat. ad Chronologiam* Ganzii *pag.* 202. Verùm si isti 14 latitationis anni adjungantur dictis 63 annis, sequitur & isto modo Jacobum revera annos 77 natum fuisse, si non quando patrios lares derelinqueret primùm, saltem quando rectà tenderet versus Mesopotamiam: quamvis cæteroquin isthoc 14 annorum latibulum merum sit Magistrorum sua ex Cabbala commentum, cujus nuspiam meminit Pagina Sacra. Nostra verò supputatio certissima fit, considerando Josephum Jacobo natum fuisse ultimo secundi septennii anno, quô serviit Labani Jacobus *Gen.* 30: 24. *seqq.* Josephum hunc anno ætatis trigesimo potitum præfecturâ Ægypti, *Cap.* 41: 46. exinde fluisse septem annos abundantis, ac deinceps duos adhuc caræ annonæ, atque tunc ad Josephum 39 annos itaque tunc natum venisse Jacobum patrem, qui tunc erat annorum 130, *Cap.* 47: 9. Si igitur his 130 Jacobi annis subtrahamus primùm illos 39 Josephi,

ſephi, egit itaque annos 91 Jacobus cum naſceretur Joſephus. Si tum iterum hiſce 91 annis ſubtrahamus annos 14 interlapſos inter abitum Jacobi & nativitatem Joſephi, ut ſuprà dixi, ultro hæc exoritur ſupputatio, Jacobum ex domo patris profectum in Meſopotamiam, cum annos 77 ageret. Et ſic ſatis quidem ad calculos ſedimus; de quibus, ſi lubet, porro conferri poſſunt Chriſt. Helvici *Theatr. Hiſt. ad Mund.* 2201. Joan. Ligtfooti *Chron. Temp.* in *Cap.* 28. *Gen. Oper. Tom.* 1. p. 17. & Uſſerii *Annales* ad A. M. 2245.

IX. *Locus*, ex quo profectus fuit Jacobus, vocatur *Beerſcheba*, civitas in finibus ſita Palæſtinæ meridionalis, quæ deinceps, poſtquam Iſraëlitis terra Canaanis diſtributa eſſet, uti Hieronymus de *Loc. Hebr.* loquitur, fuit *in tribu Judæ, ſive Simeonis.* Quæ ambiguitas ſatis clara fiet ex iſtis Cl. Relandi, *Lib.* 3. *de Palæſtinæ urbibus*, pag. 620. *Nihil eſt notius quam terminos terræ in Sacro Codice ita deſcribi, Dan uſque ad Beerſabee, uti* 2. *Sam.* 17: 11. —— *Fuit* (Beerſcheba) *in Juda, vel Simeon potius, quandoquidem inter illas urbes fuit, quæ ex Judæ regione datæ fuere Simeoni, Joſ.* 19: 28. & 19: 2. *Appellatur tamen Berſcheba Judæ* 1. *Reg.* 19: 3. *Quamvis & dici ita queat, quod in regno Judæ oppoſitè ad regnum Iſraëlis, ſita eſſet. Locus* verò ad quem tenderet, vocatur *Charan*, quæ urbs eſt Meſopotamiæ in Oriente, in medio itinere inter Chaldæam & Canaänem ferme ſita. Quam ob rem & olim Abrahamus, cùm derelicta Ure Chaldæorum Canaanæam verſus, contrario itinere, proficiſceretur, *Gen.* 11: 31. in eâdem per quinque annos commoratus fuerat; atque ibidem, uti patrem ſuum Terachum mortuum *Gen.* 11: 31, 32. reliquerat, ibidem, eâdem forſan occaſione, habitatum venerat pars familiæ Terachi, Bethuel nempe, junioris Nahoris filius, *Gen.* 11: 24, 25, 26. coll. *Cap.* 22: 20 —— 23. & *Gen.* 24: 10. coll. 27: 43. pater Rebeccæ, avus ergo Jacobi noſtri maternus, & ſimul ejuſdem patruelis a parte Iſaaci, qui filius erat Abrahami, uti Bethuel filius Nahoris fratris Abrahami. Atque hinc duplex mihi enaſcitur animadverſio. Prima, quod Jacobus, divinâ providentia dudum hoc præ-

2. Locus, *e quo*, Beerſeba, *& ad quem*, Charran. מקום *an hic notet Deum ipſum, ut Judæi; & an* Bethel *in monte Moriæ fuerit.*

parante, in peregrinatione ſua ſtatim veniret ad ipſam ſuam familiam, ſive ad homines a linea paterna & materna ſimul ſibi ſanguine junctos. Secunda, quod, ut ad eos veniret, à Beërſeba, id eſt, à meridionali Palæſtinæ parte in Orientem, totam Canaänæam peragrare neceſſe habuerit; atque ita totam terram eam Patribus promiſſam, ſibi verò nunc a patre in benedictione ea traditam, oculis ſuis perpetuò luſtrare poſſet. Quod utrumque non tantùm ſolatio ingenti eſſe debuit ipſi, ſed & aptiſſimam occaſionem dare ſomnio, & viſioni mox ſecutæ. Ita verò peregrinans Patriarcha incidit במקום / *in locum*, *ubi pernoctavit*. Miræ profectò Judæorum quorundam, in re clara & ſimplice neſcio quæ myſteria quærentium, hic ſunt adinventiones. Iſta gloſſa eſt in *Midraſch Tilliim in Pſalm* 90: 1. *Jacobus*, ajunt *incidit* IN DEUM. Nempe notum quidem eſt Judæos, ſicut Deum nuncupant צור / *rupem*, ut cui omnia innituntur, dum ab eo conſervantur, ita eundem quoque ſolitos deſcribere tanquam מקום / *locum*, ut qui omnibus locis præſens cuncta ſuâ provida cura ſuſtentat. Quod idem Jacobo applicant, qui itaque inciderit in *locum*, id eſt, in *Deum*, tanquam ſcilicet ipſi ubivis præſentem futurum, ac omnia neceſſaria ſubminiſtraturum. Verba ipſa citantur in Raimundi *Pug. Fid. Part.* 3. *Diſt.* 3. *Cap.* 5. *verſ.* 7. Verum tamen citra omnem hæc gloſſa rationem eſt, & rejecta quoque ab Aben Ezra. Rectè; cùm nuſpiam nomen מקום in Sacris veniat pro *Deo*, ſed quidem apud Rabbinos. Vid. in *Thisbi* Eliæ. Literalem ergo ſenſum hic retinentes alii, non tamen de *loco* in ſpecie conveniunt Hebræi. Hoc ad unum ferme omnes dicunt, celebrem fuiſſe locum, & ideo *He* demonſtrativo inſignitum, ſcil. במקום / quaſi המקום / utpote locum a tribus Patribus celebratum, eundemque quem vocaverit Abrahamus *montem Dei*, *Gen.* 22: 14. in quem precaturus exierit Iſaäcus ſub nomine *agri*, *Cap.* 24: 63. & quem denique hic Jacobus vocet *domum Dei*. Ajunt porro per has tres unius loci celebrationes innui tria tempora, quorum ter-

tertium, duobus prioribus proſtratis, ſit futurum ſtabile, & ideo quoque ter nomen מקום/ *loci*, hic occurrere. Immo eouſque eorum nonnulli pergunt, ut conjiciant hunc מקום/ *locum* fuiſſe in monte Moriæ, & illic quidem loci in ſpecie, in quo poſthac exſtructum fuerit Templum. Adeo ut Spiritu Prophetico prævidens noſter Patriarcha Divinum ibi cultum olim inſtitutum iri, huic idcirco loco dederit nomen *Bethelis*, id eſt, *domus Dei*. Quin etiam Auguſtinus id innuere videtur *Quæſt.* 83. in *Geneſ.* ubi ad verba illa, quæ mox ſequentur; *Dominus eſt in hoc loco, & non eſt aliud hic, quàm domus Dei, & porta cœli*, notat, *ea ad prophetiam pertinere, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod conſtituit Dominus in hominibus, in primo populo ſuo. Portam autem cœli ſic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capeſſendum regnum cœlorum.* Deinceps paulò infra *Quæſt.* 85. *Quod Jacob voto promiſit decimas domui Dei, futuræ in loco illo, prophetia eſt domus Dei, ibi olim futuræ, & idcirco appellavit locum illum domum Dei.* Hunc ſecutus eſt Lyranus, ad Judæos pariter & Chriſtianos provocans Interpretes his verbis: *Licet non ſit expreſſum nomen loci illius, dicunt tamen Doctores Hebræi & Catholici, quod iſte locus fuit mons Moria. Ibi enim Abraham avus ſuus obtulerat Iſaäc patrem ſuum, & propter hoc reputabat locum illum ſacrum. Propter quod ibi declinavit, ut ibi vigilaret in oratione per partem noctis, ſperans ibi divinam revelationem habere, quod & factum eſt.* Hæc Lyranus, qui ex Judæo Chriſtianus factus, multa paſſim mutuatus eſt ex R. Sal. Jarcho. Juvabit itaque ipſum hunc Doctorem Hebræum audire in *vers.* 17. quem dabo ex interpretatione Breithaupti: *Dixit R. Eliëzer nomine R. Joſe, Ben Zemræ: Scala iſta ſtabat in Beërſcheba, & declivitas ejus* שפרץ *vergebat* (vel *attingebat*) כנגו *verſus* (vel *coram*, ſive *è regione*) *domum Sanctuarii. Nam Beërſcheba ſita erat in plaga meridionali (terræ) Judaicæ, ac Jeruſalem in plaga Septentrionali*, in termino, qui *eſt inter (tribum) Judæ & Benjamin; Bethel autem erat in plaga Septentrionali hæreditatis Benjamin, in*

termino, qui eſt inter Benjamin, & inter filios Joſephi; reperitur (itaque) ſcalæ iſtius, cujus pedes erant in Beërſcheba, ac cacumen ejus in Bethel, media pars declivitatis e regione (urbis) Hieroſolymæ, &, prout dicunt Rabbini noſtri, dixerat Sanctus ille Benedictus: Juſtus ille venit in domum hoſpitii mei (i. e. Sanctuarii) *num diſcedet ſine pernoctatione? Præterea dicunt: Jacobus vocavit (urbem) Jeruſalem Bethel; atqui hæc Lus fuit, non Jeruſalem: unde autem didicerunt, (Rabbini) ut ita dicerent? Ego exiſtimo, quod tranſlatus* (vel *a ſede ſua avulſus*) *fuerit mons Morijah, atque eò loci venerit; (ubi Jacobus tunc erat) atque hæc fuit exſilitio* (ſive *ſubſaltatio*) *terræ, de qua dicitur (Capite Talmudico)* שחיטת חולין / (id eſt, *mactatio animalium immundorum*) nempe, *quod venerit domus Sanctuarii in occurſum ejus (Jacobi) uſque ad Bethel; idque eſt (quod ſuprà dicitur, ſcil. verſ.* 11.) ויפגע במקום / *& occurrit in locum. Ac quando Jacobus præterierat domum Sanctuarii, cur non retardatus eſt (Jacobus) ibi? quomodo ei in mentem haud venit, ut oraret apud locum, ubi Patres ejus oraverant? num a cœlo retardatus fuit? Reſpondetur; ipſe iverat uſque ad Charanem, veluti dicunt (Rabbini noſtri) in Capite* גיד הנשה / *idque S. Scriptura (quoque) confirmat; (dicitur enim) & ivit Charanem. Cum (vero) Charanem veniſſet, dixit ſecum ipſe; forſitan præterivi locum, in quo oraverunt patres mei, nec ego ibi preces fudi: conſtituit ergo ſecum, ut reverteretur: & rediit uſque ad Bethel, tunc ei in occurſum ivit terra.* Huc uſque ſcil. ſunt verba Thalmudis. Summa rerum huc redit, quod velint vulgò Judæi, non quidem Jacobum reverſum Hieroſolymas, vel in montem Moriæ, ſed hunc ei occurriſſe, ubi hic erat Lutzæ; quia dicitur: ויפגע במקום / ideoque dixiſſe; *Nihil eſt hic locus niſi domus Dei.* Ad quæ ego commentationis miracula nihil nunc aliud notabo præterquam hoc unum, hanc nempe Rabbinorum expoſitionem neutiquam procedere. Dicitur quippe *vers.* 11. non, המקום פגע בו / *Locus ille* ei (Jacobo) *occurrit*; ſed, ויפגע במקום / *& ille* (Jacobus) *occurrit*, i. e. *pervenit in locum.* Merentur & hic conferri

Breit-

Breithaupti notæ, & quæ ex Judæis congeſſerunt etiam Jo. Druſius in *h. l.* & ad *vers.* 19. nec non Cartwrigtus; ac antè eos Petrus Martyr. At toto ruſſus hi cœlo errant, cum ipſâ *vers.* 19. hic nobis præeunte diſertis verbis Hiſtoria Sacra, hujus loci nomen exſtiterit antea *Luz*, non Οὐλαμλὺς, uti habent οἱ LXX. ex duabus vocibus, quæ in textu Hebræo exſtant, אולם לוז/ unum nomen fruſtrà conficientes: cùm אולם ſignificet *veruntamen:* qua de re conferatur Buxtorfius in *Anticrit. Part.* 2. *Cap.* 8. *pag.* 664. ſed ſimpliciter *Luz*, quod à Jacobo verſum fuit in *Bethel*, ob rationem in ſequentibus allegatam: eratque deinceps ſita ea urbs in tribu Benjaminis, *Joſ.* 18: 13. Sic etiam Cl. Relandus *Palæſt. S.* L. 3. p. 841. *Bethel urbs erat tribus Benjamin, ſecundum Joſ.* 18: 22. *ſed ea ſita erat in confiniis tribus Ephraim, ſecundum Joſ.* 16: 2 & 18: 13. Cùm verò in confiniis Ephraim ſita fuerit hæc urbs, potuit inde fieri, ut nonnulli eam tribui iſti vindicarint. Ita & idem Vir Celeberrimus *loc. cit.* p. 636. *Fuit Bethel in Ephraim: ſed in confiniis Benjamin: nam limes auſtralis tribus Benjamin juxta eam tendebat.* Saltem diſertè a *Jebuſi*, id eſt, *Jeruſalem*, diſtinguitur, ac ſeparatim deſcribitur. Conf. & *Judic.* 1: 13. nec non 1 *Reg.* 12: 29. ubi Jeroboamus collocat unum vitulorum *Bethele*, ne aſcenderet populus Jeroſchulaima. Diſtat ergo Bethel ab Hieroſolymis. Faceſſat itaque hoc Judæorum commentum, quod ſanè Samaritanis valde faviſſet, ſive illis idololatris, qui hic loci ex Jeroboami inſtituto poſtea exſtruebant, & vitulos colebant. Si enim recentiores Samaritani de monte Garizim gloriabantur, *Patres ſuos ibi adoraſſe*, *Joan.* 4: 20. etiamſi inde a tempore Sanneballati id modò factum eſſet; (Vide Belgas in *h. l.*) Si illi porro adeo gloriabantur de puteo illo, ex quo *biberat* olim *Jacobus pater eorum*, *cum filiis ſuis & ſuo pecore*, *ibid. vers.* 12. quantam, quæſo, gloriam in eo poſuiſſent antiquiores illi, ſi ſuum illud idololatricum *Bethel* non tantùm fuiſſet locus apparitionis hujus Jacobo factæ, quod negari non poteſt; ſed etiam ſitum eſſet in monte Moriæ, & in ipſo loco propemodum Templi Hieroſo-

roſolymitani? quod nunc falſiſſimum eſt, uti ex Geographia ſacra conſtat. Quamobrem quoque mirum eſt Judæos iſtos non cogitaſſe, quod non duo, ſed unus modò locus *Bethel* dictus in Canaäne fuerit notus, & ille quidem ſitus, non in Moria, aut apud Hieroſolymas, ſed in tribu Ephraim; uti dictum eſt. Sed non vacat his amplius immorari, quæ & pluribus inter ipſos etiam Pontificios refutavit Bened. Pererius, & poſt eum Claud. Fraſſen in *h. l.*

2. Modus 1. *Pernoctabat ibi.*

X. Ad hiſtoriam redeo, quæ refert hic loci *pernoctaſſe* Jacobum. Non utique eam ob cauſam, quod pluris hunc locum quam alium quemvis fecerit, ac ſi major ibi fuerit ſanctitas; aut Dei domicilium; adeoque locus precationis, de quo multa habent Judæi: vid. Schotani *Biblioth. Hiſt. S. Tom. 1. ab Abrahamo* &c. p. 317. Videtur enim animus ei fuiſſe progrediendi ulterius; ſed illic pernoctavit loci, quia, uti ipſe notavit Moſe, *occiderat ſol.* Non quod *ſol ei repente occubuerit tempore non ſuo* (id eſt, citius, quam ejus ordinarius occaſus eſſe ſolet, uti vult R. Sal. Jarchus) ſed quod dies citius quam fortè opinatus erat Jacobus defecerit, noctisque ſupervenientes tenebræ ei in itinere remoram dederint, quibus maturius oppreſſus antequam in oppidum aliquod divertere poſſet, vel vicinam ipſam Luzam pervenire, idcirco idoneam hic ſub dio quietem ceperit. Qua ſimplici obſervatione confeſtim rurſus ea cadunt, quæ Joſephus habet *Antiq. Lib.* 1. *Cap.* 19. Patriarcham noſtrum eapropter ſub dio pernoctaſſe, quod *nollet ad quemquam divertere, cum ſimultatem haberet cum gente Canaänæa*; vel omnes iſtius regionis incolas urbeſque ſuſpectas haberet ob inſidias fratris Eſavi. Quæ citra omnem veriſimilitudinem dicuntur. Placent hic verba Conr. Pellicani in *h. l. Ubi ſol occubuiſſet, ibi ſomnium ſuſcipit.*

11. Ex lapidibus iſtius loci diſpoſuit cervical. Lapidibus unxit altari

XI. Hic loci noſter *ſumſit de lapidibus iſtius loci, diſpoſuitque cervical ſibi*, vice pulvinaris; *ſicque cubavit in illo loco*, terra cubilis ipſi vicem præſtante. Judæorum Magiſtri plurimi, qui hunc locum Moriam fuiſſe cenſent, ubi Iſaäcus immolandus fuiſſet, fingunt *hos lapides* Jacobum ſumſiſſe *ex lapi-*

lapidibus altaris, ſuper quo olim ligatus fuerat Pater ipſius Iſaäcus. Verùm & inſuper, cùm videant hic *vers.* 11. in plurali ſermonem inſtitui de *lapidibus*, cùm *vers.* 18. unius duntaxat *lapidis* mentio facta fuiſſet, ad illa concilianda mira hic denuo excogitant, figmenta addentes figmentis. Ita quippe Salom. Jarchus in *h. l.* eſt commentatus: עשאן כמין מרזב סביב לראשו מפני חיות רעות התחילו מריבות זו עם זו זאת אומרת עלי יניח צדיק את ראשו וזאת אומרת עלי יניח צדיק את ראשו מיד עשאן הקיבה אבן אחד וזה שנ׳ ויקח את האבן אשר שם מראשתיו וגו׳ Quæ ex verſione Breithaupti ita ſe habent: *Fecit illos* (lapides Jacobus) *tanquam aggerem* (ſive murum) *circa caput ſuum propter feras beſtias: cœperunt* (ſcil. lapides iſti) *inter ſe rixari: hic dixit: ſuper me reclinet juſtus iſte* (ſcil. Jacobus) *caput ſuum. Ille dixit: Super me requieſcat. Confeſtim Sanctus ille Benedictus fecit illos unum lapidem. Et hoc eſt quod dicitur* (*vers.* 18.) *Et tulit lapidem, quem poſuerat ſibi cervical.* Ajunt porro accepiſſe Jacobum ex modò dicti altaris lapidibus *lapides duodecim*, *illosque collocaſſe ſub capite ſuo iſthoc in loco, ut indicaretur inde ſuſcitatum iri duodecim Tribus: iſtos autem cunctos lapides factos unum lapidem, ad ſignificandum omnes iſtas Tribus fore unam gentem, prout dicitur* 1 *Chron.* 17: 21. *Quis ſicut populus tuus Iſraël, gens una in terra?* Ita legimus in *Pirke* R. Eliëzer *Cap.* 35. *p.* 87. Quæ figmenta Judäica quis credat Chriſtianos quoſdam ex parte imitatos eſſe, fingendo tres Jacobum accepiſſe lapides, eoſque converſos in unum; quo ipſi ſignificatum fuerit adorandum S. S. Trinitatis myſterium. Sed audiamus ipſum Lyranum: *Dicunt*, inquit, *Ebræi, quod accepit lapides; & ſatis videtur ex textu, quod accepit plures ex eo, quia dicitur* de lapidibus. *Et quando evigilavit, invenit, quod illi tres lapides facti erant unus lapis. Et hoc videtur per literam ſequentem infrà:* Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo. *Et dicunt, quod hoc fuit in ſignum unitatis eſſentiæ in Deo, & Trinitatis perſonarum, de cujus apparitione hic agitur. Vel in ſignum trium naturarum in Chriſto, ſcilicet corporis, & animæ, & Deitatis in unitate perſonæ,*

Iſaäci; non præciſe duodecim, ad tribus Iſraëlis; aut tribus, ad tres divinas perſonas indicandas; ſed uno majori, de quo Judæi mira fingunt.

næ: quia de benedicta incarnatione fuit hæc revelatio facta ipsi Jacob. Sed talia similiaque, etsi placere potuerint Lyrano, homini ex Judæo ad Christianam transgresso fidem, nihil tamen habent solidi, nihil etiam auctoritatis ex Antiquitate. Hujus enim commenti nec Hieronymus meminit, nec Veterum quisquam. Non me latet Judæos hic nonnihil quoque habere de tribus lapidibus. Ita namque legitur in *Midrasch Tilliim* ad verba *Psal.* 91: 11. אמר רבי נחמיה שהיה יעקוב מהרהר מה עשה נטל שלש אבנים שני יקח מאבני המקום ואמר אם האל מיחד שמו עלי כשם שייחד על אבותי יעשו כולן אחת עמד ומצאן כולן אחת שנאמר ויקח את האבן כלמר שנעשו כולן אדת ורבנן אמרים מיעוט אבנים שנים והשכים יעקוב ומצאן אחר: Quæ ita interpretatur Raimundus *Pug. Fid. Part.* 3. *Dist.* 3. *Cap.* 1. §. 11. *Dixit Rabbi Nehemias: In hora qua Jacobus fuit murmurans orando quid fecit? Accepit tres lapides, sicut dictum est Gen* 28: 11. *& ait:* Si Deus fuerit uniens nomen suum super me, sicut univit super patres meos, fiant omnes unus. *Stetit, & invenit eos omnes unum: sicut dictum est ibidem Vers.* 18. Et accepit lapidem. *Per hoc docet, quod facti sunt omnes unus.* Quod quidem Raimundo *loc. cit.* aliisque ansam præbuit cogitandi, ac si Judæi hic quoque aliquid de ratione mysterii unionis naturarum in Christo vidissent. Hoc enim modo scribit Raimundus: *Sive autem tres lapides acceperit, sive duos; sive primò tres, & postea duos; optime utrobique significatum prædictæ unionis adimpletur. Duorum quippe unio lapidum signavit unionem duarum naturarum in Christo, divinitatis scilicet, & humanitatis. Trium verò, trium substantiarum, Verbi scilicet, animæ, & corporis in una Christi persona.* Hæc Raimundus ex ordine Prædicatorum Monachus, qui floruit circa Annum a Christo nato 1270. verùm, ut verum dicam, talia mysteria ex verbis Judæorum nequaquam apparent; neque tali etiam auxilio eget res Christiana. Immo verò si rem ipsam examinemus, quis, quæso, vel Judæos docuit, vel Christianos, aut *duodecim*, aut *tres* hic fuisse lapides, cùm nu-

me-

merus non exprimatur? Quod verò ad fundamentum totius figmenti attinet, ignorat nemo juxta linguæ Hebrææ genium de *uno* facile *lapide* intelligi posse, quod in plurali de *lapidibus* dicitur. Quô tamen effugio opus non est, si attendamus dici ipsum accepisse, non *lapides*, sed *de lapidibus istius loci*, unum nempe grandiorem aptioremque, qui pro cervicali commodius ei inservire posset, quem suo supposuerit capiti: & tunc postea *vers.* 18. addi, sumsisse eum אֶת הָאֶבֶן / *lapidem illum ipsum*, quem scil. cervical fecerat, *eumque posuisse in statuam.* Quibus, quia in fabulis recensendis nunc versor, simul modò addam alia quædam Judæorum somnia, quod scilicet hunc eundem lapidem Deus projecerit in abyssi profunditates, & conspiciendum ibi dederit Jonæ Prophetæ, cùm esset in ventre piscis; aut quod in medio mundi, sive terræ centro collocaverit, ex quo centro excreverit, aut expansus & fundatus fuerit mundus. Quò referunt istud *Job. Cap.* 38:6. ubi Deus de fundatione terræ ita loquens inducitur: *Cui rei bases ejus demersæ incumbunt? aut quis jecit lapidem angularem ejus?* Unde nonnulli ajunt eum vocari אֶבֶן שְׁתִיָּה / *lapidem fundationis:* aut quod super eo, ut porro fingunt Talmudici, steterit Templum Domini, illeque in Sancto Sanctorum fuerit inde a temporibus priorum Prophetarum, & in eo reposita arca fœderis. Immo, quod magis est, ei inscriptæ literæ illæ nominis Tetragrammati, quibus postea furtim ablatis Jesus vi harum sua patrârit miracula. Talia reperiuntur in *Pirke* R. Eliezer. *Cap.* 10 & 35. Bartolocci *Biblioth. Rabb. Part.* 1. *p.* 204. Buxtorf. *Lex. Talm. Rabb.* ad vocem שְׁתִיָּה / Quò ex parte spectare etiam videtur historia Saracenica Elmacini, de Omaro Hierosolymam ingresso narrans, quod hic dixerit Patriarchæ; *Indica mihi locum in quo ædificem Templum.* Dixit ei Patriarcha: *De petra, super qua Jacobum compellaverat Deus. Ad quam quum accessisset Omarus, jussit ut Templum ibi strueretur.* Conferatur Doctiss. Lud. de Dieu *in Animadvers.* in *h. l.* Plura recensere supersedeo, neque est ut ejusmodi næniis refutandis nunc operam abutar, quorum ipsorum Judæo-

rum cordatiores pudet, ſi nempe juxta literam capiuntur, uti fecerunt Morinus & alii. Verùm iis more Judaïco ſublimior plerumque & myſticus ſubeſt ſenſus. Namque ideo R. Simeon Jochaida, in lib. *Socharis*, id omne רזה עמיקא / *arcanum profundum, ac penitus abſtruſum* vocat, quòd non ita, ut ſonat, accipiendum ſit. Ita quippe ipſe Clar. Jo. Meierus notat *Diſſert.* de *Myſterio S. S. Trinitatis* §. 117. qui & ibi paradoxa hæc in bonum ſenſum vertit, & eruditè docet, quid per illum *lapidem fundationis*, qui dicitur *medium punctum terræ*, indigitari poſſit, nempe חכמה / *Sapientia. Hinc* (pergit vir Doctus) אבן *dicitur quaſi* א Corona, & בן filius. *Hic eſt lapis* (addit R. Simeon Jochaida) *probationis* &c. *Eſai.* 28: 16. *Lapis*, *Pſalm.* 118: 22. *Lapis unus*, *ſuper quo ſunt ſeptem oculi. Zach.* 3: 9. *Sapientia*, *quæ ædificavit domum* &c. *Prov.* 9: 1. *Idem eſto judicium* (inquit) *de reliquis*, *quæ Morinus pro fabulis habet.* Verùm hæc nunc ſuo relinquimus pretio, in literali adhuc verſantes explicatione, poſtea & ipſi ſuo loco inquiſituri, an, & quomodo, *Lapis* hic a Jacobo *unctus*, emblema Meſſiæ fuerit? Hic nunc id unum modò dicam, *Lapidis* hic mentionem fieri, ut ſic ab una quidem parte rigidam videamus, ac minimè mollem iſtius ætatis hominibus vivendi ſimplicitatem; ab alterâ verò via ſternatur ad illam, de quâ *vers.* 18. lapidis conſecrati narrationem. Quod & rectè obſervavit Franc. Junius in *h. l.*

XII. Hic loci itaque, & tali in ſitu ſuaviter pernoctat dormitque noſter Patriarcha, quin & feliciſſimo utitur inſomnio; Deo ei apparente in *Viſione*, & audito in *Sermone.* Quoad primum, *ſomniavit*, *& ecce vidit ſcalam conſtitutam in terra*, *cujus ſummitas pertingebat ad cœlum*; *& ecce Angelos Dei adſcendentes & deſcendentes per eam*, *viditque* JEHOVAM *ſtantem ſupra eam.* Spatioſus hic foret de *Somniis* agendi campus, quid ea ſint, & quæ eorum cauſæ naturales, niſi jam huic noſtro pepercisſet labori longè Doctiſſ. Ger. Jo. Voſſius *de Idolol. Gentil. L.* 3. *Cap.* 35. ubi ex omni retro Antiquitate erudita multo cum diligentia ac judicio ea coacervavit, quæ ſparſim hic & illic reperiuntur: nec non Cælius Rhodigi-

XII. Somniat ibi ſomnium. *Ubi* 1. *de* inſomniorum *variis ſpeciebus, & de criteriis ſomni a Deo immiſſi.*

nus

nus *Antiq. Lectiion.* L. 27. C. 7. *& ſeqq.* Guil. Spencerus, in *Notis* ad Origenem contra Celſum, *Edit. Cantabr. p.* 28. *&* 29. & adduxit catalogum Auctorum veterum, qui ex profeſſo de ſomniis, & eorum quoque interpretationibus ſcripſerunt, Jo. Alb. Fabricius *Biblioth. Græc.* L. 4. C. 13. ſive *Tom.* 3. *pag.* 404. &c. Solent præterea Theologi paſſim diſtinguere ſomnia in *Naturalia*; quorum ex meris cauſis naturalibus principium derivandum: *Divina*; quæ Deum: & *Diabolica*, quæ malignum iſtum Spiritum auctorem habeant. Conferantur ea quæ adducit Joan. Gerardus & alii plures in *Comment.* ad *Matth.* 27: 19. occaſione ſomniantis uxoris Pilati. Neque omnia iſthæc ſomnia vana eſſe ſemper, dudum obſervarunt Eruditi, & plena eſt exemplorum ejusmodi omnis hiſtoria vetus ac recentior. Quale eſt, quem produxit Joach. Camerarius *in vita Melanthonis* ſingularem planè caſum in ſomnio Guil. Niſen: nec non Phil. Camerarius *Hor. Subcis. Cent.* 1. *Cap.* 69. in ſomnio matris Scanderbegi, & *Cap.* 71. in ſomnio Alexandri M. Tyrum obſidentis. Notiora ſunt quàm ut hic in medium reduci debeant decantatiſſima Swinglii, Peuceri, aliorumque ſomnia, de quibus juxta alios videri poteſt Heideggeri *Diſſert. Sel. Part.* 1. pag. 98. nec non Witſii *Miſcell. Sacr. Tom.* 1. *L.* 1. *Cap.* 4. qui *Cap.* 24. §. 27. Swinglii ſomnio Divini quippiam adfuiſſe autumat. Qua de re luculenter diſſerentem quoque audire juvat Ven. Rivetum noſtrum *Exerc.* 124. *in Geneſin.* Omnis difficultas in eo eſt, ut certa ſtatuantur indicia, quibus ſomnia Divina ab aliis ſecernantur: quia illa optimè is demum dare poteſt, cui ejuſmodi aliquando ſomnium obtigit. Et ne vel ſic quidem poteſt ea tam clarè aliis exprimere, quàm apud animum ſuum experiendo ea ſenſit. Hæc nihilominus a poſteriori ſtatui poſſunt indicia tria gradatim adſcendentia. 1. Quod rerum ideæ clarius, diſtinctius, & fortius imaginationi imprimerentur; & hinc tanta ſomnio adeſſet claritas, tantum lumen, ut nullus dubitationi relinqueretur locus, quia iſtud haberet cauſas vulgaribus & naturalibus majores. Quod 2. eò magis confirmabatur, ſi iſthoc ſomnium Deo homineque in-

dignum non eſſet. Uti, ſi iſtud ad Deum duceret, de re momentoſa ac gravi ageret, perſonis eveniret præcellentioribus, & ſive pietate, ſive ſapientia, ſive dignitate conſpicuis, & ſimilia. 3. Omnem pertinaciam vincebat, ſi Deus ſomnianti adeo altam ſimul impreſſionem Majeſtatis divinæ præſentis inderet, ut ſentiret ille ſe in ſomnio extraordinarium quid ac Divinum plane deprehendere, quod a nemine quàm a Deo proficiſci poſſet. Unde ſæpenumero animi illa ſollicitudo ac reverentia, quæ vel in Ethnicis Regibus Pharaone & Nebucadnetzare ſomniantibus locum habuit. Qualis verò naturæ hocce noſtri Jacobi exſtiterit ſomnium, ex omnibus, quæ ſequentur, circumſtantiis ultro palam fiet.

e. Etiam reſpectu hujus Jacobi *inſomnii ex circumſtantiis ejus, pertinentibus* 1. *ad viſum*: Scala *ſcilicet* pertingens a terra uſque ad cœlum. *Ubi figmenta Judæorum.*

XIII. Hæ autem vel ad *Viſum*, vel ad *Auditum* referuntur. Ad *Viſum* pertinet: *Ecce ſcalam conſtitutam in terra, cujus ſummitas pertingebat ad cœlum*, tertium puta, ipſius Dei, nec non Angelorum domicilium. Judæi noſtri hic iterum ſupra id quod ſcriptum eſt ſapientes, hujus ſcalæ formam ſitumque definire auſi, ejus pedem ſtetiſſe ajunt in Beërſeba, unde profectus fuerat Jacobus; altitudinem attigiſſe Bethelem, ubi nunc temporis degeret; mediam verò ejus partem verſus Hieroſolymam inclinaſſe. Vid. Jarchum in *h. l.* Immo ſcalæ gradus alii quatuor, quidam ſeptem faciunt. Sunt qui centum & octoginta enumerant. Hæc videre ſunt apud Maimonidem *More Nebochh. Part.* 2. *C.* 30. qui pluribus agit de *numero quaternario:* & in *Pirke* R. Eliëzer. *Cap.* 35. alioſque. Nugæ profectò, diſertè nobis referente Moſe, ejus ſummitatem pertigiſſe *ad cœlum:* æreum puta, quod & expanſum dicitur, quod apertum videtur a Jacobo ſic viſum, ad modum *portæ*, per quam ingreſſus datur. Ita quippe Jacobus hunc locum in ſequentibus deſcribit tanquam *domum Dei cœlique portam.* Quod cœlum ſcala hæc non intravit penetravitve, ſed infrà modò attigit. Narrat porro Moſes *Angelos*, & *Dei* quidem, Triunius ſcilicet, (in diſtinctione ad JEHOVA, cujus mox fit mentio) ſpecie corporea, *adſcendentes & deſcendentes per eam*, de cœlo in terram, & vice verſa Patriarchæ ſomnianti viſos fuiſſe.

Et

Et quod omnis hujus nocturnæ visionis facile caput est, *Ecce* JEHOVAM *stantem supra eam.* Hæc adeo mihi clara sunt verba, ut satis mirari nequeam, quò Ill. Grotius hic intelligat *insigniorem Angelorum, qui Dei personam referebat.* Simile habet Jo. Clericus Grotium sequens & passim admirans. Itane, *insignior Angelus* Mosi erit JEHOVA? Itane, hiç Angelus se ipsum describens dicet; *Ego sum* JEHOVA, *Deus Abrahami Patris tui?* Hoccine sibi creatura nomen arrogabit per repræsentationem personæ, quæ comica est? Hunccine ipse Jacobus pro JEHOVA agnosceret, eique votum faceret cultus religiosi? Apage commentationes in Deum, & Dei Filium, & Angelos injurias! Nos teneamus diserta historiæ literam, quæ tradit JEHOVAM hic stetisse, visibili quoque formâ, ut etiam sæpe aliàs factum in visionibus, & uti probabile videtur, humano in corpore, in signum futuræ olim suæ in carne manifestationis. Quam quidem JEHOVÆ apparitionem tot & tanta Divinæ Majestatis comitata fuere signa, ut ex his facilè ab Angelo quôvis discernendus, ac pro Domino gloriæ agnoscendus esset. Is enim non tantùm Angelos ceu ministros suos descendere faciebat & adscendere, sed & talia loquebatur promissa, quæ præstare poterat utique nemo, qui Deus haud erat omnipotens, sibi & creaturæ omnino sufficiens. Iste verò *in scalæ summitate stabat*, non otiosus Jacobi spectator, verùm tanquam paratus ad descendendum, eique suppetias ferendas, tanquam ejus defensor atque Angelorum ultro citroque commeantium Imperator.

Et Mosis commendatio per triplex הנה / Ecce.

XIV. Et ne quispiam fortè existimet inanem tantùm hic fuisse visionem somniumve vanum ortum è confuso Jacobi cerebro, propter corporis ac spirituum delassationem nimiam, sed contrà credat summæ attentionis negotium hic sibi proponi, ideo Moses ter quidem repetit emphaticum istud הנה / *Ecce:* primò ad visionem *scalæ*; secundò, *Angelorum*; tertiò, ipsius *Domini.* Quô notatur 1. has visiones haud simul unico ictu oblatas Jacobo, sed successive unam post alteram, ut ita distinctius eas contemplari posset. 2. In iis gra-

gradus dari, ut prima quidem magna fuerit, ſecunda major, tertia verò maxima omnique attentione digniſſima. Quamobrem indagare ſummopere neceſſe erit quid myſterii hic lateat. Quod tamen nemo aſſecuturus eſt ſatis certò, niſi qui primò verè iſtum interpretatus fuerit ſermonem, quô Dominus in hujus ſcalæ conſiſtens ſummitate ad Jacobum utitur. Eô intellectô reliquorum intellectus verus ilico ſponte fluet. Faciamus periculum. At cùm hæc promiſſa Patribus facta jam aliquoties in prioribus occurrant, hic loci modò repetita, breviter ea duntaxat & convenienter ſcopo illuſtraturi ſumus.

Mira commentatio Judæi cujuſdam in hanc hiſtoriam.

XV. Quod antequam faciam, tanquam ἐν παρόδῳ hic intermiſcebo miram aliquam commentationem Simonis cujuſdam Judæi de Jacobo noſtro, ejuſque ſomnio & ſcala. Citat eam Reuchlinus *de Arte Cabbaliſticâ Lib.* 1. his verbis: *Iſaäco de filiorum altero ſpes non erat, qui jam benedictionem paternam exercitatione venandi amiſerat: Eſau nomen ei fuit. De altero magna ſibi pollicitus pater prædicit his verbis rei venturæ vaticinium prætendentibus: Servient tibi populi, & adorabunt te gentes. Non acciderat igitur ſine cauſa de Jacob, (ſic enim appellabatur iſte filius) tam ingens majoribus noſtris univerſæ ſalutis exſpectatio, ſed quia omnium mortalium primus ipſe vidit portam cœli apertam, & ſcalam è terra cœlum porrectam, & in ea conſiſtentes quatuor literis J. H. V. H. quas apprehendere gerebat in votis. Conſonantem quoque Sin per Notariacon* שמן / *id eſt, unctionem deſignantem operi adjecit, quo delibutum lapidem in templum quoddam nomine Bethel exædificavit. Augebat ſuſpicionem, quod Angelus Peliël Jacob erat familiaris, qui multa conſtanti opinione & ſermone præmonuit: tum quod Jacob elegit ſibi Deus: tum quod beatus erit ille, cui Deus Jacob in adjutorio ejus. Scribunt autem Cabbaliſtæ ſic:* רבו של יעקב פליאל *id eſt, Præceptor Jacob* fuit *Peliël. Sed edoctus ab Angelo ſuo Jacob, ſe non fore illum Salvatorem, quem hactenus cœleſtis Cabbala prætulerit, negotium in aliud ſeculum divina revelatione rejecit, ſic dicens:* (ſcil. *Gen.* 49: 1.) *Congregamini, & annunciabo vobis, quod continget in poſtremo dierum.*

Non

Non auferetur ſceptrum de Juda, & Legislator de femore ejus, donec veniat Silo, & eidem erit congregatio gentium. Quo vaticinio innotuit aliquem quandoque fore Salvatorem humani generis, qui & ex Juda, & in poſtremis dierum naſceretur, & eſſet Silo, & ſceptrum regni gereret, & ad ipſum gentes confluerent. Ita Simon ille apud Reuchlinum. Cui addere licet quod etiam à Chriſtianis hæreticis Ebionæis traditur liber aliquis confictus fuiſſe, cui titulus erat *Scala Jacobi:* in quo Jacobus Patriarcha introducebatur exponens ſomnium de Scala ad cœlum uſque pertingente. Ejus meminit Epiphanius *Adverſus Hæret.* L. I. T. 1. *Hæreſ.* 30. ita ſcribens: Ἀναβαθμούς γάρ τινας καὶ ὑφηγήσεις δήθεν ἐν ἀναβαθμοῖς Ἰακὼβ ὑποτίθενται, ὡς ἐξηγουμένου κατά τε τοῦ ναοῦ, καὶ τῶν θυσιῶν, κατά τε τοῦ πυρὸς τοῦ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ ἄλλα πολλὰ κενοφωνίας ἔμπλεα. Id eſt: *Scalas enim quaſdam, & in ipſas ſcalas expoſitiones Jacobi proponunt* (Ebionæi) *velut qui exponat contra templum & ſacrificia, contraque ignem in altari, & alia multa vanitate plena.* Hæc illi: quæ nos ſuo loco nunc relinquemus.

XVI. Qui verò loquens de ſcala conſiſtens auditur eſt JEHOVA, dicens; *Ego ſum Deus Abrahami patris tui, & Deus Iſaäci.* Horum poſterius mirantur ſummopere Judæorum multi; cujus rationem totam verbis Sal. Jarchi exponam: *Quamvis*, inquit ille, *non reperiamus in S. Scriptura, quod Sanctus ille Benedictus appropriet nomen ſuum juſtis, dum ipſi adhuc vivunt, ut ſcribatur: Deus hujus, vel illius, quoniam dicitur:* (Job. 15: 15.) Ecce in ſanctis ſuis non confidit; *hoc verò loco appropriat* (Deus) *nomen ſuum Iſaäco, quoniam caligaverant oculi ejus, ipſe in domo ſua concluſus degebat, & ecce tanquam mortuus erat, atque cogitatio ab eo receſſerat.* At fallit hæc hypotheſis. Eliëzer enim ſervus Abrahami adhuc viventis invocat *Deum Domini ſui*, Gen. 24: 12. Si autem Eliëzer licuit JEHOVAM nominare *Deum Domini ſui* adhuc viventis, cur JEHOVA ſe ipſum non perinde ſic vocaret? Sed & prius mirantur iidem Hebræi, inquiruntque in cauſam, cur Deus loquendo de Abrahamo addat, *patris tui*, quod non addit reſpectu Iſaäci? Varia hic fingunt. Sim-

2. *Ad auditum:* JEHOVA *ait,* Ego ſum Deus *&c. Quæritur quo ſenſu Deus ſe* Deum viventis *adhuc* Iſaäci *vocet?*

pliciſſimum mihi videtur, ſi dicamus ideo illud *patris tui* reſpectu Iſaäci non repeti, illudque de Abrahamo ſolùm dici, quod huic, tanquam patri futuro ſeminis alicujus benedicti carnalis & ſpiritualis, inſignes iſtæ promiſſiones, quarum filius ejus Iſaäcus conſtitutus etiam erat hæres, primùm factæ ſint. Jacobus ergo hæres earundem futurus promiſſionum, denominandus eſſet, æque ac omnium Judæorum ea erat gloria; *Nos Abrahamum habemus patrem*, *Matth.* 3: 9. *Joan.* 8: 39. filius, non *Iſaaci*; (hic enim pater fidelium non fuit conſtitutus) ſed *Abrahami*. Quam Abrahami prærogativam & ipſe Iſaäcus agnovit. Nam promiſſionem a ſe datam Jacobo confirmaturus dixit *verſ.* 4. hujus *Cap. Det tibi Deus benedictionem Abrahami*. Sed ad rem ipſam: ubi obſervo, Deum ſe *Deum* dicere *Abrahami* & *Iſaäci*, tanquam qui cuncta ſua erga eos adimpleverat promiſſa, factus *Deus fœderis*, ac ſemini eorum poſt ipſos idem futurus. Quô ipſo ſic facilè ſibi certò perſuadere poterat Jacobus, eundem JEHOVAM, nunc ſuum quoque Deum, ſe æque cuſtoditurum, nec non omnibus antè factis promiſſis, ac antè parentes ſuos illos, Abrahamum ac Iſaäcum, accumulaturum.

Tria ibi promiſſa ſunt generaliora.

XVII. Nonnulla porro iſtorum promiſſorum allegat atque repetit Deus: quorum priora tria ferme eadem ſunt cum iis, quæ olim jam dederat Abrahamo *Gen.* 12: 1-3. & nos jam antè explicuimus *L.* 11. *Diſſert.* IV. in *loc. cit.* §. XXIV. & *ſeqq.* Unô itaque nunc verbo ſolùm. Horum Primum iſtud eſt: *Hanc ipſam terram, in qua tu cubas, tibi dabo & ſemini tuo.* Quod non capiendum, ut res ipſa docet, de ſpatio iſthoc ſingulari, in quo ille dormiebat; ſed Synecdochicè, de tota terra Canaänis, cujus hic locus pars exſtabat, quæque promiſſa fuerat Patribus ejus modò memoratis. Fabula enim eſt, quam hic habet Jarchus: *Circumvolverat* (h. e. quaſi in unum locum congregaverat) *Deus omnem terram Iſraëliticam ſub Jacobo* hic dormiente. Atque ſic hæc promiſſio coincidit cum iis quæ reperiuntur *Gen.* 12: 7. 13: 15-18. 17: 8. *Secundum* verò: *Et erit ſemen tuum* (qui hactenus cœlebs erat) *ſicut pulvis terræ*, qui numerari nequit. Adeo ut gentem Hebræam meri-

meritò vocaverit Hecatæus πολυανθρωπότακον, *hominum fœcundiſſimam*, obſervante Grotio in *h. l.* Additur alibi; *Et ſicut ſtellæ cœli*, quod ſuo loco explicatum eſt *Lib.* II. *Diſſert.* VI. in *Gen.* 15: §. XLVI. *Adeo ut erumpas*, multitudine ſeu copia, ſobolis non tantùm, conf. *Eſai.* 54: 3. ſed vi quoque maxima & celeritate, adinſtar aquæ, magna ſimul vi ac copiâ ſe effundentis quaquaverſum, victis obicibus, ita ut ſolitis locis capi neque includi poſſit. Metaphora enim ſumta eſt a fontibus, tam largâ ſcaturientibus aqua, ut flumina inde orta magna copia ac vi erumpant. Sic verbum פרץ occurrit 2 *Sam.* 5: 20. *Dirupit Dominus inimicos meos coram me ut rupturam aquæ:* id eſt, ut aqua largiter erumpens vi ac copiâ ſuâ obvia quæque repagula, omnesque aggeres ſternit. Idcirco David locum iſtum vocavit בעל פרצים / quaſi *locum rupturarum.* Vid. Pagnini *Lexicon* ad hoc verbum. Sic etiam Jacobus hic ſtatuitur inſtar fontis cujuſdam aquas largiſſimas totaque flumina poſterorum ejecturi; adeo ut hi contineri non poſſint amplius antiquis ſuis terminis, unâ domo, urbe, regione, ſed excreſcentes ſemper, & quidem contra omnia impedimenta perſecutionum & oppreſſionum (ex. gr. in Ægypto, *Exod.* 1: 12.) extendantur magis magisque undique, ſive uti Deus ipſe id hic vocat; *in Occidentem, & in Orientem, & in Septentrionem, & in Meridiem*, in omnes adeo orbis terrarum univerſi plagas. Quod non tantùm intelligimus de ſemine ejus naturali, at & ſpirituali, colligendo ipſi ex omnibus totius terræ populis, ut ita conſtitueretur Pater multarum gentium, & mundi hæres æquè ac Abrahamus. Atque ita hoc promiſſum re ipſa idem eſt, phraſi tamen differens, cum illo *Gen.* 12: 2. 15: 2. 22: 17. ſatis ante explicato *loc. cit.* Nam ipſius Abrahami benedictiones hic a Deo transferri in Jacobum, uti antea *Gen.* 26: 4. nominatim tranſlatæ fuerant in Iſaäcum, ſatis patet ex eo, quod mox ſequitur *Tertium: Et benedicentur in te, & in tuo ſemine, omnes familiæ terræ*; cujus locutionis emphaſin ſatis expoſui ad *Gen.* 12: 3. §. XXXVI. *& ſeqq.* Cùm verò *Seminis* Jacobi hic mentio injiciatur, tanquam omnis benedictio-

dictionis cauſæ, quod eſt Meſſias; ſequitur hoc promiſſum & promiſſionem primam *Gen.* 3: 15. complecti ac renovare. Unde & iſtud colligo, has benedictiones haud juxta literam duntaxat intelligendas eſſe reſpectu rerum terrenarum; ſed maximè cum relatione ad ſpiritualia ac cœleſtia: quod hoc loco vel inde ſatis confirmatur, quod hæc, quam videbat Jacobus, ſcala pertingeret *ad* ipſum *cœlum*.

Quorum quodlibet aptiſſimum erat ad Patriarchæ noſtri exulantis conſolationem.

XVIII. Atque hæc breviter ſic dicta ſunto ad harum trium promiſſionum intelligentiam. Verùm juvabit in genere adhuc paucis obſervaſſe, earum quamlibet apprime noſtri Patriarchæ jam exulis & vagabundi, quem multae anxietates ac pericula intus & extus turbabant, ſolatio inſerviiſſe. *Primò* namque dereliquerat domum paternam, fugâ ſe eripiens fratris Eſavi inſidiis, quem itaque videbatur poſt ſe relinquere tanquam filium familias, unicumque hæredem & bonorum paternorum, & terræ Canaänis; at polliciens Deus ſe daturum ipſi nihilominus hanc terram, & ſemini ejus poſt ipſum, hoc ipſo ſibi perſuadere poterat Jacobus, ab una quidem parte, felicem futurum hunc ſui itineris ſucceſſum, nec ſeſe exiturum tantùm, nec in via periturum, ſed ſalvum aliquando rediturum: ab altera verò, hanc terram nunquam Eſavi fore, vel ſeminis ejus, quicquid ille propterea molitus jam eſſet, aut adhuc moliretur contra Jacobum. Deinde Jacobus hoc ſuadente matre, *Gen.* 27: 48. jubente patre *cap.* 28: 2. volens ipſe *vers* 6. & 7. ſuſcipiebat iter *ut uxorem duceret*, ex longè diſſita Abrahami cognatione. Quæ res ſi Eliëzeri Abrahami ſervo adeo dubia & difficilis videbatur, ut pene deſperandam eam ſtatueret, etſi Iſaäcus eſſet unicus Abrahami ditiſſimi & celebratiſſimi filius, *Gen.* 24: 5. coll. *verſ.* 35. quæ, quæſo, ſpes ſucceſſus Jacobo filio ſecundo, & nunc a fratre majori ejecto in exilium, ſupereſſe poterat? Iſtud tamen matrimonium ex animi ſententia ei ſucceſſurum, certus fiebat ex ſecunda iſthac promiſſione, ejus np: *ſemen magna copia multiplicatum iri*. Sed & *Secundô* illo poſito reſtabat tertia difficultas, quid nempe hæc omnia externa ei prodeſſent, niſi & ſpiritualia pariter ac cœleſtia poſſideat in animæ ſolatium ſempiternum? Id autem *Tertiò* ei membro addicitur, quando additur, *Et in Te*, id eſt,

eſt, *per Te*, ceu originem, exemplum, & inſtrumentum, prout explicui hanc phraſin ad *Gen.* 12: 3. §. XL. *Et in ſemine tuo*, ceu cauſa principali, Meſſia ſcil. ex tuis olim prodituro lumbis, *benedicentur omnes familiæ terræ*, terrenis nempe, ſpiritualibus, ac æternis benedictionibus in ſupercœleſtibus, de quibus & antea diximus *loc. cit.*

XIX. His verò tribus generalioribus, & ad Abrahamum, Iſaäcum, & Jacobum æque pertinentibus, adjicitur tandem quarto loco aliquid novi, & ſingulari modo ſpectans ad Jacobum cùm abiturum, tum rediturum, *Vers* 15. *Et ecce*, ait Deus, *ego ſum tecum, ut ſervem te quocunque iveris, & reducam te in hanc terram: non enim deſeram te uſque dum perfecero, quæ elocutus ſum tibi.* In anteceſſum ait Deus; *ecce, ego ſum tecum.* Quo addicitur Jacobo Divina præſentia efficax & favens, qua is, qui nunc ſolitarius vagabatur, individuum comitem habiturus erat illum, qui eſt omnia in omnibus; adeo ut dicere poſſet cum *Pſ.* 23: 1. *& ſeqq.* JEHOVA *paſtor meus eſt, nihilo quoquam egere poſſum, etiam cum ambularem per vallem lethalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es. Et Pſ.* 118: 6. JEHOVA *adeſt mihi, non timebo quid faciat mihi homo:* conf. *Pſ.* 16: 8. Quam benignam præſentiam ipſe Dominus duabus oſtendit promiſſionibus peculiaribus; quarum una exitum, altera reditum ipſi præſtat ſecurum luculenter. *Primò* ait; *Servabo te quocunque iveris.* Ita tutus eſſe poterit adverſus omne malum, quorſumcunque proficiſcatur, dum Deus ei futurus ſit murus aheneus igneusque circumquaque ad ipſius defenſionem: & id quidem cùm vi fœderis totum ſervet Deus hominem, cùm reſpectu corporis, nequid ei accidat mali; tum animae, ne in grave quodvis peccatum, neve in ſpecie in idololatriam prolabatur, quæ in Meſopotamia, immo vel in ipſa Avunculi ſui Labanis familia, quò tendebat, in cultu Teraphim obtinebat. At parum iſtud foret, niſi ſalvus quoque reverteretur in domum paternam: ideo *Secundò* adjicitur: *Et reducam te in hanc terram.* Ubi attentè obſervari velim, ſoſpitem reverſurum ad patrios lares Jacobum, non caſu fortuito, non prudentiâ humana, ſed, quod magis eſt, ipſo

Quartum tamen accedit promiſſum ſpeciatius ad Jacobum pertinens.

ipso JEHOVA cum eò reducente; qui ergo ipsum præcederet, ac pariter extrema ejus acies foret, ante & retro ipsum obsidendo, eique imponendo manum suam, quemadmodum in exitu, ita & in introitu. Quod præsignificat reditum aliàs ipsi fore periculosissimum & impossibilem. Quod etiam eventus confirmavit, cùm & Laban & Esavus eum impediturі fuerint, nisi Deus Jacobo adfuisset, *Gen.* 31. & 32. Quid verò & reditus in hanc terram juvaret, nisi & *tertiò* loco adderetur! *Et non deseram te, usque dum perfecero, quæ elocutus sum tibi*; nimirum, jam modò pollicitus: id est, nunquam: quæ particulæ עד אשר est significatio obvia, cujus exempla è Sacris multa congessit Cl. Spanhemius Pater. *Dub. Evang. P.* 1. *p.* 230. & Sal. Glassius *Phil. Sacr. Lib.* 3. *Tract.* 5. *pag.* 471. *edit. noviss.* Et hæc simplex est verborum acceptio: quamvis hic magis subtiliter rursus agant Judæi. Considerant quippe Deum antea nunquam Jacobo fuisse locutum. Idcirco verba illa אמרתילך / non interpretantur, quæ *dixi tibi*; sed volunt pronomen לך hic poni pro לצרכיך / & ideo interpretantur, *in utilitatem tuam*: vel etiam pro עליך / i. e. *super te*, sive *propter te*, *in commodum tuum*. Ac si diceret JEHOVA, (interpretante ita Jarcho, *Quod promisi Abrahamo de semine ejus, id tibi promisi, non Esavo: etenim haud dixi ei (Abrahamo:) quia Isaacus vocabitur tibi semen; sed quia in Isaäco, non totus Isaäcus*: (id est, non omne ejus semen, quia sic & Esavus comprehenderetur, sed ejus tantùm pars, Jacobus scilicet.) Addit porro aliam rationem idem ille Doctor Hebræus: *Omnes particulæ* לי / & לך / *ac* לו / *atque* להם / *quando junguntur verbo* דבר / *induunt significationem* על / id est, *super*, vel *propter*. Hæc Jarchus. Ut ut sit, res ipsa ad felicitatem facit Jacobi.

ד. *Effecta in Jacobo expergefacto* 1. *Internum unum*: Exclamat,

XX. Felicem enim certè Patriarcham nostrum, cui ejusmodi obtingit somnium! cujus ipse pondus percipiebat facile, postquam expergefactus, atque attentè secum omnia recolens ac contemplans tantam Divinitatis lucem in animo suo sensit, ut proclamaret; *Certè est JEHOVA in hoc loco; attamen ego nesciveram. Et tremens dixit; quam reverendus est hic locus!*

locus! nihil eſt hic locus niſi domus Dei, & hæc porta cœli eſt. *Certè*, ait, *Dominus eſt hoc in loco*: ſingulari nempe virtutis & benevolentiæ ſuæ demonſtratione, per quam Patriarcham cunctis ipſius in peregrinationibus juxta animam ac corpus cuſtodire & poſſet, & vellet, ſeque ita verè præſtare *cuſtodem Iſraëlis*. Id verò aliquem ei ſcrupulum movet, ſe id *neſciviſſe*. Noverat quidem omnipraeſentem Deum, proinde & hic eum loci praeſto adeſſe: commendaverat ſine dubio decubiturus animam ſuam per preces Deo: neſciverat autem Dominum ipſi hic ſolemniter adeo occurſurum. Hoc namque ſi ſciviſſet, vix potuiſſet ſeſe tàm ſecurè ſomno tradere: majori enim ſe cum reverentia coram Dei facie compoſuiſſet. Haec itaque conſideratio, cùm Divinae viſionis, tum ſuae negligentiae, injiciebat ipſi *timorem*: non ſervilem iſtum in diſſidenti deſperatione; (cùm omne id quod ipſi hic obvenerat, jam audiviſſet bonum eſſe & benignum, atque totum quantum ex fœdere gratiæ cum ſuis Patribus erecto ortum ducere;) aſt filialem, in debita illa reverentia conſiſtentem, ob tremendam iſtius Divinae Majeſtatis immenſitatem, & ſanctitatis ἀκρίβειαν, quâ vel bonis *reverendus* eſt. Quapropter iſtud וַיִּירָא eleganter interpretatur Junius: *Et reverentia ductus fuit*, id eſt, ſancto timore perculſus, ſanctam admirationem comitem habente.

XXI. Quam oſtendit, ratione excellentiæ loci porro exclamans; *Quàm reverendus eſt hic locus!* Quare vero? *Nihil*, ait, *eſt hic locus niſi domus Dei, & hæc porta cœli eſt.* Uti Judæorum multi, quemadmodum ſupra §. IX. monui, exiſtimant hunc locum fuiſſe Moriam, ubi poſtea ædificata ſit Hieroſolyma, ac ipſum Templum; ita & hanc Jacobi admirationem eodem referunt. Quod & Lyranus notavit in *h. l. Vidit enim*, inquit, *futurum, quod ibi fundaretur templum* (hoc ex Judaïſmo ſuo vetere: quod verò ſequitur, ex Chriſtianiſmo, quem adoptaverat, addidit) *quod ibidem poſtea offerendus eſſet Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Unde & ad verba; *Hæc eſt porta cœli*, ſic commentatur: *Quia in quodam loco propinquo paſſus eſt Chriſtus, cujus paſſio cœlum aperuit.*

Quod exponitur etiam collatis Judæorum commentariis plus & minus nugatoriis.

peruit. Paulò aliter Judæi ipſi utrumque hoc dictum exponunt in *Bereſchith Rabba* in hunc locum noſtrum, ubi inter alia, (nam omnia hic deſcribere non vacat) Moſes ita Meſſiam interrogans inducitur: *Loquere*, inquit, *mihi: Deus Sanctus Benedictus ædificabit domum Sanctuarii in terra Iſraël? Et ecce ego video eum ædificantem domum Sanctuarii manu ſua in cœlo? Dixit Meſſias Moſi: Moſe, Pater tuus Jacob vidit domum quæ ædificabitur in terra; & vidit domum quam ædificabit Deus Sanctus Benedictus manibus ſuis in cœlis, & intellexit cum tota virtute ſua, quod domus, quam ædificat Deus in cœlis de lapidibus pretioſis & margaritis cum ornatu Deitatis, eſt domus quæ permanebit Iſraëli in ſæculum, & ſæcula ſæculorum, uſque in finem omnium generationum. Sicque locutus eſt in nocte qua dormivit ſuper lapidem, & vidit Jeruſalem unam in terra, & unam in cœlis, & dixit: non eſt hæc quæ in terra eſt aliquid, ſicut dictum eſt Gen.* 28: 17. Et expavit, & dixit, quam terribilis eſt locus! *non eſt hæc: ſed domus quæ permanet in generationem & generationem, illa eſt domus Dei, quam ipſe ſuis manibus ædificat &c.* Et poſt quædam interjecta additur: *Cumque audiſſet Moſes verba hæc ex ore Meſſiæ filii David, gaviſus eſt gaudio magno, ſicut dictum eſt Pſalm.* 122: 1. Lætatus ſum propter dicentes mihi, in domum Domini ibimus &c. *uſque ad vers.* 3. Jeruſalem ædificata eſt ut civitas quæ participationem habet ſimul &c. Plura videri poſſunt penes Raimundum, *Pug. Fid. Part.* 2. *Cap.* 9. §. 18. &c. & Galatinum, qui plura ex Porcheti Salvatici Libro, *Victoria adverſus Judæos*, deſcripſit, *de Arcanis Cath. Verit. Lib.* 5. *Cap.* 10. uti hic eadem ex Raimundo deſcripſerat. Hæc quidem Judaïco more ſunt efficta; habent tamen commixtas lucis & veritatis ſcintillas, quatenus Jeruſalem terreſtris, & materiale in ea Templum, typi quoque exſtiterunt rerum ſpiritualium ac plane cœleſtium: quemadmodum eadem ferme habet Paulus *Gal.* 4: 25, 26. & Joannes *Apoc.* 21: 1. *& ſeqq.* uti eorumdem convenientiam cum ſcriptis Zoharis & aliis Judaïcis oſtendit Jo. Henr. Majus *Theol. Judaic. Loc.* 10. §. 3 & 13. *Sect.* 1. §. 4. p. m. 172, 173 & 219. Ita & Jarchus

in

in *h. l.* docet hic expoſitionem eſſe allegoricam, *quod domus Sanctuarii, quæ ſupra eſt, directa ſit e regione domus Sanctuarii, quæ eſt infra.* Verùm jam ſuprà hypotheſis totius hujus expoſitionis, locum nempe hunc fuiſſe Moriam, ſubruta eſt. Redeo itaque ad ſimplicitatem hiſtoriæ, quæ hunc locum a noſtro Patriarcha *domum Dei*, *cœlique portam* vocatum fuiſſe refert. Ubi, quod ad prius, obſervandum, antequam erectum eſſet Tabernaculum per Moſem, Templumve per Salomonem, titulum, quô hæc duo ex eo tempore ſola gaudebant, quemvis antea locum, in quo ſe revelaret, ſuique Nominis memoriam ſtatueret Deus, geſſiſſe vocarique ſolitum *domum Dei*: uti & hoc hodierno iterum obtinet tempore, quod Tabernaculo Temploque, in quo Deus ſub *Lege* ſingulari præſentiæ ſigno habitet, deſtructis, omnique locô, planè uti ſub *Promiſſione*, tempore libertatis ante Legem, iterum æquè ſancto, ubicunque convenit modò cœtus Divini cultus ergo, ſuoque ſe verbo Deus & gratia præſentem manifeſtat, *domus Dei* eſſe dicitur. Quod ad poſterius verò attinet, quandoquidem ſuum in cœlo habet thronum Deus, ſummo nempe, quod phraſi Scripturæ *tertium cœlum* audit, & ſupra cœlos aëreum & ſtelliferum ab Hebræis meritò collocatur, quam ob cauſam eum quoque in ſomnio viderat Jacobus ſtantem in ſummitate ſcalæ, in cœlum penetrantis; idcirco hunc inſuper locum nuncupat *portam cœli*; quia per hanc ſcalam ad ſupremum cœlum poſſe conſcendi videbatur, tanquam per *portam*, cujus uſus eſt, ut per eam egrediantur ac ingrediantur homines, uti hic faciebant Angeli. *Domum* ergo *Dei* appellat ob præſentiæ Divinæ teſtimonium; *portam* vero *cœli*, quia videbatur cœlum apertum, & ſcala ad cœlum uſque pertingens, apertiſſimum egreſſum & ingreſſum, ut Angelis, ita & Jacobo ipſi præbere. Qua ex conſideratione adeo *reverendus* quoque erat & ſanctus iſte locus, aptuſque cultui ac invocationi religioſæ.

XXII. Et ſic ſequitur tandem ſurgentis Jacobi *Factum*, excitantis monumentum apparitionis ſibi factæ, cùm lapi- 2. *Externa duo*: a. Lapidem erigit; *de qua*

variæ adducuntur sententiæ.

dem unctum erigendo, tum nomen loco imponendo, quæ narrantur *verſ.* 18 & 19. *Et eadem illo mane ſurgens Jacobus, accepit lapidem, quem diſpoſuerat pro cervicali ſibi, eumque diſpoſuit in ſtatuam: & effudit oleum in ſummitatem ejus. Vocavitque nomen iſtius loci Bethelem; ſiquidem Luz erat nomen civitatis illius antè.* Hunc ergo grandiorem lapidem, de quo ſatis dictum ſupra §. XI. vulgarem hactenus & deſpectum, ſed Dei providentiâ ære perennioriem, illuſtriſque hujuſce viſionis teſtem poſteritati futurum, erexit in מצבה / Opinantur nonnulli Moſen hic alludere ad poſituram ſcalæ ipſius, quam eâdem voce utens antea dixit סלם מצב / *ſcalam erectam.* Quod ſi verum ſit, ego facile cauſam hanc adderem, voluiſſe ſic Jacobum ipſâ erecta ſtatura quodammodo ſcalam illam erectam repræſentare. Vocem certè מצבה *ſtatuam* vertunt *Junius* & *Tremellius.* Vulgatus verò Interpres, *in titulum:* an literis expreſſus fuerit, inquirunt nonnulli. Ita quippe habet Sixtus Senenſis *Biblioth. Sanct. Lib.* 2. *Citatur a Stratonico in collectaneis Titulus a Jacobo Patriarcha ſcriptus in Bethel Luzæ. Verum an titulus ille ſcriptura fuerit in lapide exciſa, an lapis abſque ulla ſcriptura erectus, ad perpetuam conſpectæ viſionis memoriam, non ſatis profectò eſt manifeſtum.* Hoc ultimum longè eſt veroſimilius. Quò & facit, quod hic habent LXX στήλην, *columnam*, quod ferme coincidit cum *ſtatua.* Scil. hic lapis non jacebat, ſed in longitudinem erectus ſtabat, & ſic *ſtatua* vocari poteſt. Deducitur quippe hoc nomen à יצב / *ſtare, erigere.* Ita tamen, ut, quum *ſtatua* vertitur, non id denotet quod vulgò *ſtatua*, id eſt, figuram humanam; ſed uſurpetur in genere pro omni eo, quod in alicujus rei memoriam vel ſignificationem ſtatui, vel erigi ſolet, uti probè obſervavit Doctiſſ. Joan. Seldenus de *Jure Nat. Lib.* 2. *Cap.* 6. Quod vocabulum nonnunquam etiam in malam partem uſurpatur de *ſtatuis* arte compoſitis, quæ erigebantur in idolum ad adorationem, & idolatricos cultus, quæ Lege poſtea prohibitæ fuerunt *Levit.* 26: 1. Id idem Vir Eruditus ex Magiſtrorum

rum ſententia *loc. cit.* illuſtrat, citatque illud Maimonidis: מצבה / &c. id eſt; *Statua quæ in Lege prohibetur, erat opus ideo conſtructum, ut publicus ad illud conventus fieret.* Rectè itaque Aben Ezra ad *Levit.* 26: 1. *Non vetuit Deo erigere* מצבה / *ſed aliam, quam odit.* De ejuſmodi autem מצבות / ſive *ſtatuis & lapidibus idololatricis*, eruditam ex omni Philologia quà profana, quà ſacra conſcripſit Diſſertationem ſingularem Clar. Dav. Millius. Aliàs enim rudium lapidum erectio in nonnullis locis in memoriale alicujus rei ſæpius obtinuit, nullâ admixta ſuperſtitione vel idololatria, quæ neque hic de Jacobo cogitanda venit; uti neque de Moſe deinceps in illa *duodecim ſtatuarum*, ſeu *columnarum* erectione pro duodecim tribubus Iſraëlis, etiam poſt Legem latam, in monumentum initi Divini fœderis *Exod.* 24: 4. nec non de Joſua erigente ſimiles lapides in memoriam miraculoſi per Jordanem tranſitus *Joſ.* 4: 8. Similis ergo generis fuit lapidis hujus per Jacobum erectio: quod & pluribus confirmat ex Pontificiis Bened. Pererius in *h. l.* ut exhibitæ ſibi præſentiæ Divinæ monumentum poſteris exſtaret. In ejus porro ſummitatem *oleum effudit.* Non quod cum Hebræis fingamus illud e cœlo ad ipſum delapſum eſſe. Non enim miracula ſupra neceſſitatem fingenda ſunt: neque adeo magnâ olei copiâ opus eſt ad erecti lapidis caput perfundendum, quin facile id ſecum tuliſſe potuerit Jacobus. Olei enim iſtis in Regionibus communis quidam uſus erat, ſive internus ad edendum; ſive externus: non in conviviis tantùm, de quibus hic loqui nihil attinet; non enim de iis, hic cogitabat Jacobus: ſed in itineribus etiam, ſive ad corpus ungendum contra calores ſolis, ſive ad dolores pedum leniendos, ſive ad uſum medicum contra fortuita quæcunque in itinere vulnera; quô modo Samaritano iſti iter facienti in Euangelio *Luc.* 10: 34. oleum ad manum fuiſſe legimus. Undecunque verò, aut quamcunque ob cauſam Jacobus oleum iſtud ſecum habuerit, id certum eſt, eum non, uti vult Aben Ezra, ad locum hunc להכירה בשובו / *inter-*

noſcendum in reditu, ſed ad ſacrum aliquem ritum deſignandum, ſive ad ceremoniam conſecrationis, non ab ipſo quidem inventam, ſed à Patribus acceptam, & ſatis ibi uſitatam, oleum, quod optimum ei nunc ad manum erat, in Dei effudiſſe honorem. Qui mos dimanavit deinceps ad multas Gentes. Ita Grotius in *h. l. Mos illorum locorum*, inquit, *qui & ad Græcos devenit:* addo, & alios populos. Ita quippe de unctionis lapidum ritu legitur penes Minutium Felicem *pag.* 15. *Edit. Ouzel. Non boni viri eſt, Marce frater, hominem ſic in hac imperitiæ vulgaris cœcitate deſerere, ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos, ſanè &* UNCTOS, *& coronatos.* Poſſunt conferri Notæ Woweri ac Ouzelii: ut & Cl. Gronovii in Minutium Felicem, p. 20 & 21. Similiter Arnobius *Lib.* 1. p. m. 22. *Edit. Lugd. Bat.* in 4to Ao. 1651. *Lubricatum lapidem & ex* OLIVI SANGUINE *ſordidatum*, (vel, ut alii legunt, *ordinatum, odoratum, olivi unguine exornatum) tanquam ineſſet vis præſens, adulabar* &c. Vid. in *h. l.* Notæ Canteri, Elmenhorſtii, Heraldi aliorumque. Inde de ſuperſtitioſis hoc proverbium notatum Clementi: πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνεῖν, *omnem lapidem pinguem adorare.* Multa quoque poſt illos de ungendi lapides more Gentilibus uſitato notavit Clar. Eſchenbach in *Diſſertat. Academ.* Sive id fecerint naturæ quodam inſtinctu, ſive, quod magis mihi placet, traditione magiſtra, quoniam famâ forſan ad eos pervenit illud Jacobi Patriarchæ factum, qui lapidem, quem eò loci conſtituebat, quô domum Dei deinceps ſe ſtructurum pollicebatur, tanquam domus promiſſæ lapidem primum, & quem Judæi mundi atque Templi lapidem fundamentalem cenſent, oleo infuſo huic uſui conſecravit. Quidquid hujus rei ſit, abſit tamen ut altare hic erexiſſe Patriarcham putemus. Huc inclinare videtur Bellarminus, qui *Lib.* 3. *Cap.* 5. *de Cultu Sanctorum* ita ſcribit: *In ſtatu naturæ Jacob Gen.* 28. *erexit lapidem ut ibi ſacrificaret, eumque conſecravit, infundens oleum deſuper* &c. Nec non illuſtr. Grotius in *h. l. tales lapides erectos aut congeſtos tunc fuiſſe*

fuiſſe pro altari. At contrarium docet ipſe Jac. Salianus, Societatis Jeſu membrum, *Annalium Epitom.* ad *A. M.* 2114. *p.* 129. *col.* 2. *Non ſignificatur ibi erectum altare, aut ſacrificatum, ſed illum ipſum lapidem utique non magnum, humi infixum erexiſſe in modum cippi, ut eſſet monumentum Divinæ viſionis, ut ex hac peregrinatione reverſus ibi Deum iterum honoraret: quod & fecit. Nam Gen.* 35. *apparet illi Dominus, jubetque non inſtaurare, ſed facere altare Deo, qui apparuerat ipſi quando fugiebat Eſau.*

XXIII. Quod poſtremò additur, nomen hujus loci Jacobum vocaſſe *Bethelem*, quod in urbem propinquam poſtea tranſierit, cujus antea nomen *Luz* erat, jam ſupra vidimus. Et בית־אל / *domum Dei* denotare, ſatis eſt obvium. Ratio autem denominationis non ea futilis eſt, quam tradit Simon Judæus apud Reuchlinum de *Arte Cabbaliſtica Lib. I.* quod Jacobus *conſonantem Sin per Notaricon* שמן / *id eſt*, unctionem *deſignantem*, *operi adjecerit*, *quò delibutum lapidem in Templum quoddam nomine Bethel exædificaverit*; at ea jam data ante *verſ.* 17. Id verò hac occaſione obſervaſſe lubet, ab hoc nomine *Bethele* multos Eruditos originem arceſſere *Bætuliorum*, quæ Græcis βαιτύλια dicta fuêre, vel βαίτυλοι, Latinis vulgò *Bætuli*, conficientibus nempe ex Hebræo בית־אל / *Bethul*, vel βαιτύλια.

b. *Nomen* Bethelis *loco imponit.*

XXIV. Erant autem hi lapides antiquitus ſimpliciter in ſigna alicujus rei memorabilis erecti, poſtea verò in abuſum verſi, opinantibus hominibus aliquod in iis habitare Numen; quin & animatos eos fuiſſe nonnullis credentibus, eosque idcirco vocantibus λίθας ἐμψύχας, *lapides vivos*, ſive *animatos*, id eſt, Deos, ſub lapidis quaſi ſpecie latitantes, quod & ideo ſub eâdem ſpecie adorabant. Quò facit quod Philo Byblius Sanchoniathonis interpres ex eo diſſerit apud Euſebium *Præpar. Lib. I. Cap.* 10. p. m. 37. Ἔτι δὲ, φησιν, ἐπενόησε Θεὸς Οὐρανὸς Βαιτύλια, Λίθας ἐμψύχας μηχανησάμενος. *Præterea*, inquit, *Cœlus Deus Bætulia reperit*, *animatos lapides inſolenti arte molitus.* Quod inde provenire potuit,

Quâ occaſione agitur de Bætulis *antiquorum ex prava imitatione Jacobi ortis.*

quod ſe movere dicerentur, movente eos fortè Diabolo, & plebis credulitati ſuis præſtigiis illudente. Plura de Bætulis dabit Schotanus *Biblioth. Hiſt. S.* ab *Abrah. ad nigr.* &c. p. 334. & ſeqq. Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt. Tom.* 2. *Edit. in* 8. *p.* 95. Huëtius *Demonſtrat. Euang. Propoſ.* IV. *Cap.* X. §. VI. & omnium inſtar, ex quo etiam ſequentes plurima ſua ſunt mutuati, incomparabilis Sam. Bochartus *Phaleg. Lib.* 2. *Cap.* 2. *Col. m.* 707. cujus dicta hic non repetam. Quibus nunc addo Clar. Dav. Millium in Diſſertatione jam citata. Clar. Joan. Clericus in *h. l.* ita ſcribit: *Antequam Deus per Moſem, qua ratione coli ſe vellet, & qui ritus adhibendi eſſent, oſtendiſſet, licebat piis hominibus ritus quoſvis ſequi, ſi modò in iis ritibus animi religio, quæ ſola vera eſt, non violaretur. Quemadmodum enim verba ex uſu, qui certam iis vim attribuit, pendent: ſic & externorum rituum ἀδιαφόρων ea eſt, quam volumus, ſignificatio. Sed cum multæ gentes in eam eſſent idololatriam prolapſæ, ut cippos ipſos colerent, & multa circa hanc rem veræ religioni contraria facerent, Deus cipporum, religionis cauſa, uſu plane interdixit, Deut.* 16: 2. Quæ ipſa, aut ſimilia certè eſſe, in quibus huic præivêre Hebræorum Doctores, patere poterit ex hiſce verbis, quæ Latinè modò tradam: *Quamvis ille cippus* (ſive lapidum erectio) *fuerit amatus coram facie* המקום / *loci* (id eſt, Dei) *diebus patrum, poſtea tamen odit eum; propterea quod Canaänæi eum deduxerunt in ritum idololatriæ.* Teſtantur nempe Veterum Annales, hocce noſtri Patriarchæ factum Phœnices prava κακοζηλίᾳ imitatos, hunc ipſum, quem unxerat Jacobus, lapidem primò coluiſſe; nec non & alios poſtea lapides eodem eos ritu unxiſſe ac conſecraſſe. Ex quâ tamen κακοζηλίᾳ non patefcit, aut hunc lapidem a Jacobo unctum fuiſſe, ut ritu eô Deum coleret; aut Deum talem ritum tunc acceptum habuiſſe. Dicit Deus *Gen.* 31: 13. *Ego ſum Deus Bethel, ubi unxiſti ſtatuam, ubi voviſti mihi votum*; minimè verò quaſi tali ritu coli voluiſſet Deus; ſed ut rectè hic ſentit Leon. Marius, Jeſuita, etſi cæteroquin & ipſe iconolatra: *Erexit in titulum*, inquit, *non ut idololatricè lapidem cole-*

coleret, ſed in memoriam beneficii erigens in columnam; hoc enim nomine tituli *ſignificatur*. Quamvis in ſequentibus malè idem feriat Proteſtantes, tanquam Sacrum olei in Eccleſia uſum calumniantes, quô tamen Jacobus hic fuerit uſus; verùm cui abundè ſatisfecit Cl. Rivetus *Exercit.* 125. *in Geneſin.* Confirmat hoc Auguſtinus, ſed ita ut alium & ſublimiorem ſimul ſcopum hujus unctionis adducat: *Hoc*, ait, *de Civit. Dei, Lib.* 16. *Cap.* 38. (quod fecit Jacobus) *ad Prophetiam pertinet; nec more idololatriæ lapidem perfudit oleo Jacob, velut faciens illum Deum: neque enim adoravit eum lapidem, vel ei ſacrificavit: ſed quoniam Chriſti nomen à Chriſmate eſt, id eſt, ab unctione, profectò figuratum hinc eſt aliquid, quod ad magnum pertinet Sacramentum.* Sic namque Veteris Eccleſiæ Patres hunc lapidem Meſſiæ fecerunt typum egregium, utpote emblemate *Petræ* ſæpius deſcripti, & oleo Spiritus S. uncti. Vide multa teſtimonia citata apud Marium *loc. cit.* & jam antè quid notavimus ex Judæis §. XI. Quibus hic addimus, Meſſiam ita Eccleſiæ baſin non tantùm ſub *lapidis* emblemate hìc primùm a Jacobo denominari; ſed cùm hic lapis ab eô fuerit *unctus*, inde non citra rationem videri, quod Meſſias ab hoc caſu deſcribatur tanquam *unctus Dei Jacobi*, in Davidis *Ultimis* 2. *Sam.* 23: 1. Aliis tamen magis placet, ac ſi in iſthoc lapide uncto emblema eſſet Gentium, quæ *lapidibus* comparantur, & aliquando *ungendæ* oleô Spiritus S. ſicque vocandæ & regenerandæ. Conf. *Matth.* 3: 9. 1. *Joan.* 2: 20. Sed Jacobum de his myſteriis tunc cogitaſſe, non certè occaſio hujus facti, non etiam verba ab ipſo adjecta nos docent. Certior, niſi fallor, erit iſta Magni Bocharti, quam & alii habent, obſervatio, ſcilicet propter lapidem à Jacobo ad hanc urbem Bethelem unctum, credibile eſſe Jeroboamum Regem alterum vitulorum ſuorum aureorum in eâ conſecrare voluiſſe, ut Iſraëlitas Templo Hieroſolymitano averteret, aliô ibi, veluti in imitationem Jacobi, cultu inſtituto 1. *Reg.* 12: 28. 30. idque non procul Hieroſolymâ, quandoquidem hæc urbs *ſita eſt euntibus Æliam* (Hieroſo-

rosolymam) *de Neapoli in læva parte viæ duodecimo circiter miliario ab Ælia*; notante Eusebio in *Onomastico* ad vocem Ἀγγαι p. m. 11. Ita ut, probè observante Hieronymo, siniſtro hujus Regis ſtudio ex hac *Bethele* facta fuerit *Beth-aven*, ex *domo Dei domus iniquitatis*. Quod confirmatur in *Gemar. Hieroſol. Avoda Zara fol.* 43: 3. *Oppidum iſtud, quod aliquando vocatum eſt Bethel, poſtea vocatum eſt Beth-aven*. Vid. Interpretem Chaldæum ad *Hoſ.* 4: 15. Eſt tamen ratio dubitandi, cùm *Bethel* & *Beth-aven* tanquam urbes diſtinctæ occurrant *Joſ.* 7: 2. Vide & Relandi *Palæſt.* p. 631. Veruntamen hoc non impedit, quò minus Vatum oraculis hæc *Bethel* dici poſſit *Beth-aven*, nomine ex vicina urbe in eam tranſlato, ob impiam ſcilicet idololatriam ibi exercitam. Atque hæc de Jacobææ Scalæ ſenſu literali ac hiſtorico.

B Somnii hujus vera divinitas: ubi in genere de ſomniis divinis, ex Judæis, etiam ex Ethnicis.

XXV. Atque ſic quidem juxta ordinem §. VI. præfixum, perventum eſt, ut ordine nunc anquiramus, qualis *naturæ hocce fuerit Patriarchæ noſtri ſomnium?* Solent vulgò, uti Chriſtiani, de quibus ſupra §. XII. ſic & Judæi, etſi paulò aliter, *tria* ſomniorum genera memorare, vel quæ *merè naturalia* ſunt; vel merè *Divina*, Deum ſolum auctorem habentia, quum iſte ſoporem homini immittit extraordinarium, eumque de occultis in ipſo ſomno admonet, ut fecit erga Adamum, Abrahamum &c. vel *naturalia partim, partim Divina*, qualia ſpeciatim obvenêre Prophetis, quando eos naturalibus ex cauſis dormientes Deus de ſua voluntate ac rebus futuris ſupernaturaliter erudit: quomodo Deum ſomnium excitare, atque in eo ſe homini manifeſtare poſſe, nulla ſanè juſta datur dubitandi ratio. *Plena* quippe paſſim *exemplorum* eſt tum *hiſtoria* & Sacra, & profana, tum *referta* quoque *vita communis*: quemadmodum ipſe Cicero *de Divinat. L.* 1. non longè ab initio de *ſomniis* diſſerit. Et nihil ſic agendo committit Deus, quod vel ipſo indignum ſit, vel hominis naturæ repugnet. Ipſe etenim ita ſuam in hominis mentem potentiam illimitatam vel maximè exerit, tanquam potentiſſimus naturæ Artifex, dum in ſomnio hominem

minem alloqui poteſt, dormientisque animo ideas, quas vult, imprimere, quod nemo mortalium erga hominem niſi vigilantem præſtare poteſt. Homo verò per nocturnum tempus, quando alto omnium rerum ſilentio mens neque animi affectibus agitata, neque variis ab objectis, extrinſecus ei obvenientibus, cogitando diſtracta, neque curis terrenis occupata eſt, univerſali ferme omnium conſenſu, aptior eſt recipiendis ſpiritualium rerum notionibus. Ita enim inter Judæos Maimonides palam ſcribit, imaginationem, ſive impreſſionem in ſomnio fortiorem eſſe, *& maximam & nobiliſſimam ſuam operationem conficere, quando ſenſus quieſcunt, & a ſuis functionibus ſunt otioſi.* Vid. ejus *More Neboch. Part. 2. Cap.* 36. Quod ipſum inter Chriſtianos etiam egregiè Wolfg. Muſculus obſervat ad *Gen.* 20: 3. *Corpus*, ait, *dormientium obſoporatum eſt, & parum diſtat a mortuo. Spiritus verò eſt vigilantior, quò minus corporalibus eſt occupationibus detentus, adeoque accommodatior eſt cœleſtibus ac Divinis viſitationibus.* Omnem verò hanc rem confecit, & pluribus rationibus exhauſit Frid. Spanhemius P. *Dub. Euang. Part. 2. Dub.* 56. & *ſeqq.* p. 467. qui legi meretur. Nos hic compendii cauſâ Lectori duo tantùm loca ex Jobi libro conſideranda relinquemus, quæ occurrunt *Cap.* 4: 12 — 16. & 7: 13, 14. quemadmodum & ex Ethnicorum Scriptoribus, qui de hac re eundem in modum commentati ſunt, cùm Græci, tum Latini. De ſingulis unum duntaxat dabo. Ex Græcis Ælianum *Var. Hiſt. L.* 3. *C.* 11. Οἱ Περιπατητικοὶ Φασι &c. quæ ex verſione Jac. Perizonii noſtri ita ſe habent: *Peripatetici dicunt, animam interdiu ſervientem corpori quaquaverſum implicari, neque purè veritatem perſpicere poſſe: noctu verò liberatam ab illius miniſterio* &c. *magis ad prævidenda futura idoneam eſſe, unde* exiſtant *inſomnia.* Ad quæ poſſunt ea conferri quæ habent Schefferus & Kuhnius in *Notis.* Ex Latinis juvat audire Ciceronem *Lib.* 1. *de Divinat.* ubi ita introducit Quintum Fratrem; *Cùm eſt ſomno ſevocatus animus a ſocietate & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præſentia cernit, futura providet.* Præcipuè verò etiam

inſtitutio ejuſmodi per ſomnia, totam mentis aciem in phantaſiæ repræſentamina, ſine ulla, ut dixi, ſenſuum diſtractione, defigentia, Orientalium ingenio accommodata erat, utpote naturali quadam phantaſiæ vivacitate præditorum (de quô & dixi ante *Lib.* 1. in ἐπιμέτρῳ ad *Diſſert.* in *Gen.* 3: 15. p. 235, 236.) atque hinc omnia ſua hieroglyphicis ferme & emblematibus tradere amantium. Nihil itaque miri eſt, quod Judæi ſomnium partem cenſeant vel ipſius etiam prophetiæ. Audiamus hic Maimonidem ita rurſus loquentem *More Neboch. P.* 2. *Cap.* 36. *Influentia*, inquit, *cauſa eſt ſomniorum verorum & prophetiæ, quæ a ſe invicem differunt in multitudine & paucitate, non verò ſpecie.* Id Buxtorfius ita explicat: *h. e. quæ numero, & non ſpecie inter ſe differunt.* Tunc ita porro pergit Rambam: *Unde eſt tritum illud Sapientum noſtrorum dictum:* Somnium eſt unum de ſexaginta (*generibus ſcil. vel partibus*) in Prophetia. *Inter duo verò*, pergit, *ſpecie differentiâ nulla eſt proportio, nam non convenit, ut dicatur, perfectio hominis eſt talis, vel talis, e. g. dupla, ad perfectionem equi. Idem hoc inculcarunt in* Bereſchith Rabba, *quando dicunt*, deciduum Prophetiæ eſt ſomnium: *quæ eſt appoſitiſſima ſimilitudo. Nam quemadmodum* deciduum, *vel* deciduus fructus, *fructus eſt per ſe & individuum ejus, niſi quod ante perfectionem & maturitatem ſuam deciderit; ita quoque facultas imaginatrix eadem eſt tempore ſomni, quæ tempore Prophetiæ, niſi quod imperfecta adhuc, & complementum ſuum non adepta ſit.* Sic Judæi: atque ex his liquet quanti duxerint ſomnia vera. Neque aliter Ethnicorum ſapientiſſimi, cùm Philoſophi, tum Oratores, plurimas licet ſomniorum relationes ac interpretationes, quas vel plebs ſimplex ac credula venditavit, vel ſuperſtitioſa ac ſeducens Sacerdotum turba falſò excogitavit, flocci penderent, quædam tamen ſomnia omnino Divina eſſe, ac ſupremum Numen auctorem habentia, agnoverunt paſſim: uti ex Scriptoribus ſupra allegatis ſatis videre eſt. Quin & paria hac in cauſa ſenſiſſe Doctores Chriſtianos antiquos ex ipſorum monumentis pluribus oſtendit, Guil Spencerus in *Annotat. in Lib.* 1. *Origenis*

nis contra Celſum: edit. Cantabrig. p. m. 28. *&* 29.

XXVI. Quicquid verò de aliorum ſomniis cenſuerint alii, hoc certè noſtri Patriarchæ ſomnium certiſſimè divinum fuiſſe cenſendum eſt. Neque video cauſam, cur Judæi hoc *mixti* generis dicant, ſive pariter *naturale*, atque pariter *Divinum*. Omnes enim circumſtantiæ Divinitatem hic arguunt. 1. Nihil namque hic occurrit vagum, ambiguum, obſcurum nihil, quemadmodum in ſomniis cæteroquin fieri aſſolet merè naturalibus, ſed clara ſunt omnia & diſtincta, tum quæ ab una parte dicuntur, tum ab altera audiuntur & intelliguntur. 2. Adeſt porrò in Patriarcha mentis vivacitas tam luminoſa, fulgida atque convincens, comitanturque eam inſuper tot cœleſtis ac Divinæ prorſus Majeſtatis ſigna, hunc campum quaſi in cœlum tranſmutantia, omnimodâ adeo gloria repletum ac decore, ut totus perſuaſus noſter Jacobus revelationem ſibi obtigiſſe extraordinariam ac divinam planè, palam exclamaverit; *Hic certè domus Dei eſt, cœlique porta.* 3. Et quod omnem tandem vincit pertinaciam eſt, nihil horum, quæ in hoc ſomnio locutus fertur Deus & promiſiſſe Jacobo, quod vel non conveniebat cum revelationibus ejus Patribus factis olim, vel in eventu accuratiſſimo implemento ſuo caruit: quod demonſtrare paucis ſufficiat. An non cuſtodivit eum Deus in itinere? An non etiam reduxit eum in terram Canaänem? Nonne terram illam *ſemini* ipſius dedit? Nonne & *ſemen* illud quà *corporale*, quà *ſpirituale* in immenſum multiplicavit quaquaverſum? Non opus eſt ut hic repetam quæ de *Abrahami ſemine*, quod ipſum quoque *ſemen Jacobi* eſt, omni hoc reſpectu antea *Lib.* 11. demonſtrata ſunt Diſſertationibus in *Gen.* 12: 13 & 15: 1 — 6.

Et in ſpecie de hoc ſomnio Jacobi.

XXVII. Neque eſt quod incredulus quiſpiam nobis hic occinat, & nonnullos olim Philoſophos omnia omnino ſomnia adſpernari ſolitos fuiſſe; & ipſum Ariſtotelem, nulla à Deo ſomnia hominibus immitti hac ratione adſtruere conatum eſſe, de *Divinat. per Somnium Cap.* 1. in initio, quod ἄτοπον eſſet & *abſurdum illa μὴ τοῖς βελτίσοις καὶ φρονιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν, non optimis & ſapientiſſimis,*

Objectio ex Ariſtotele, Salomone & Syracho.

ſed vilibus, vel plebejis immittere. Iſtis enim omnibus nos conſtantem opponimus & S. Scripturæ veritatem, & omnium ſeculorum probatam ſatis inter omnes Gentes experientiam: & ipſum hoc denique Jacobi exemplum. Ariſtoteles verò deceptus fuit eô, quod ſomnia in univerſum omnia ejuſdem cenſuerit eſſe notæ, cujus videbat eſſe ea, quæ apud ſuos Ethnicos jactabantur divina, hominum np. plerumque plebeiorum, indoctorum, ſuperſtitioſorum, quos ſimpliciores cùm eſſent ac magis creduli, facilius decipere poterant Satanas ejuſque Sacerdotes. Neque in ipſa Scriptura S. fallax iſtud ſomniorum genus ignotum eſt, *Jerem.* 23: 27. 32. &c. Non ſolis tamen indoctis, ſed & doctis, ſapientibus, magnatibus, ſomnia Divina obtigiſſe clamat hiſtoria Sacra omnis, omnis etiam profana; uti ſuprà ſatis dictum eſt, & ipſum hoc Jacobi monſtrat exemplum; utpote qui revera non de infima vulgi fæce homo ſimplex vel abjectus; ſed vir utique pius exſtitit, & ſapiens, & prudens; quod luculenter ſatis omnia ejus acta teſtantur. Filius etiam Iſaäci, nepos Abrahami, tanti viri, qui non modò *Patriarcha* audit; ſed & *Propheta*, ſed & *Princeps Dei*, quô cum titulo dignantur primarii, vel in ipſa illa Canaänis Regione, viri, *Gen.* 20:7. 23:6. Dives ipſe vir, omnium Divinarum, quotquot exſtabant, promiſſionum hæres, ex cujus olim lumbis haud prodituri erant Reges duntaxat potentiſſimi, verùm, quod cæterorum facilè caput eſt, & ipſe Meſſias. Sed non lubet his immorari. Plura alia contra Divinitatem ſomniorum ab Ethnicis adducta videri poſſunt in dicto libello Ariſtotelis, in Ciceronis *Lib. 2. de Divinatione* circa finem, & Tertulliano *de Anima Cap.* 46 & 49. Quæ diſtinguendo ſomnia a ſomniis facilè dilui poſſunt. Namque & ipſe Salomo, Regum ſapientiſſimus *Eccleſ.* 5: 7. *faſſus eſt multitudini ſomniorum ineſſe vanitates.* Et *Syrachus Cap.* 34: 2. comparat illum, *qui ſomnio ſe adhibet*, cum *eo qui captat umbram, ventosque perſequitur.* Quæ tamen neque ipſi illi applicata voluerunt omnibus omnino ſomniis, neque applicari res patitur.

XXVIII.

XXVIII. Nunc tandem accedamus ad ſomnii hujus ſignificationem ac myſterium, quod ſupra §. VI. tertiô nos loco indagaturos promiſeramus. Etenim, etiamſi haud diffiteamur, iſtiuſmodi ſomnia ſæpenumero obſcura adeo fuiſſe, ut eorum ſenſus ac ſignificatio a quovis erui non poſſet; haud tamen ea univerſum omnia adeo obſcura exſtiterunt, quin potuerint ab attendentibus ſedulò, primariò a viris Divino Spiritu donatis, funditus intelligi, ac ſolidè explicari: quod luculentis Joſephi & Danielis exemplis comprobatur. Quod unico duntaxat Macrobii teſtimonio confirmatum eo, cujus hæc veriſſima ſententia eſt, quæ præfigitur *Lib.* 1. *Cap.* 7. *in Somnium Scipionis: Obſcuris involutiſque ſomniis ſemper ſubeſt aliquid, quo poſſit quoquo modo deprehendi veritas, modò diligens adſit ſcrutator.* Quod ſi ſit, uti procul dubio & huic ſomnio, in quo ipſi Deo placuit apparere cum ſuis Angelis, & tantæ altitudinis ſcalam mirabilem monſtrare, & ex ejus ſummitate magnificum adeo oraculum edere, myſterii aliquid ſubfuit, ita & noſtrum erit diligenter iſtud evolvere. Nec operæ huic ſuum defore pretium ipſa forma vocis סלם/ *Scala* indicat. Etenim literam ם in formativis literis finalibus, per camets aut cholem fere ſuffixam, eſſe *intenſivam* & *ampliativam*, adeoque *iſthæc vocabula, quibus annectitur, commodè cum intellectu magnitudinis, multitudinis, continuationis, & præſtantiæ explicari poſſe*, notavit Hillerus *Onomaſt. Sacr. Viâ* 5. p. 170. Cùm ergo ejusdem generis ſit vox סלם/ magnum aliquid & amplum præſupponet.

C. Somnii hujus ſignificatio, quæ aliqua eſt juxta ipſum Macrobium.

XXIX. Hic verò in ipſo limine magna prodit difficultas, quod nempe, cùm omnes facilè conſentiant, hanc Jacobo factam apparitionem aliquid ſignificaſſe, ſinguli nihilominus in ejus explicatione immenſum adeo differant, ut vix credibile ſit tot tamque variantes, cùm Judæorum, tum Chriſtianorum ſententias ſuper una hac re invenias. Digito præcipuas duntaxat attigiſſe ſufficiet. Philo autem Judæus *Lib. de Somniis*, varias ſcalæ hocce in ſomnio repræſentatæ allegorias comminiſcitur. Inter alias & hanc habet, in qua, ut in aliis, eum ſecutus fuit ipſe Origenes Chriſtianus apud

Quæ varia valde & multiplex hic aſſignatur a Judæis.

Hieronymum *Epiſt.* 161. np. animarum μετεμψύχωσιν, ſeu *tranſmigrationem* ex uno corpore in aliud, hic ſignificatam fuiſſe, quia per eam, tanquam per varios ſcalæ gradus, tandem in cœlum animæ adſcenderent. Hebræorum Magiſtri plures *quatuor mundi monarchias*, earumque dominium & interitum hic innui exiſtimant, quas oſtenderit Jacobo Sanctus Benedictus, ſimulque *quot gradibus* illarum Principum quique *adſcenſuri* eſſent *deſcenſurique*, quæ fuſius traduntur in *Pirke R.* Eliezer. *Cap.* 35: *pag.* 87. Rationem verò cur Deo placuiſſet hæc Jacobo revelare, hanc tradunt, ut ſciret Patriarcha noſter quid eveniret poſterioribus temporibus ſemini ejus ab his Monarchiis, cùm reſpectu captivitatis, tum reſpectu liberationis: uti & ejus aliquid ante etiam manifeſtaverat Abrahamo *Gen.* 15: 13. & *ſeqq.* At, quæſo, quì norunt Judæi, quatuor duntaxat hic fuiſſe Angelos adſcendentes ac deſcendentes? Unde quoque conſtat, quemlibet Angelum per tot, quot illi numerant, gradus adſcendiſſe ac deſcendiſſe? Ne plura dicam, & tamen, quod meritò mireris, ill. Grotius id imitatus ſcribit in *h. l. Hi Angeli*, inquit, *ſunt quatuor venti*, *Zach.* 6. Atque in *Zach.* 6. vult *iſtos ventos deſignare quatuor imperia.* Sed quomodo hic Grotius ſibi conſtet, ipſe viderit. Mox quippe ſui quaſi oblitus dicit, hos Angelos *adſcendentes & deſcendentes* eſſe, *qui mandata excipiant & exequantur*, confertque *Joan.* 1: 51. Uti enim mandata accipere & exequi perſonarum intelligentium eſt, non imperiorum; ita *Joan.* 1: 51. non de imperiis, ſed ſpiritibus miniſtratoribus agi apertiſſimum eſt. Alii porro Judæorum, ut ad illos redeam, rentur, uti cuique populo ac provinciæ ſuos deſignatos eſſe Angelos cuſtodes, illius curam gerentes, ſic hoc loco Angelos, quibus terræ Canaänis cura fuiſſet commiſſa, unde noſtrum deduxerant Patriarcham, *adſcendiſſe*, cœlum denuo repetentes, ut ſuo jam defunctos officio: *deſcendiſſe* autem illos, quibus Meſopotamiæ cura eſſet demandata, quam ingreſſurus eſſet Jacobus, tanquam officio ſuo erga ipſum nunc & ibi defuncturos. Quò & facit gloſſa R. Salomonis "מלאכים וכו' *Angeli qui deduxerunt eum*

in

in terra (ſcil Canaänis) *non ingrediuntur extra terram, propterea adſcenderunt in cœlum, & deſcenderunt Angeli Regionis extra terram, ut eum deducerent.* Videtur hæc opinio hauſta eſſe ex ordine dictorum apud Moſen, quod ſcilicet ibi primô loco fiat mentio Angelorum *adſcendentium*, deinde demum *deſcendentium*; quaſi *adſcendentes* illi jam in terra hactenus verſati nunc redirent in cœlum; *deſcendentesque* illi hactenus commorati nunc in locum priorum terram verſus tenderent. Verùm neque ſui cuique provinciæ aſſignati fuerunt Angeli cuſtodes; neque hic in Bethele Canaänis terram adhuc egreſſus erat Jacobus, ut idcirco iſtius Regionis Angeli cœlum repetere, aliique inde ad eum deducendum deſcendere debuerint. Alii ergo Judæorum per ſcalam hic juſtorum preces, juxta Gematriæ regulas denotari cenſent hoc modo: סולם בגימטריה קול מקול תפלות הצדיקים הוא סולם למלאכים לעלות בו וכו׳ *Vox* סולם *ſcala, per gematriam coincidit cum* קול id eſt, *voce, nam vox orationis juſtorum eſt ſcala Angelorum, per quam adſcendunt; inde etiam Angelus Judic.* 13: 20. *in flamma ſacrificii adſcendit. Preces verò ſunt verus Dei cultus; quamobrem quisquis attentè precatur, ejus ſcala nullo gradu deſtituitur, quo Angeli facilius per eam adſcendant. Eadem vocula* סולם *per gematriam divitias non minus, quam paupertatem indicat. Nam divitiæ alios deprimunt, alios exaltant.* Ad quem commentarium doctiſſ. Theod. Hackſpanius in *Miſcellaneis*, ubi agit de *Cabbala Judaïca* pag. 445. hæc ſequentia notavit: *Quod autem dictum de Angelis, preces in cœlum deferentibus, id convenit cum Lib. Tobiæ Cap.* 12: 12. *ubi Angelus ait*, ſe memoriam orationis induxiſſe ἐνώπιον τοῦ ἁγίου: quod Rabbini efferrent לפני הקדוש ברוך הוא/ *Eodem referendum quod Actor.* 10: 14. *Angelus ait de Cornelio, preces ejus adſcendiſſe in memoriam* ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. Ubi tamen, pace Hackſpanii, illud diſcrimen eſt, quod Angelus hicce Cornelio ſuum hac in parte miniſterium ne verbulo quidem commendet. Plura ejuſmodi ex Hebræorum placitis adducere in promptu eſſet, nolumus autem his minutiis expendendis otio abſque fructu abuti. Et alia habet Guil. Henr. Vorſtius *in Animadverſ.* ad

Pirke

Pirke Eliëzer. *p.* 218. Et Ligtfootus *Hor. Hebr.* in *Joan.* 1: 52. quæ apud hos Auctores videri poſſunt. Unicum ego hic adſcribam locum ex Bartoloccii *Biblioth. Rabbin. Tom.* 1. p. 345. *col.* 1. ubi ex Hebræorum ſcriptis ad *Gen.* 28: 12. hæc notat. *Hi ſunt principes (Angeli) omnium gentium, qui Judæis peccantibus adſcendunt; hoc eſt prævalent in illos; ſed quando operantur, deſcendunt, id eſt, deprimuntur &c.* Ad quæ hæc obſervat ſequentia: *Eſt falſum commentum, quia ſupponit Angelos iſtos eſſe Angelos; prævalere in malum, & deprimi a bono, quod Dæmonum proprium eſt. At Angeli iſti adſcendentes & deſcendentes ſunt Angeli boni, per quos Deus Jacobo oſtendere voluit felicem abitum in Meſopotamiam per Angelos adſcendentes, & per Angelos deſcendentes felicem reditum in terram promiſſam in Canaän. Luditur autem, quando ſecundum aliam expoſitionem ibidem dicitur, hanc ſcalam ad inſtar Rotæ fuiſſe, per quam Angeli rotabantur, quando capita ferebantur ſurſum, videbantur adſcendere; & quando capita infernè ex altera parte Rotæ deferebantur, deſcendere apparebant; ſed revera nullus adſcenſus vel deſcenſus erat, cum in Rota nihil tale reperiretur.* Hæc Bartoloccius.

Et a Chriſtianis: de quibus omnibus judicium Riveti.

XXX. Miſſis itaque Judæis Chriſtianos conſulamus Interpretes, quorum hi ſcalam hanc explicant de adſcenſione ad perfectionem; illi verò de cruce Chriſti, quæ ſcalæ viæque inſtar ſit, per quam cœlum adſcendant omnes credentes. Alii de duobus Teſtamentis, per certos quaſi conſervationis gradus hominem è terra ad Deum transferentibus. Nec deſunt inter Pontificios, qui allegoricè per hanc ſcalam intelligunt beatam Virginem *Mariam*, quam *ſcalam cœlique januam* nuncupant, de qua mira Bernardus. Conſulatur Corn. à Lapide in *h. l.* Hoc autem ſine dubio Judæis occaſionem præbuit fingendi hanc fabellam ex libro maledicentiſſimo, qui inſcribitur ספר תולדות ישוע הנוצר / *Hiſtoria Jeſchuæ Nazareni*, ubi ad finem ferme legitur hæc fabella, quod *mortuâ Mariâ matre Jeſu, juſſerit Rex* (Judæorum) *eam ſepeliri infra lignum, de quo ſuſpenſus fuerat Jeſus, fratres verò Jeſu & ſorores ejus itidem ſuſpendi. Suſpenderunt itaque illos,*

illos, & erectô ibi monumento lapideo hanc inſculpſerunt inſcriptionem: Hic loci ſuſpenſi ſunt liberi ſcortationum, & mater eorum ſepulta eſt infra illos, pudore ſuffuſa eſt mater veſtra &c. Tunc additur: *Homines verò nequam, Jeſu cognati, venerunt & ſuffurati monumentum illud, aliud ibidem poſuerunt, in quo incidebant hæc verba:* הנה סולם מוצב ארצה וראשו מגיע השמימה והנה מלאכי אלהים עולים וגו *En ſcalam depoſitam in terra, caput verò ejus pertingit ad cœlum uſque, & ecce Angeli Dei adſcendentes* &c. Hæc etiamſi mendacii apertiſſimi meritò poſtulentur, uti & probat Jo. Jac. Huldricus in ſuis in hunc libellum fabuloſum *Notis p.* 123. veruntamen id docent, ad ipſos jam dudum Judæos perveniſſe rumorem de honore Mariæ nimio in Eccleſia pſeudo-Chriſtiana. Alii aliquando Pontificii hanc ſcalam variis quoque Angelorum choris gradibusque in cœlo applicant. At longum foret ac tædioſum hujuſmodi omnia interpretamenta hic vel repetere, vel examinare, quorum nec modus eſt propemodum, nec finis. Qui talia cupit, immenſum eorum catalogum reperiet apud Corn. à Lapide, Bened. Pererium, Claud. Fraſſen, aliosque: nec non inter noſtros penes Vener. Andr. Rivetum *Exercit.* 124. *in Geneſin:* & Schotanum *Biblioth. Hiſt. S. inde ab Abrahamo* &c. p. 318. & *ſeqq.* Nos omnibus iſtis ſimul juſtum ſuum ſtatuimus pretium verbis Riveti *loc. cit. Speculationes argutæ*, inquit, *diverſorum Interpretum, tam ex Hebræis, quam Chriſtianis, quorum plerique quidlibet ex quolibet conficiunt, rem involvunt & obſcurant, dum penſi non habent perpendere, quis fuerit viſionis ſcopus, quæ fuerint antecedentia & conſequentia, ſed id ſolùm ſibi propoſuerunt, ut inventis ſuis accommodarent ſcalæ extrema, latera, gradus &c.*

XXXI. Nos ergo ſolidiora quærentes videamus, quì poſſimus hujus viſionis ſignificationem ac myſteria juxta regulas *ſcopi*, *viſionis*, *antecedentium*, & *conſequentium*, a Riveto conſtitutas, inveſtigare. Primô ergo ego loco *in genere* obſervo, quod omnium quidem ſimpliciſſimum eſt, & ſine ulla violentia ex repræſentamine hoc educitur, hanc ſcalam Angelis, inſpectore Deô, ultro citro-

Vera autem ſignificatio eſt a. In genere repræſentari providentiam Dei ſuper pila; quì omnes

circumſtantiæ viſionis accommodantur.

que commeantibus repletam, potuiſſe denotare Divinam providentiam, cùm erga homines, tum maximè verò erga pios credentesque, & hic quidem loci erga Jacobum exulantem in ſpecie. Quam ſignificationem haud obſcurè ipſe Dominus noſtro promittit Patriarchæ, ſe ipſum cuſtoditurum proficiſcentem ac redeuntem. Quemadmodum omnes repræſentaminis circumſtantiæ aptiſſime huic notioni reſpondent. Namque 1. Dominus hic in *ſcalæ conſiſtens ſummitate*, repræſentat eum tanquam omnium rerum primam cauſam, motorem ac moderatorem ſummum; qui etiamſi procul abeſſe, resque terrenas deſpicere videatur, eò quod in altitudine cœlorum habitet, ex alto tamen totam terram oculô provido perluſtret, ut laborantibus ſuis mox præſto eſſe poſſit: conf. *Pſalm* 113: 5, 6. 2. Hæc *à cœlo ad terram pertingens ſcala* innuebat haud obſcure, *ſapientiam Dei pertingere a fine uno ad alterum, ac diſponere omnia utiliter*, quæ verba ſunt Auctoris Libri *Sapient.* 8: 1. ſive divinam providentiam e cœlo deſcendere in terram ad res piorum ibidem curandas, & viciſſim eâdem via piis adſcenſum ad Deum in cœlum parandum. 3. Per ſcalam hanc *adſcendentes deſcendentesque Angeli* exhibent miniſtros, providentiæ executores; *Pſalm* 104: 4. *Deſcendentes* ut Divina mandata exſequantur in terra, cuſtodiendi præcipuè eos, qui Dei ſunt, ac in primis Jacobum, conf. *Pſalm.* 34: 8. & 91: 11. *Adſcendentes* verò ut redeuntes Deo rationem reddant, conf. *Job.* 1: 14. novaque capeſſant jura *Ezech.* 1: 14. 4. *Varii* verò hujus ſcalæ *gradus* adfigurare poterant varios Divinæ hujus providentiæ modos, variorum, circa quæ ſe occupatam tenet, objectorum ratione. Ita ferme inſtituunt è *Judæis* Aben-Ezra, & alii: è *Chriſtianis*, inter *Patres* Theodoretus, & Veteres plerique: inter *Pontificios*, Pererius: inter *Noſtros* plurimi: qui tamen poſteriores accuratius hanc rem univerſam præ prioribus, juxta data modò fundamenta, explanant.

Quæritur x. ecce Homeri catena aurea ex hac

XXXII. Et ſanè, hæc hujus ſcalæ ad Divinam providentiam relatio, uti facillimè fluit, ita altas adeo egit in animis doctorum hominum radices, ut non dubitarint affirmare, inter

inter alia multa Hiſtoriæ Sacræ veſtigia inter Gentiles ab avo conſervata, obſcurata licèt ignorantiæ tenebris, mixturâque veri cum falſo commaculata, (quod pluribus comprobat illuſtr. Præſul Dan. Huëtius, in ſua *Demonſtratione Euangelica*) ſcalæ quoque hujus mentionem reperiri penes Homerum *Iliad.* 8: v. 5. & *ſeqq.* ubi ille ipſis providentiam Jovis videtur voluiſſe depingere, tanquam efficacem adeo, ut nemo ei reſiſtere poſſit. Jupiter ergo ita ibi alloquitur omnes Deos Deaſque:

Jacobi ſcala derivata fuerit? Affirmant multi. Negat Auctor.

Κέκλυτέ μευ πάντες τε Θεοὶ πᾶσαί τε Θέαιναι &c.
Audite me omnes Dii, omnesque Deæ,
Dum dicam quæ me animus in pectoribus jubet.
Ne qua igitur fœmina Dea hoc neque aliquis mas
Tendet reſcindere meum mandatum: ſed ſimul omnes
Probate, ut celeriter perficiam hæc opera:
Quemcunque ego Deorum ſeorſum velle intellexero
Profectum vel Trojanis auxiliari, aut Græcis,
Saucius indecorè redibit ad Olympum:
Aut ipſum correptum projiciam in Tartarum obſcurum,
Prout valdè, ubi profundiſſimum ſub terra eſt barathrum,
Ubi ferreæque portæ & æreum pavimentum:
Tantum ſub inferno, quantum cœlum eſt à terra.
Cognoſcet deinde, quantum ſum Deorum fortiſſimus omnium.
Eia agè periculum facite, ut videatis omnes.
Catenam auream de cœlo ſuſpendentes,
Omnes appendamini Dii, omnesque Deæ,
Sed non traxeritis ex cœlo in terram
Jovem ſummum conſiliarium: neque ſi valde multum laboraveritis.
Sed quando jam & ego cupidus voluero trahere
Cum ipſa terra traxero ipſoque mari.
Catenam quidem dein an verticem Olympi
Alligavero: illa verò ſuſpenſa omnia fuerint.

Tumque concludit:

Τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ Θεῶν, περί τ' ἀμ' ἀνθρώπων.
Tantum ego ſupero Deos, ſuperoque homines.

De quibus graviſſimus quidem Rivetus ita ſuum interponit judicium: *Quæ quidem fabuloſa ſunt, ſed ex aliqua veritate ortum habuerunt.* Georg. Mœbius verò audacius pergens in Dedicatione libri ſui *de Oraculis*, non dubitat rogare: *Quid Jovis catena aurea apud Homerum Iliad.* 8. *vſ.* 15. *de vertice Olympi ſuſpenſa tam videtur adumbrare, quam ſcalam à Jacobo viſam, quæ cœlum uſque pertingebat?* Me quod attinet, etiamſi haud abnuam paucas eſſe in Sacris literis hiſtorias, miraculo præ primis aut myſterio aliquo inſignes, quas Diabolus, cujus ſunt partes intervertendi veritatem, non *æmulanter*, ut Tertullianus loquitur, *affectavit exprimere*, atque adeo Gentilium quoque fabulis immiſcere, quemadmodum hoc multis exemplis comprobat Taubmannus, ſua præfatione ante Virgilii Maron. Poëmation, quod inſcribitur *Ciris*; (inter quæ tamen exempla hæc *catena Homeri* non reperitur; uti neque Mœbius proinde hanc ex Taubmanno attulit; quod ſic in tranſitu noto, quia eruditus Anton. van Dale in ſua *ſuper Sanchoniathone Diſſertatione*, ad finem ferme, neſcio quô fato in hunc errorem inductus, ait, quod Mœbius ita *Taubmannum loquentem afferat*) hæc omnia, inquam, etiamſi ego haud abnuam, difficulter tamen mihi perſuaſerim, Poëtam in ſuâ ea Jovis catena aurea deſcribenda ad noſtram ſpectaſſe ſcalam Jacobœam: quippe nec Angelos per ſcalam hanc commeantes, ut Jacobo peregrinanti præſto ſint; nec Patriarcham ad ſcalæ pedem dormientem ſecurè, & nihil quicquam agentem; nec tandem Dominum ipſum in ſummitate ſcalæ conſiſtentem, jacentem Jacobum ſuaviter conſolantem, promiſſisque erigentem, reperio apud Homerum ad Jovis eam *auream catenam*, quam non alio ille pater hominumque Deûmque iſthic jactat ſcopo, niſi ut cum deſpectu reliquorum Numinum vires ſuas jactanter ſatis, ac multo cum faſtu declamet, poſt comminationes etiam alias admodum horrendas præmiſſas: ita ut verſus iſtius Poëtæ cum noſtris verbis *Gen.* 28: 11. & *ſeqq.* modò conferendi ſint, ut videas totô cœlo illius *catenam* ab hujus *ſcala* differre.

XXXIII.

XXXIII. Eandem hanc noſtram *ſcalam* penes Homerum reperit, ſed aliô loco, doctiſſimus Ger. Croeſe in ſuo *Homero Hebræo* p. 575. in iſtis np. *Lib.* 6. *Odyſſ.* verſibus, numero 163 & *ſeqq.* ubi Ulyſſes ex maris periculis paulò antè ad terram eam appulſus, quem Vir ille eruditus ſupponit eſſe Jacobum, ex periculis itineris, per arenoſa maria ſolitudinum Syriæ ſuſcepti, nunc delatum ad Charranem, urbem Labanis, Nauſicaäm Virginem, quæ eidem Viro Doctiſſimo Rachel eſt, ſibi occurrentem alloquitur, & a pulchritudine ſuâ ita laudat:

Quæritur II. *An Homeri* germen palmæ, *cum quô Ulyſſes Nauſicaam comparat, ſignificet hanc ipſam Jacobi ſcalam? ubi mira opinio doctiſſimi Croeſii adducitur.*

Οὐ γάρπω τοιῦτον ἴδον βροτὸν ὀφθαλμοῖσιν,
Οὔτ' ἀνδρ', οὔτε γυναῖκα. &c.
Nondum enim talem vidi hominem oculis,
Neque virum, neque mulierem: admiratio me tenet adſpicientem.
Nuper in Delo tale Apollinis juxta aram,
Palmæ recens germen ſuccreſcens vidi.
(Profectus enim eram illuc; multus autem mihi erat populus
In eâ profectione, quæ mihi malum infortunium erat)
Sic fortè & illud conſpicatus obſtupui animo
Diu, quandoquidem nunquam tale ſuccreverat lignum e terra.

Ulyſſes (uti idem Vir Doctiſſimus de ſex iſtis poſterioribus verſibus ait) *Nauſicaäm ſuo* (hoc) *ſermone monet atque edocet, de aliquo viſo a ſe ſecundum quietem, atque ſic id arripit, ut idem ilico cum Nauſicäâ, quam hic adſpicit, comparet.* Nempe, uti mox pag. 576. pergit, *Ulyſſes in* DELO vidit ἔρνος, GERMEN, δόρυ γαίης, TERRÆ LIGNUM, ut eſt *vers.* 168. *exſectum ex arbore lignum. Tale lignum eſt SCALA. Vidit tale germen* φοίνικος, *tanquam PALMÆ, id eſt, videt velut palmæ ſcalas, ſive ſcalas palmeas factas e palma.* Locum autem, in quo hoc ſpectaculum ſibi eveniſſe dicit Ulyſſes, quemque Δῆλον vocat, Vir idem pag. 577. putat, urbem fuiſſe *Luz*, ab Homero dictam Δῆλος, à Chaldaico דחל / DECHIL, quod *timendum, terribilem* notat: quali epitheto ipſe Jacobus locum illum deſignaverat. Viderat eam *ſcalam palmeam* Ulyſſes *juxta aram Apollinis*, id eſt, juxta locum illum, in quo Jacobus jam tunc promittebat ſe ere-

cturum, & poſtea *Gen.* 35: 7. revera erexit, altare. Quando autem *eò veniebat*, *fuerat ipſi* πολὺς λαὸς, ſive *populus multus*, id eſt, (ut idem p. 578.) ſive multitudo Angelorum ad ipſum deſcendentium; ſive potius multitudo ingens ſeminis, ſive poſteritatis, quam Deus fallere neſcius in ipſo illo loco ei promittebat. Hæc ergo Viri iſtius interpretatio eſt, quam non vacat nunc pluribus perpendere. Moſes certè non dicit Jacobum, cùm Rachelem alloquebatur, eam laudaſſe à pulchritudine iſthoc modo, ut narraret ſibi in itinere *ſcalam* illam viſam eſſe, & ut eam cum hac ſcala compararet.

Schotani de ejuſmodi interpretationibus fabularum gentilium judicium.

XXXIV. Sed forſan operæ pretium eſt huc adſcribere diſputationem Schotani ex *Biblioth. Hiſt. S. loc. cit.* p. 329. & *ſeqq.* in quam nunc, dum diſputationes has Aº. 1709. jam editas, relego & emendo, incido; quamque video cum iſtis, quæ ego tunc objeceram contra *ſcalæ* hujus ad *Homeri catenam* applicationem, optimè convenire. Ille autem Vir Doctus poſt varias adductas Veterum, cùm Judæorum, tum Chriſtianorum Interpretum de hac ſcala ſententias, ita pergit: *Cæterum quod Poëticum Homeri figmentum de aurea catena ex hac veritate emanaſſe putet prudentiſſimus Theologus, nolim & miror factum. Imitatus eſt viros maximos, quorum nominibus non cedere ſuperbiæ & contumaciæ eſſe videatur. Hi enim quaſi conſpiraſſe videntur, ut omnia gentilium fabularum portenta referant ad eandem e ſacra veritate originem. Ita ſæpe arripitur inepta accommodatio, qui luſus eſt, non ſerius ſermo. Arbitrantur hiſtoriæ Patriarchicæ Geneſeos univerſam memoriam ſub integumentis fabularum ſupereſſe. In nugis aliquid ineſſe veri. Nam in ea hærent opinione, Chriſtianæ veritati id optimum patrocinium apud errantes eſſe, ſi ipſæ fabulæ teſtimonium dicant. Ego in contraria ſum hæreſi; ipſam per ſe veritatem ſatis firmam & validam, nihil iſto auxilio ad educendos ex errore gentiles indigere, nec inde initium convincendi ſumi oportere. Admoneam eos ut tranſeant à mendacio ad veritatem. Pudet ipſos errantes, ubi oculos attollere incipiunt, nugarum, quas & quidam Philoſophorum & homines prudentio-*

res

res apud gentes risêre. Non possum diffiteri in fabulis esse quædam, quæ speciem habeant eandem cum veris Mosis historiis, unde tamen non sequitur, famam veritatis senescentis ea retinuisse. Nam qui mentitur, & sermones Milesios longo ordine serit, inter multa effutiet quædam, quæ cum aliarum gentium veris rebus similitudinem habent, quamvis de iis nunquam cogitaverit. Sunt igitur fabulæ gentilium nugacia commenta, quæ evenit aliquam speciem similem in quibusdam ostendere veræ Historiæ Mosis. Ita natis fructibus in agro Sodomeno species est eorum, quæ protulit Paradisus. Quo præstito ita tandem concludit: *Non minus ex Homero Poetarum interpretes & Stoici eruunt commenta, quàm Judæorum Magistri ex S. Scriptura. Hinc Platonici Philosophi, maximè mediæ ætatis, qui Aristotelem, Platonem, Homerum commiscebant, posuerunt ejusmodi catena cœlum terramque uniri. Nihil igitur hic est veræ antiquitatis & traditionis Patriarchicæ, quia commentum est interpretum, de suo afferentium & inferentium Homero, quod ille nunquam somniavit* Ita Schotanus.

XXXV. His itaque longè quæsitis interpretamentis missis, retineri tamen nobis poterit notio Scripturaria *providentiæ divinæ* antea §. XXXI. in genere a nobis proposita; nunc autem adhuc specialiter magis ad conditionem Jacobi determinanda, quem nempe isthac visione solari, nec non confirmare hac in sua peregrinatione ac exilio, placuit Divino Numini. Quippe si α. Necesse habuit noster Patriarcha charam adeo sibi patriam, nec non paternam relinquere domum; habebat hic quod illi damno opponeret, ingens nempe istud ipsius cœli lucrum, quod pii hominis vera demum patria est, cujus hic ipsi porta quasi aperiebatur. β. Si debuit dilectâ adeo parentum cura ac amore carere; facilè ei erat esse securo in Divina illa ac gratissima ipsius Domini erga eum cura, ubivis ipsum sua ducturi manu, ac servaturi providentia. γ. Esto, quod summo ipsum odio prosequatur Esavus frater, a cujus ipsi facie erat aufugiendum; ecce, adsunt contrà Angeli eum custodientes in via, & providâ sua effecturi cura, ut ad patrios lares sospes denuo revertatur.

β. In specie, ad consolationem Jacobi omnes circumstantias pertinere.

δ. Pro-

δ. Propter quas rationes ne iſtud quidem præter rem erat, quod ſuaviter adeo ac ſecurè ſimul ad hujus ſcalæ pedes dormiret Jacobus, quô & ſignificatum eſſe potuit, fidelium omnium eſſe ut ſecurè dormiant *ſub alis Altiſſimi*; *Pſal.* 3: 6. & 91: 1–12. in ſcalæ hujus, per quam terram cum cœlo conjungeret, ideo conſiſtentis ſummitate, ſuosque mittentis de cœlo Angelos, ut Jacobum *ductum prius ſuo conſilio*, ad ſe aliquando tandem aſſumeret in gloriam *Pſalm* 73: 24. in cœlum, ubi in ejus ſummitate jam ipſe conſiſteret.

γ. *Specialiſſime* Meſſiæ perſonam & officium *repræſentari*; *quod explicatur & confirmatur.* 1. *Ex variis Theologis.*

XXXVI. Qua ex conſideratione ſponte jam manu quaſi ducimur ad Tertiam & ſpecialiſſimam, quæ omnium revera excellentiſſima, poſſe nimirum hanc quoque denotare ſcalam magnum myſterium, ad Chriſtum reſpiciens ejusque Eccleſiam. Pulchrè Auguſtinus *Sermon.* 40. *de Verbis Domini: Somnium hominis non ſcriberetur, niſi magnum pietatis myſterium in eo præfigararetur.* Ubi primum hoc pono ceu fundamentum omnium dicendorum, hunc JEHOVAM viſum a Jacobo fuiſſe Meſſiam, conf. *Gen.* 31: 11. 13. & 48: 15, 16. & *Joan.* 1: 52. Hunc autem, qui Jacobo dicitur *loc. cit. Goël*, Meſſiam eſſe, pluribus docuit Jo. Jac. Cramerus de *Goël* L. 2. C. 1. nec non in *Theologia Iſraëlis* Part. 2. p. 35. &c. Cui addere licet, quod non abſque graviſſima cauſa particula הִנֵּה / *Ecce*, jam in viſionis limine *vers.* 12. & 13. tribus vicibus repetita occurrat: prout jam obſervavimus ante §. XIV. Nimirum, quia majus huic viſioni arcanum ſuberat, quod diligentiori attentione foret eruendum. Atque inde eſt, quod omnis ferme antiquus, & recentior Theologorum chorus, maximopere credibile exiſtimârit, hanc ſcalam præter generaliorem ſignificationem, ad Divinam ſpectantem providentiam, habuiſſe etiam ſingularem illam ac myſticam, quæ Meſſiam cum gratiâ ſua complectatur. Infinitum profectò foret omnium hic afferre catalogum, hac qui in ſententia verſantur, quorumque commentationes etiam paſſim ad manum ſunt. Ita vel olim Conr. Pellicanus in *h. l. Scala autem viſa myſterium eſt incarnationis in Chriſto, & ipſe denique Chriſtus Dominus noſter, a terra in cœlum porrecta*

recta, cœleſtia jungens terrenis, quâ ſola cœlum adſcendimus &c. Nec non Paul. Fagius: *Nos per ſcalam illam rectè Chriſtum intelligimus, cujus Divinitas conjuncta erat humanitati, deſcenditque ad nos, per quem & adſcendimus ad Deum Patrem.* Eadem fere habet Vatablus. Magnus quoque Calvinus noſter nobis hac in parte præit, cùm in *Commentario ad Gen.* 28: 12. *Scalæ*, ait, *ſimilitudo optimè convenit Mediatori, per quem miniſterium Angelorum, juſtitia & vita, omnesque Spiritus Sancti gratiæ gradatim ad nos deſcendunt:* tum *Inſtitut. Lib.* 1. *Cap.* 14. §. 12. ubi de Angelis agens, eos eſſe ait, qui *in Mediatore Chriſto nos retinent, ut ab eo prorſus pendeamus, in eo recumbamus, ad eum feramur, & in ipſo acquieſcamus. Quod enim in viſione Jacobi deſcribitur, hærere ac penitus infixum eſſe animis noſtris debet, Angelos in terram ad homines deſcendere, & ab hominibus in cœlos adſcendere per ſcalam, Chriſti interceſſione fieri, ut Angelorum miniſteria ad nos perveniant; ſicut ipſe affirmat Joan.* 1: 52. *&c.* Similia habent Theologi ſolidiſſimi Muſculus, Piſcator, Pareus, Rivetus, Rudolph. Petri, Coccejus, Ligtfootus & Recentiores alii. Ex quibus unius tantùm addiderim Witzii noſtri *Meletemat. Leidenſ. Diſſ.* 3. §. 7. Ubi, poſtquam diſſeruiſſet de ſcala Jacobo viſa generali ſignificatione, ita pergit: *Ac credibile eſt ſubeſſe plura, eâdemque ſcala repræſentatum eſſe Meſſiam Jacobo Com.* 14. *promiſſum.* Quæ ſi ita ſint, & ſatis obvia paſſim, mirandum utique eſt Sal. Glaſſium, *Philol. Sacr. Lib.* 2. *P.* 1. *Tract.* 2. *Sect.* 4. §. 7. *Can.* 1. *de Typis*, p. m. 212. ita ſcribere auſum: *Abſurdus eſt Calvinus cum iis, qui ejus imitantur indolem, quando cùm alia Vet. T. vaticinia, tum etiam Propheticas viſiones, Chriſtum cum ſuo merito repræſentantes, aliò audaciſſimè detorquet. Atque ut res fiat plana, unum atque alterum adponere lubet exemplum.* Viſionem Jacobi de ſcala ad cœlum uſque pertingente, *Gen.* 28. *Chriſtum veram cœli ſcalam præfigurâſſe, oſtendit non ſolùm textus, qui de Dei propitiatione & tutela, divinaque benedictione, in ſemine benedicto ad nos deveniente, expreſſe agit; ſed & N. T. & ipſius Chriſti ad ſe illam viſionem explicantis applicatio, Joan.* 1: *ult.*

Et tamen inter Calvinianos ſunt, qui ipſum Patriarcham Jacobum ſcalæ hujus conſtituunt anti-typum, quod quin fiat perperam, a Chriſtianis dubitari non debet; quippe inter quos, ſi forſan unus alterve inter Reformatos exiſtat, qui ita locutus ſit, maxima tamen longè pars aliter ſtatuit; uti ex allegatis videre eſt.

2. Ex variis rationibus, interque eas ex teſtimonio Chriſti Joan. 1: 52. quod latius exponitur ex variis Doctoribus.

XXXVII. Nec ſanè ſine graviſſimis cauſis. Namque ſi ad iſtum canonem, quem Glaſſius *loc. cit.* ex Hunnio ſtatuit: *In quocunque Vet. Teſt. Prophetico textu, in quo agitur de gratia Dei, propitiatione, redemtione, benedictione, de hoſtium deletione, ita ut partim N. T. lux & explicatio, partim textus ipſius circumſtantia, verborumque ἐμφασις oſtendat, ad Chriſtum ejuſque meritum & paſſionem pertinere, ibi perperam alia interpretatio fingitur*, ſi, inquam, ad iſtum canonem ſententiam hanc explores, varias reperies rationes, & ex Novi T. luce, & ex Textus circumſtantia, & verborum emphaſi, quæ id perſuadeant. Quales ſunt, ut ab ultimis hiſce incipiam. 1. Quod hic Meſſiæ diſertiſſima mentio fiat in hac ipſa viſione, *vers.* 14. ubi Dominus ſummitati ſcalæ inſiſtens ita ait: *In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Iſtud enim ſemen Chriſtum eſſe, dubitare nos nequaquam ſinit Paulus *Gal.* 3: 16. Immo 2. quod ipſe quoque Meſſias in hac ſcala conſiſtens repræſentetur. JEHOVA enim hic apparens Jacobo, ſe ipſum poſtea diſertè אֵל *Deum* nuncupat, & *Angelum Dei*, ita loquens ad Jacobum *Gen.* 31: 11-13. *Ego ſum Deus ille fortis, Deus Bethelis, ubi unxiſti ſtatuam, ubi voviſti mihi votum: nunc ſurge, exi è regione hac, & redi in regionem cognationis tuæ.* At verò quis eſt ille *Angelus Dei*, & *Deus* ipſe? Non certè Angelus creatus, ſed ipſe Meſſias, qui ratione ſuæ naturæ JEHOVA, ſui verò officii ratione *Angelus* audit. His nunc lux Novi T. accedat 3. Nempe ex collatione dicti Chriſti *Joan.* 1: 52. ubi nulla quidem hujus ſcalæ Jacobo oblatæ mentio diſerta injicitur, tales tamen phraſes occurrunt, quibus Salvator hanc ad ſcalam omnino reſpexiſſe videtur, ita ajens: *Amen, Amen dico vobis: ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, &*

An-

Angelos Dei adſcendentes deſcendentesque ſuper Filium hominis. Hic nempe eadem res iisdem verbis, eodemque verborum ordine, qui np. adſcenſum Angelorum eorundem deſcenſui præmittat, depingitur ac in hac Jacobi viſione: qualis verborum tam ſingulorum convenientia caſui mero adſcribi non poteſt, ſed deſtinato loquentis propoſito. Quod igitur Jacobus in ſomnio olim viderat, ac in figura duntaxat, apertum quaſi cœlum, cujus ibi quaſi *porta* eſſet, *Angelosque adſcendentes deſcendenteſque ſuper ſcalam*; idem Apoſtoli viſuri nunc eſſent revera, ac illuſtriori quidem modo *ſuper Filium hominis*, quamvis non eâdem corporali ratione. Nam quanta eſt cœli diſtantia a terra? eſt hæc menſura una ex maximis: adeoque per naturam rerum fieri nequit, ut Chriſtus homo ſolitæ magnitudinis, ad cœlos à terra pertingat, aut Angelis viam præbeat. Sufficit ea convenientia, ut quemadmodum ibi ſcala, ita hic Chriſtus ſit medium quoddam, cauſa & inſtrumentum, quô interveniente, ibi quidem corporali modò, hìc autem ſpirituali, Angeli adſcendant ac deſcendant. Ecce autem ſimile exemplum. Cùm Chriſtus dicit *ſe deſcendiſſe de cœlo*, *Joan.* 6: 33, 38. nemo dubitat alludere eum ad *deſcenſum mannæ de cœlo vers.* 49. memoratum. Et tamen ibi quoque ea inconvenientia eſt, quod Manna illud corporali deſcenſu & locali motu deſcenderit; non verò ſic natura divina Chriſti. Convenientia ea ſufficit, Chriſtum æque de cœlo deſcendiſſe ac Manna, etſi diverſâ utroſque ratione pro variante ſubjectorum naturâ. Pariter Chriſtus dicitur *equitare* על דבר אמת / *ſuper verbum veritatis Pſal.* 45: 4. certiſſima alluſione ad currum militarem aut triumphalem victoris; non tamen corporaliter. Omitto alia exempla. Atque inde eſt, quod videas ad unum omnes ferme Interpretes ſine ulla ad difficultatem hanc hæſitatione, hæc verba Chriſti cum *ſcala Jacobæa* conferre, atque ex mutua utrorumque collatione eadem explicare. Quod non modò faciunt omnes ante laudati Theologi, ſed & ipſi noſtræ Belgae, in *Notis* ſuis marginalibus ad *Gen.* 28: 12. conferentes locum *Joan.* 1: 51. His præivit dudum Phil.

Melanthon in *Joan.* 1: 52. *Hæc eſt dulcis*, inquit, *deſcriptio Meſſiæ & Eccleſiæ, ſumta ex Gen.* 28. *de ſcala Jacob: ſcala eſt ipſe Chriſtus, cacumine tangens cœlum, ut in Geneſi dicitur, quia in eo eſt natura divina &c.* Quibus adſcribere ea non tædet quæ graviſſimus Theologus Hieron. Zanchius de eadem ſcala commentatus eſt *de Tribus Elohim, Lib.* 2. *Cap.* 2. §. 5. *Tametſi hac viſione indicare voluit Deus ſancto Jacob providentiam* &c. *quia tamen præcipua pars providentiæ Dei in eo verſatur, ut per Chriſtum, tanquam per verum Mediatorem, viamque ac ſcalam, & ſua nobis communicet beneficia, & nos in cœlum deducat; idcirco hanc ſcalam, non tam typum providentiæ Dei, quam figuram fuiſſe Chriſti non dubito: conſentientibus omnibus piis interpretibus: & Chriſto idem annuente, quum dixit Nathanaëli Joan.* 1: 51. &c. *nempe, in teſtimonium, quod ſum ille filius Dei unigenitus: eoque & verus Deus, ſicut & verus homo: per quem ſolum, tanquam per veram ſcalam in cœlum pateat adſcenſus hominibus; ſicut etiam per hanc eandem ſcalam, gratiæ & benedictiones Divinæ per Angelos ad homines deferuntur.* De ſenſu verò verborum Chriſti *Joan.* 1: 52. hic ſpeciatim dicere nihil quidem attinet. Haud tamen fuerit Lectori inutile hic legiſſe elegantiſſimum periphraſin Bullingeri in *h. l. Audiſtis*, inquit, *haud dubie in Lege figurâ quadam res Meſſiæ per ſcalam Jacobi deſignari. Atqui ſcitote, illa nunc in me compleri, & ad diem uſque aſſumtionis plenius fore implenda. Intelligetis omnino me Doctore ac Magiſtro cœlum, per peccata & corruptionem humani generis in Adamo occluſum, mea diſpenſatione recludi, & per me Deum orbi reconciliatum perpetuo cohæſurum hominibus fœdere. Intelligetis me eſſe ſcalam & viam illam in cœlum, qua aditus patet ad Patrem. Is enim ſum qui cœlo terram unio, ut porro Angeli inter utrasque partes miniſtri ſint inambulaturi. Intelligetis præterea, Angelos mihi, quamvis filio hominis, veroque homini, revera & ſingulariter eſſe ſubjectos, & me Dominum eſſe, non modò omnium viſibilium creaturarum, ſed & Regem Angelorum, omniumque inviſibilium Spirituum Deum verum. Hæc, inquam, porro rectius intelligetis ex doctrina mea, ex ſignis ſive mi-*

miraculis, ex morte, reſurrectione item glorioſa, & magnifica in cœlos adſcenſione. Ex quibus ergo palam fit, plurimam Theologorum partem Jacobœam ſcalam haud duntaxat pro figura Chriſti habuiſſe, verùm & credidiſſe quod ipſe Chriſtus *Joan.* 1: 52. hanc ipſis explicationem præmonſtrârit.

Confirmatur explicatio ex ipſa phraſi adſcendere & deſcendere ſuper filio hominis.

XXXVIII. Quod ſanè ex notabili phraſi & *deſcendere ἐπὶ τὸν υἱὸν τ ἀνθρώπου, ſuper Filium hominis*, prorſus confirmatur. Ita namque particula ἐπὶ de *gradibus* uſurpatur, quales & in ſcala obtinent, in cauſa Pauli *Actor.* 21: 35. & 40. Et ſæpe occurrit cum accuſativo juncta in ſignificatione *ſuper*, notans ſubjectum aliquod pavimentum, fundum, aream, ſive locum, *ſuper* quo hoc vel illud peragitur: conf. *Matth.* 13: 2. Καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν εἱςήκει, *Et tota turba ſuper littus ſtabat.* Marc. 4: 5. *Semen* ἔπεσεν ἐπὶ τὸ πετρῶδες, *cadebat ſuper petroſum:* quod mox *vers.* 7 & 8. effertur per ἔπεσεν εἰς τὰς ἀκάνθας, εἰς τ γῆν, *in ſpinas, in terram*, quæ præpoſitio indubiè localem terminum actionis ſignificat. Uti &, prorſus ut in noſtra phraſi, *Actor.* 8: 26. uſurpatur de via, ſuper quam, ceu medium quoddam, quis tendit ex uno loco in alium: Πορεύου ἐπὶ τ ὁδὸν τ καταβαίνουσαν, *Vade ſuper viam, quæ deſcendit ab Hieroſolymis in Gazam.* Quocirca Cel. Jac. Altingius in *Rom.* 4: 7. *Oper. Tom.* 3. *p.* 108. *col.* 2. verba *Joan.* 1: 52. allegans, eaque conferens cum *Actor.* 21: 35. ubi dicitur de Paulo, quod cùm veniſſet ἐπὶ τὰς ἀναβαθμὰς, *ad gradus*, pro quo mox legitur *vers.* 40. quod ſtetit ἐπὶ τ ἀναβαθμῶν, *in gradibus*; porro ſic ſcribit: *Non propter Filium hominis, ſed per eum ceu ſcalam, ad homines, quod ſint ſpiritus adminiſtratorii, quod miniſterii cauſa emittuntur propter hæredes ſalutis futuros, Hebr.* 1: 14. *qui hoc miniſterium Angelorum ſoli, & non aliter conſequuntur, quam in Chriſto ſalutis auctore. Jeſus etiam in ſe monſtravit uſum ſomniatæ ſcalæ Joan.* 14: 6. Cui addam verba notabilia noſtri Riveti, qui locum citans *Joan.* 1: 52. in hunc modum commentatur: *Etſi alii aliter hunc locum interpretentur, & plerique id referant ad externam aliquam apparitionem Angelorum, quam vel viderint, vel videre debeant oculis corporeis, vel in ba-*

baptiſmo Chriſti, vel in transfiguratione, vel in adſcenſione, vel demum in futuro judicio, certum tamen eſt, inquit, *Chriſtum alluſiſſe ad hanc ſcalæ Jacobi hiſtoriam, ubi de* Angelis adſcendentibus & deſcendentibus per eam. *Id quidem verum eſt*, pergit, adſcendendi *&* deſcendendi *verba, explicare Angelorum miniſterium, ſed* aſcendere *&* deſcendere ſuper aliquem, *nunquam legitur pro eo, quod eſt* alicui inſervire & miniſtrare (quo ſenſu tamen minus gracili eam phraſin explicuerat olim Cyrillus Alexandrinus, & poſt eum Grotius, & qui eos ſequuntur.) *Quorſum enim*, ait, *adſcendere ſuper aliquem, ut ei ſerviat? Angeli quidem ad Deum adſcendunt, tanquam ad Dominum ſuum, obedientiam præſtituri; ſed nunquam dicitur* ſuper Deum adſcendere, *nec etiam* ſuper homines deſcendere. *Cùm igitur dicantur* adſcendere & deſcendere ſuper Filium hominis, *conſentaneum eſt, ut Filius hominis habeatur pro illo, qui medius inter Deum & homines ſtans; & extrema duo ſolus pertingens, Angelis adſcendentibus & deſcendentibus viam præbet, eoſque in miniſterio ſuo ſuſtinet, ut exequantur mandata Divina apud fideles, quibuſcum nullum commercium haberent, niſi Deus per Chriſtum nos ſibi reconciliaſſet & hæredes effeciſſet. Ad hoc autem non opus eſt ut recurramus ad viſibilem aliquam aperti cœli apparitionem. Dicitur enim cœlum aperiri, quum manifeſtius lux divinitatis ſe aperit in ſuis operibus. Quae cùm in operibus gratiae maximè revelata fuerit, ideo tunc ſingulariter aperti fuiſſe cœli dicuntur, cum apparuit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus; quo tempore, etſi miniſterium Angelorum in electorum gratiam minus viſibile fuerit, quam antea, quum adhuc venturus exſpectabatur Meſſias; multò magis tamen efficax fuit, & magis diffuſum, in Eccleſiæ univerſalis uſum, ex omnibus nationibus collectæ. Quarum ratione adhuc continebant ſe Angeli in cœlo, nec ad eas deſcendebant, quia nondum ſcalæ illius extremitas eas attigerat; cum eſſent* alienæ a Republ. Iſraëlis, ſive Chriſto, extraneæ a pactis promiſſionis, ſpem non habentes, *Epheſ.* 2: 12. *Donec Chriſto exhibito, ſcala etiam hæc fuit admota, ut Angeli ad gentes deſcenderent, & earum ſalutem juvarent.* Ita illi.

Et

Et profectò, videtur phraſis ea, ἐπὶ τ ὑὸν τ ἀνθρώπε, ex ipſa ſua indole ne quidem poſſe alio ſenſu accipi, quàm quô ſic ſignificat *locale* quaſi & *ſubjectivum* adſcenſus deſcenſusque iſtius *medium*. Omnes quippe alii ſenſus, quos varii hic excogitârunt varios, duri aliquid habent, aut exemplis deſtituuntur. Sumamus nunc hunc unum modo; Ἐπὶ τ ὑὸν τ ἀνθρώπε, eſſe tantumdem ac *ad filium hominis*, tanquam terminum ad quem. Qui quidem ſenſus cum indole præpoſitionis ἐπὶ, cum Accuſativo revera ſic uſurpatæ *Joan.* 19: 33. *veniſſe milites* ἐπὶ τ Ἰησῦν, & *Matth.* 3: 16. *deſcendiſſe Spiritum S.* ἐπὶ τ Ἰησῦν, & alibi, non pugnat; veruntamen pugnat cum altero duorum activorum verborum, quæ utraque huic præpoſitioni reſpondere debent. Dicuntur enim *Angeli* non tantùm *deſcenſuri* ἐπὶ τ ὑὸν τ ἀνθρώπε, ubi ſenſus iſte, *ad filium hominis*, ſatis aptus eſſet; ſed *adſcenſuri* quoque ἐπὶ τ ὑὸν τ ἀνθρώπε: quod nequaquam verti poteſt, *adſcenſuri ad filium hominis*. *Adſcendere* enim noſtrum hic eſt tendere in cœlum, qui ordinarius Angelorum illorum locus erat: *deſcendere* verò venire in terram ex loco illo ſuperiori: in qua terra nunc quoque Chriſtus verſabatur, *filius ille hominis*.

Convenientiæ inter Chriſtum & ſcalam hanc.

XXXIX. Quô ergo fundamento poſito haud difficile fuit Theologis multiplicem ac concinnam inter hanc ſcalam & Chriſtum analogiam reperire, quam paſſim vides apud Interpretes, & in primis apud Magnum Calvinum in *Comment.* in *Gen.* 28. quem ſecuti ſunt deinceps Mercerus aliique plurimi; quorum ego veſtigia premam, piaque eorum cogitata facili & clara methodo ad certa quædam capita revocabo: & quidem diſtinctè A. Reſpectu *ſcalæ* ipſius. B. Reſpectu *Angelorum* in eâ ſcala.

A. Reſpectu ſcalæ ipſius, ratione tum a. graduum; tum b. quatuor aliarum circumſtantiarum.

XL. A. Ubi 1. in *genere* præmitto, ſcalam plures habere gradus, quos ordine ille pervadat neceſſe eſt, qui per illam adſcendere cupit in altum. Tales etiam gradus, quibus per Chriſtum enitamur in cœlos, pro vario conſiderandi modô plures paucioresque, atque alios aliosque, id eſt, vel Dei ſalutifera beneficia, vel hominum officia ſalutaria, conſtituere licet. Placuit nonnullis a parte *Dei*

qua-

quatuor quaſi gradus ſtatuere, ex 1 *Cor.* 1: 30. ubi Chriſtus prædicatur nobis factus a Deo, 1. *Sapientia:* 2. *Juſtificatio:* 3. *Sanctificatio:* 4. *Redemtio.* Quæ pluribus diduxit Celeb. Altingius *loc. cit.* Poſſunt etiam ex *Rom.* 8: 29, 30. conſtitui *cognitio*, *præordinatio*, *vocatio*, *juſtificatio*, *glorificatio.* Poſſent etiam ſpecialius reſpectu Chriſti conſtitui gradus, per quos *adſcendit*, ex *Rom.* 8: 34. *mors*, *reſurrectio*, *ſeſſio ad dextram*, *interceſſio* pro nobis: ut & gradus per quos *deſcendit*, ex Symbolo Apoſtolorum quatuor vel quinque notiſſimi ſunt. Similia plura ex aliis locis Lector ipſe poterit colligere. A parte verò *hominis* poſſent conſtitui duo: *Reſipiſcentia* ſcilicet & *fides*, ſive *baptiſmus in fide* ſuſceptus, *Act.* 2: 38. Poſſent etiam ex 2 *Petr.* 1: 5–7. conſtitui ſeptem, vel, ſi placet octo, & tunc *amor* diſtinctè ſumi debet, np. *Fides*, *virtus*, *cognitio*, *temperantia*, *patientia*, *pietas*, *fraternus amor*, *& amor erga omnes:* & ſi quæ plures numero minoresve alibi junguntur. Ubi verò 11. ad *ſpecialia* magis pergo, Primò mihi occurrit, hanc ſcalam attigiſſe duo iſta extrema a ſe invicem valde diſtantia, np. cœlum & terram, illaque duo univiſſe. Sic verò Meſſias duo iſta extrema per peccatum infinitis paraſangis remota, creatorem ſcilicet & creaturam, Deum & hominem conjungit. Secundò, hujus ſcalæ extremitates non utrumque tantùm terminum, cœlum ac terram, ſed & ipſum *Deum* in ſummitate ejus ſtantem, & *hominem*, Jacobum ſcilicet, ad infimam ejus partem cubantem, attingentes complexæque, ſic adumbrare poterant 1. In genere conſortium naturæ, quod Meſſiæ perſona cum utriſque, Deo & hominibus, habiturus erat, cùm, quoad naturam ejus *Divinam*, juxta quam *Dominus eſt ex cœlo* 1 *Cor.* 15: 47. & qui ἄνωθεν, *deſuper venit Joan.* 3: 31. tum, quoad *humanam*, juxta quam eſt *germen* JEHOVÆ, & *fructus terræ*, *Eſai.* 4: 1. uti juxta utramque eam in una Chriſti perſona, quà Θεανθρώπῳ unitam, eſt עמנואל / *Immanuël*, *Deus nobiſcum: Eſai.* 7: 14. Quare & JEHOVA ſtans in ſummitate hujus ſcalæ, & ſic inſidens quaſi & inhabitans, præfigurare ſtrictius potuit *plenitudinem Deitatis* ſuper Chriſto ven-

venturam, manſuram, ac *in Chriſto habitaturam*, non in umbra, ut ſuper arca, ſed σωματικῶς, *corporaliter*, id eſt, revera, eſſentialiter, *Col.* 2: 9. Ex qua conſideratione tum deinde 11. magis in ſpecie eadem illa ſcala, *Deum* cum *Jacobo* homine peccatore conjungens, repræſentamen exſtitiſſe potuit *Officii* Chriſti, quatenus univit cœlum & terram, *ea reconcilians in ſanguine crucis ſuæ, & ad unam ſummam* (ἀνακεφάλαιον) *omnia redigens, tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terris*, *Epheſ.* 1: 10. *Col.* 1: 20. & ſic homines peccatores cum Deo in gratiam redigens, ipſisque viam inſtaurans cœlum verſus, non in ſanguine tantùm ſuo *Hebr.* 10: 20. & 12: 22. *ſeqq.* ſed & in ſe ipſo eam ſuis viam præbens, uti ipſe *via* eſt, & *unica* quidem, per quam tenditur ad Deum in cœlum; quemadmodum præter hanc unicam ſcalam nulla quoque in viſione Jacobœa alia erat Angelis deſcendendi ac adſcendendi via, conf. *Joan.* 14: 6. 1 *Tim.* 2: 5. Quod porro Tertiò ſcala hæc cœlum cum terra conjungeret intervenientibus aliquot gradibus, quos peragrare neceſſe foret adſcendentibus deſcendentibusque, ſignificare poterat nemini peccatori Chriſtum fore pro via in cœlum, niſi ille peccator per varios gradus beneficiorum officiorumque ſuorum, quæ jam ſupra enumeravi, Chriſti maneat particeps.

XLI. B. Per *Angelos* porro, per hanc ſcalam adſcendentes ac deſcendentes, geminum quid denotari potuit. Primò quidem generale iſtud *cupidos eſſe Angelos introſpicere in ea, quae Chriſti ſunt*, 1 *Petr.* 1: 12. quare nihil quoque ille egit ad opus mediatorium ſpectans, in nativitate, tentatione, paſſione, reſurrectione, adſcenſione, quin ſemper præſto ipſi fuerint Angeli. Deinde verò etiam ſpeciale iſtud, quod in primis hic intenditur, per hunc nempe Chriſtum Mediatorem, ejuſque meritorum efficaciam, tanquam per gradus, Angelos ad homines & *deſcendere*, ut familiarem in modum cum ipſis nunc converſentur, conf. *Hebr.* 1: 14. ſicque aliam nunc ad ipſorum ſalutem promovendam perſonam induant quam antea, quando homini peccatori nil niſi timorem horroremque incuterent, tanquam divinæ vindictæ miniſtri, per quos ju-

B. Reſpectu Angelorum ſuper ea adſcendentium & deſcendentium.

dicia ſæpe ſua Deus executioni mandare conſueverat homini; & denuo *adſcendere*, ut qui fidelium ſic cuſtoditorum animas in cœlum deferant, *Luc.* 16: 22. a cujus emblemate, Paradiſo & arbore vitæ, olim hominem arcuerant, *Gen.* 3: 24. Concludam hæcce verbis primò Calvini, deinde & Witzii ac Vitringæ: quorum iſte in *Gen.* 28: 12. ita loquitur: *Solus ergo Chriſtus eſt, qui cœlum terræ conjungit: hic ſolus eſt Mediator, qui pertingit a cœlo uſque in terram: ille idem eſt, per quem omnium bonorum cœleſtium plenitudo deorſum ad nos fluit, nosque viciſſim ad Deum conſcendimus.* Et poſt adductum locum *Joan.* 1: 52. ita pergit: *Ergo ſi ſcalam dicimus eſſe Chriſti effigiem, hæc expoſitio nihil habet coactum.* Ita verò habet Witzius *loc. cit. Equidem non diffiteor, tam prolixam, tamque accuratam analogiæ concinnitatem tantum apud me valere, ut piis iſtis cogitationibus contradicere non auſim. Ideoque pronus in eorum inclino ſententiam, qui huc reſpexiſſe Dominum arbitrantur, quando de apertione cœlorum, & Angelorum adſcenſione & deſcenſione ſuper Filium hominis verba faciebat: eum ſe eſſe innuens, qui ſub illo ſcalæ emblemate olim repræſentatus Jacobo fuit.* Quam ſententiam ſuo quoque ſuffragio ratam habuit Cel. Camp. Vitringa *Obſerv. Sacr. L.* 5. *C.* 18. Agens enim de myſterio *facis igneæ* Iſraëlitis in Arabia prælucentis, & ſpecie *columnæ* protenſæ a terra in cœlum, terram quaſi cœlo conjungentis, quæ Chriſtum repræſentaverit, tanquam qui medius intercedens inter Deum & hominem, Deum quaſi homini junxit, ſicque hominibus facta cauſa vitæ æternæ, deinceps ſubjungit: *Idem ſignificatum per* ſcalam Jacobi, *quæ* a terra pertingebat in cœlum. *Docet enim nos Dominus non obſcurè per Joannem* (*Joan.* 1: 52.) *ſe eſſe illam* ſcalam Jacobi; *terram jungentem cœlo, per quam Angeli commercium exercere poſſunt cum homine.* Tandem quartò, quod hanc ad ſcalam omnes Jacobo confirmantur benedictiones ex fœdere Divino profluentes, ſignificat Chriſtum eum eſſe, *in quo benedicantur* credentes *omnibus ſpiritualibus in ſupercœleſtibus*, *Epheſ.* 1: 3. Atque hoc eſt, quod egregiè rurſus explanat Calvinus in *Gen.* 28: 12. *Quod autem ſcala ſymbolum fuerit Chriſti, hæc etiam ratio confirmat, quia nihil magis con-*

ſen-

ſentaneum fuit, quam ut Deus in Filio ſuo fœdus æternæ ſalutis ſanciret ſervo ſuo Jacob.

XLII. Veritate expoſita difficultates amovendæ ſunt: quæ quidem duplicis hic loci moveri poſſunt generis. Prior enim ab ignorantia Jacobi, altera ex ipſo textu petitur. Erit nempe fortaſſis quiſpiam, qui quærat, an Jacobus hæc modò de Meſſia dicta eum in modum ex hac viſione intellexerit, pervideritque? quique, ſi id non poſſit affirmari, concludat inde, ergo ne Dei quidem intentionem in hac viſione tam myſticam fuiſſe. Me quod attinet, palam ajo nos prius certò ſtatuere non poſſe: nec quoque opus eô fuiſſe, ſi modò rem ipſam, quam viſio hæc, non primùm notificabat, ſed de novo tantùm repræſentabat, firmiter teneret Jacobus. Nobis enim in plena luce Euangelii verſantibus, datum eſt tanquam privilegium Novi Teſt. iſtiuſmodi viſiones Prophetas clarius à poſteriori pervidere. Non enim intellexiſſe Prophetas omnes viſiones ſibi exhibitas, aut oracula ad ſe cœlitus miſſa, ſatis in confeſſo eſt. Si tamen conjecturae aliquid tribui debeat, id pro ſatis probabili aſſumi poſſe, quod generalem ſubſtantiam viſionis ſatis perſpexerit Patriarcha noſter, quandoquidem de locô, in quo hæc ei facta fuit apparitio, ipſe effatus ſit, *eſſe eum domum Dei, cœlique portam.* Quô non tantùm in genere ſignificabat, quod tunc ibi ſe manifeſtaret Deus; ſed in ſpecie magis, quod & circa eundem locum (Bethel enim haud procul a Jordane ſita eſt, ubi Jeſus a Joanne Baptiſta Deoque Patre primùm manifeſtatus eſt) Deus aliquando manifeſtari vellet tanquam habitans inter homines, quando Meſſias, hac ſcala adumbratus, venturus erat in carnem, apertum nobis promeriturus cœlum, liberumque ex hac terra acceſſum uſque in Sanctuarium iſtud cœleſte ſupernum præbiturus. Quod nemini eorum, qui Patriarcharum fidem in Meſſiam agnoſcunt, mirum videbitur; quandoquidem ignorare non poterant, quod poſtea in Novo Teſt. iisdem verbis dicitur, Chriſtum *viam* eſſe unicam, nec non *januam*, ac *portam* per quam itur ad Patrem. Vid. *Joan.* 14: 6. 10: 7, 9. *Rom.* 5: 2. *Hebr.* 4: 16. *&c.*

Objectiones duæ ſolvuntur 1. Jacobum utique tantum myſterium in ea ſcala non intellexiſſe.

2. *Meſſiam non fuiſſe ſcalam ipſam, ſed* JEHOVAM, *qui in ſummitate ſcalæ ſtabat.*

XLIII. Supereſt altera difficultas, quam contra datam modò exegeſin movit Petrus du Boſc, *in Epiſtolis* p. 458. Ejus ſententiam dabo verbis Clar. Witzii noſtri *loc. cit.* §. VIII. *Chriſtum*, inquit, *Jacobi ſcala repræſentatum abnuit; ob hanc præcipue rationem, quia is qui ſupra ſcalam viſus eſt, Chriſtus fuit. Hoc autem ita conficit. Citra controverſiam eſt, quod qui compellavit Jacobum in ſomnio, dum quieſcebat Bethele, idem ſit cum eo qui ipſum compellavit in Meſopotamia. Ita enim exſtat Gen.* 31: 13. Ego ſum Deus ille fortis, Deus Bethelis, ubi unxiſti ſtatuam, ubi voviſti mihi votum. *Hunc autem Filium Dei, Meſſiam promiſſum, Angelum fœderis fuiſſe, colligitur ex ejuſdem Capitis comm.* 11. Dixit autem mihi Angelus Dei per ſomnium. *Quod elogium Filio Dei bene convenit: Deo Patri non convenit.* Quam difficultatem ita ſolvit Witzius: *Fateor acutè iſta a Viro Doctiſſimo annotata eſſe: non tamen tanti videntur, ut ob eam rem laudata modò interpretatio deſerenda ſit. Nam quum Filius Dei unus cum Patre Deus ſit, & Deus non ſine Filio in priori iſto inſomnio Jacobo apparuerit, potuit Filius nunc apparens ſub ſpecie* Angeli, *ſibi attribuere priorem illam apparitionem ſub ſpecie* ſcalæ, *itemque votum illud, quod Jacob nuncupaverat Jehovæ, ſine diſtincta conſideratione perſonarum. Nam certè quod Jehovæ vovetur, vovetur etiam Filio Dei. Et quod Deus Pater gratioſè hominibus dicit, id dicit per Filium; id Filius pariter dicit. Unde fit, ut Majeſtas Dei, quæ ſine dubio Patris eſt, aliquando ſpeciali appropriatione adtribuatur Filio; aliquando etiam Spiritui Sancto. Jeſ.* 6: 1. 9. *coll. cum Joh.* 12: 41. *Act.* 28: 25. *Hac ergo explicatione admiſſa, vis argumenti hæc foret: ab hoc tempore cœleſtibus teſtimoniis ac portentis, & miniſterio Angelorum mihi exhibendo, & propter me fidelibus, cujus ipſi futuri eritis teſtes, clarè apparebit, me eum eſſe qui in ſymbolo ſcalæ repræſentatus eſt Jacobo, ut cœlum terræ jungens, ac conſequenter verum Mediatorem Dei & hominum.* Huic verò reſponſioni ego addiderim, nullam mihi videri difficultatem, quare dici nequeat, ipſum Meſſiam illum fuiſſe Dominum ſtantem in ſummitate ſcalæ, & eundem tamen Meſſiam ſimul per ſcalam ipſam repræſentatum fuiſſe, ſed variô ſub reſpectu. Non me-

melius id expreſſero quam verbis ſolidiſſimi Theologi Hieron. Zanchii *loc. cit.* ubi poſt brevem explicationem *Joan.* 1: 52. ſic pergit: *Ita apertè Chriſtus indicavit, ſe eſſe hanc ſcalam, in cujus ſummitate erat* JEHOVA. *Tria enim de Chriſto mihi in hac ſcala ſignificantur. Deitas, in ſummitate cœlos tangente. Humanitas, in infima parte, quæ terram contingebat. Et Officium Mediatoris, per quem ſolum & Pater cœleſtis nobis placatus eſt, & ſuam e cœlo communicat gratiam: & nobis in cœlum ad Patrem patet acceſſus. Hæc mihi certiſſima ſunt in hoc ſcalæ myſterio.* Neque aliter ante eum, vel circa ejus tempora, Jo. Mercerus in *Gen.* 28: 13. *Non alienum eſt per ſcalam, & per Deum in ſumma ſcala, Chriſtum accipi, niſi ſcalam eſſe myſterium incarnationis, quô humana divinis conjunguntur, & ſalutis, quam è cœlo impertitur Chriſtus electis in terra; nam & lapidem, ſuper quem declinabat Jacob, quidam Chriſtum verum petram accipiunt.* Et profectò, ſæpius Filium, ſi fortaſſis non unicè, antiquitus apparuiſſe Sanctis viſibilem in modum, in præludium futuræ ſuæ olim manifeſtationis in carnem, plurimi largientur Theologi, non Proteſtantes tantùm, ſed inter ipſos Pontificios Bened. Pererius in *Gen.* 32. agnoſcit, complures veterum Patrum cenſuiſſe divinas apparitiones ac viſiones, *in quibus vel Deus dicitur*, vel *Angelus apparuiſſe hominibus, apparitiones fuiſſe Dei, ſed proprie non* Patris *ſed Filii Dei*, ſuo olim tempore carnem aſſumturi. Vid. mei Lib. 1. p. 171. Saltem hic eum apparuiſſe, ex collatione *Gen.* 35: 11. & 13. indubiè id concluditur, cùm Deus Pater nuſpiam *Angelus Dei* audiat, nec *ſui ipſius Angelus* dici queat. Quod jam dudum antè probavit Theodoretus in *Exod.* 3. *Quæſt.* 5. ex ipſo nomine *Angeli*, hac addita ratione: *Cujus enim Angelus eſſet Pater?* Neque *diſplicet* Calvino noſtro, quod *veteres Scriptores, ubi Scriptura Angelum Dei Abrahæ, Jacobo, Moſi, & aliis apparuiſſe commemorat, Chriſtum fuiſſe Angelum illum interpretantur. Inſtitut. Lib.* 1. *Cap.* 14: §. 5. quod pluribus perſequitur *Cap.* 13. §. 10. Quod ſi ſit, potuit itaque ſe manifeſtare Meſſias quà Deum in ſummitate ſcalæ; & quà Mediatorem in officio ſuo per ipſam ſcalam. Atque hæc de ſcalâ Jacobæa,

bœa. Si qui autem ſunt, quibus ſubtiliora magis placent, etiamſi minus ſolida, amo ego hoc in ſenſu myſtico in generalioribus ac certioribus perſiſtere.

Concluſio ad ſcopum. XLIV. Ex quibus nunc omnibus ſine longâ demonſtratione ſponte ſua pateſcit, CHRISTUM in hac ſcala exhiberi tanquam UNICUM AC PERPETUUM ECCLESIÆ FUNDAMENTUM; utpote per quem ſolum, uti demonſtravi, aditus eſt ad cœlum, quæ ſatis latè ſupra §. XL. dicta, hic non repetam, quô proinde ſolo innitatur PATRIARCHARUM FIDES.

DISSERTATIO III.

AD GEN. 32: VERS. 24 — 30.

Qua agitur

DE

LUCTATIONE JACOBI.

BREVIARIUM.

I. *omnexio rerum.* II. *Partitio tractandorum quadripartita.* III. *A. Senſus literalis. Et in eo* I. *Ipſa luctatio.* IV. *Occaſio hujus generalior & ſpecialior.* V. *Luctationis a. Auctor*, Vir. VI. *b. Modus* יאבק *id eſt, vel* pulveriſatus eſt cum eo, *vario ſenſu apud varios. Vel* complexus eſt; *cum epicriſi Auctoris contra Crellium.* VII. *c. Tempus*, uſque ad auroram. VIII. II. *Exitus luctationis* vers. 25, 26. *α. Reſpectu Angeli:* vidit ſe non poſſe prævalere illi, at tetigit in cavitate femoris ejus. IX. Ita pendebat acetabulum femoris ejus: *ubi examinantur opiniones Ligtfooti & Judæorum magis minuſque ſolidæ.* X. Deinde dixit, dimitte me, nam adſcendit aurora: cu-

tujus rationis emphaſis exponitur ex Angelorum cantu juxta Judæos, & aliter. XI. *ב. Reſpectu Jacobi dicentis;* Non dimittam te, quàm cùm benedixeris mihi: *quod ex collatione cum* Hoſ. 12: 4, 5. *exponitur.* XII. *ג. Reſpectu Angeli iterum* א. *Mutantis nomen* Jacobi *in illud* Iſraëlis. XIII. *Ubi* 1. *De mutationis hujus ſcopo.* XIV. 2. *De originatione hujus nominis. Non a. cum Judæis & Patribus ex* אל & ראה / *quaſi* videns Deum. *Non b. cum Hieronymo ex* אל & ישר / *quaſi* rectus Dei. XV. *Sed c. ex* אל & שרה / *quaſi* Principem ſe gerens erga Deum: *oppoſitè ad nomen vilius* Jacob, *quod* ſupplantatorem, *& ita quaſi deceptorem denotabat.* XVI. *Quæ originatio probatur* 1. *Ex analogia Grammatica.* 2. *Ex rei natura.* XVII. *Difficultas, an Jacobus* prævaluiſſe, *vel* prædominatus *fuiſſe* Angelo *dici poſſit? Negat Clar. Vitringa F. Affirmat Lutherus: & rectè uterque ſuo ſenſu.* XVIII. *ב. Concedentis ergo in iſta mutatione Jacobo petitam* benedictionem. *Præcipuè ſi vertas;* ut principem te geſſiſti, *non;* cum Deo & hominibus, & prævaluiſti: *ſed;* cum Deo, ideo hominibus etiam prævaluiſti. XIX. *Quam verſionem ab Hieronymo propoſitam Cl. Vitringa confirmavit variis argumentis.* XX. *ד. Reſpectu Jacobi eandem accipientis, at rogantis ſimul,* quodnam nomen *tuum?* XXI. *ה. Reſpectu Angeli* 1. *Reſpondentis;* quorſum rogas de nomine meo? *ubi quæritur, an per Judæorum vitium hic de textu exciderit;* quod eſt mirabile. XXII. *Et ſimul* 11. Benedicentis ipſi. XXIII. *ז. Reſpectu denique Jacobi, nomen loci mutantis in* Pniel: *α.* Quia viderat Deum a facie ad faciem; *phraſi Orientali.* XXIV. *β.* Et evaſerat anima ejus. XXV. *B. Modus hujus luctationis; an realis, an exſtatica, vel in ſomnio? Poſterius affirmant Joſephus, Judæi, Patres, ipſe Calvinus.* XXVI. *Ob rationes præcipuè* quatuor. XXVII. *At quibus ſingulis reſpondetur ab Auctore diſtinctè.* XXVIII. *Et pro priori ſententia proponuntur rationes* tres. XXIX. *C. Natura* Viri *colluctantis cum Jacobo.* Angelum *fuiſſe dicunt Judæi & alii.* XXX. *Sive malum, ut quidam; ſive bonum, ut alii.* XXXI. *Et quidem hi* Michaëlem; *illi* Gabriëlem. *Tertii* Angelum tutelarem Eſavi.

Quar-

Quarti Angelum Iſraëlem dictum. *Malè omnes, fuit* Deus ipſe. XXXII. *Non; quatenus repræſentatus per creatum Angelum, ut Pontificii & Sociniani.* XXXIII. *Sed;* ipſe Angelus fœderis, *ſive* Filius Dei Meſſias. XXXIV. *Judæis quibuſdam hic agnitus; quæ latius oſtenduntur.* XXXV. *An recuſata ea detectio Nominis indicet Nomen indicari non potuiſſe? Et an inde ortus ſit Caligulæ ſarcaſmus in* innominatum Judæorum Deum? XXXVI. *Concluſio per Franc. Junii commentarium in* h. l. XXXVII. *D. Scopus luctationis hujus, quæ non ridenda eſt, tanquam Deo indigna. Quod oſtenditur contra cavillationes quaſdam.* XXXVIII. *Scopus ille erat, non; occidere Jacobum, ut Ligtfootus:* XXXIX. *Sed; ſignificare aliquid ipſi ad confirmationem ſuæ fidei. Nempe A. In genere* 1. *Victoriam ab ipſo reportandam in* lucta cum Eſavo. XL. 2. *Ut & victoriam poſterorum ſuorum in Canaäne ſub tempore Vet. Teſt.* XLI. 3. *Ut & victoriam eorumdem contra Edomitas, ſive Romanos in ultimo dierum; etſi carnaliter nimis ab ipſis expoſitam.* XLII. *Non verò aliam allegoriam, quam proponit Torniëllus.* XLIII. *B. In ſpecie & typicè magis ſignificatur hic* lucta Chriſti, *& poſt eum* Eccleſiæ. *Quod probatur* 1. *Quia victoria Jacobi in lucta cum Eſavo nequaquam ſatisfacit repræſentamini huic.* XLIV. 2. *Quia ad Chriſtum refertur. α. Ab ipſo Eſaia vocante eum* Iſraël. XLV. β. *A Jeſu dicente Moſem Chriſtum* patientem & glorificantem *alicubi exhibere. Atqui nullibi, ſi non hoc loco. γ. A Moſe luctam* Gen. 3: 15. *propoſitam hic illuſtrante.* XLVI. 3. *Quia triplex nimius honor Jacobo hic tribuitur, ſi non ut* typo Chriſti. *Nempe a. Tituli* vincentis Dei. *b. Auctoritatis* poſtulandi benedictionem *c. Titulo* ducis exercitus. XLVII. *Auguſtini perverſa applicatio ad Chriſtum reprehendentem, & Judæos refractarios.* XLVIII. *Dubitatio Auctoris, an Jacobus hic potuerit exhibere Chriſtum patientem; Angelus verò, ſive ipſe Meſſias, Deum patrem punientem.* XLIX. *Convenientia inter hanc luctam nocturnam Jacobi, & 1. luctam Chriſti.* L. *Quæ oſtenditur.* LI. *Cautela quædam.* LII. 2. *Luctam* Eccleſiæ. LIII. *Quæ etiam convenientia traditur.* LIV. *Concluſio.*

I. Pro-

I.

PRæcedenti Diſſertatione Jacobi explicuimus SOMNIUM, quô in exitu ſuo confirmabatur de proſpero itineris verſus Meſopotamiam ſucceſſu, ducem pariter comitemque habiturus ipſum Deum patrum ſuorum, omnia ei neceſſaria copioſè procuraturum. Quæ omnia latius antea demonſtrata ſunt. Atque adeo inſtituti noſtri ratio nunc flagitat, ut Patriarcham, quem ſub tam fauſto omine exeuntem vidimus, reducem quoque excipiamus, viſuri an promiſſio illa Dei felicem ſatis habuerit eventum. Et hactenus quidem omnia ſucceſſerunt proſperè, quatenus tandem poſt aliquot annorum ſpatium dives jam factus & uxorum & liberorum, & pecoris & ſervorum, incolumis reverſus eſt uſque ad limites terræ Canaänis, toto Angelorum comitante exercitu: uti ea omnia leguntur inde a *Cap.* 29. uſque ad *Cap.* 32. *verſ.* 2. Exinde verò duplex nova ipſi tempeſtas oborta eſt; partim per metum antiquæ iræ fratris ſui Eſavi; partim etiam, & gravius adhuc, per ſenſum ſummæ anxietatis ex colluctatione cum viro nocturno tempore, ex qua tamen utrâque ſummâ cum gloria evaſit. Nos nunc felicem iſtum LUCTATIONIS dictæ exitum luſtremus, in quo illi victori confirmata denuo ſunt omnia iſthæc promiſſa bona, quorum jam hæres in præcedentibus, & per paternam benedictionem, & per JEHOVÆ de ſcala illa allocutionem deſignatus fuerat. Hic caſus inſignis deſcribitur ab eodem Moſe *Geneſ.* 32: 24–30.

Connexio rerum.

II. Fert animus hoc in negotio eum in modum procedere: ut I. Daturi ſimus ſimplicem *verborum* ac *rerum* explicationem. II. Inquiſituri, num hæc Patriarchæ *luctatio re ipſa* & *vigilanti*, an verò in *imaginatione* duntaxat, *ſomnianti* obtigerit. III. Indagaturi, quis iſte fuerit *Vir*, qui *luctatus cum Jacobo*, qui ei *benedixerit*, quique ipſi *nomen* dederit *Iſraëlis*. IV. Tandem explanaturi, qualisnam fuerit hujuſce *luctationis ratio ac ſignificatio.*

Partitio tractandorum quadripartita.

A. Sensus literalis. Et in eo I. ipsa luctatio.

III. Quod ad *sensum literalem*, Tria occurrunt consideranda: I. Ipsa Jacobi LUCTATIO *vers.* 24. II. Luctationis EXITUS, quo victor evasit, *vers.* 25. & 26. III. Felicisque istius exitus FRUCTUS duplex & BENEDICTIONIS, & mutationis nominis Jacobi in ISRAEL, *vers.* 26-28. ב Lætæ ejusdem EXULTATIONIS: *vers.* 29. 30.

Occasio hujus generalior & specialior.

IV. Occasionem hujusce luctationis eam nobis Moses recitat, Jacobum nempe, postquam trans torrentem Jaboci uxores liberosque, & quicquid ipsius erat, transmisisset, ab hac parte *remansisse*, & quidem *solum*. De hoc torrente videatur Hieronymus de *Locis Hebraïcis*; & qui plura ex eo & aliis habet congesta Adrichomius in *Theatro Terræ Sanctæ* No. 23. de *Locis in Tribu Gadis*: Hadr. Relandus in sua *Palæstina Lib. I. Cap.* 44. *p.* 282. compendiosè ait: *Jabboc flumen regionis trans Jordanicæ, non longe* (id est, uti notaverat ante *p.* 280. *trium leucarum intervallo*;) *amari Tiberiadis influit in Jordanem.* Transeundum ergo hoc flumen Jaboci Jacobo revertenti ex Mesopotamia per Syriam in Canaänem. Cur autem hic non unà cum reliquis transierit, sed potius *remanserit*, & *solus* quidem, de eo triplex ferme redditur causa. 1. Vel, ut examinaret an non servorum fortassis negligentiâ nonnihil de peculio suo ab hac ripæ parte relictum fuisset. Quamvis R. Sal. Jarchus ipsius Jacobi negligentiam hic potius afferre voluerit. Ait enim ex interpretatione Breithaupti: *Oblitus ille erat ampullarum parvarum, & & ad illas* (*tollendas*) *reversus erat.* Quæ nugæ prioribus adhuc pejores sunt. 2. Vel, ut sic ultimus veniret in offensi & irati fratris Esavi conspectum, si fortè eâ ei nocte occurrendum esset. Verùm Jacobi non erat tam pusillanimiter se extra periculum servare, & interim uxores liberosque primo Esavi impetui exponere. 3. Vel, quæ longè potior mihi ratio est, & nostro magis Patriarchæ conveniens, ut sic *solus*, nullo familiæ strepitu sua in attentione turbatus, suas ad Deum preces intentiores funderet. Qua in re forsan pium pii patris sui Isaäci hac in parte exemplum imitari voluit, quem legimus *Gen.* 24: 63. *vesperâ egressum ad precandum in agrô*, se-

ſeque ſuaque omnia commendaturus Deo Soſpitatori, atque itineris hujus ſuaſori. Quibus generalioribus obſervatis 4. Speciale iſtud addere debeo ex eximio Interprete Conr. Pellicano in *h. l.* & quod ad promiſſa illa à Deo cum relatione ad terram promiſſam Jacobo noſtro antè data propriè ſpectat. Sic ergo ille ait: *Jabbuch flumen eſt Jordanem influens, & initium terræ decem poſtea tribuum. Complebantur eâdem nocte promiſſiones Dei ad Patres. Ingrediebatur enim terram promiſſam, & ſemen ſuum undecim filios jam repoſuerat in terram, divitias multas trajecerat, ideoque precabatur tota nocte Dominum, ut felix eſſet is introïtus pro ſe & poſteritate ſua! Cognoſcebat etiam in Spiritu adverſitates ſuorum & proſperitates, pro quibus orabat dominum, ut evincibilia illis forent tot ſufferenda adverſa.* Neque diſſimulaverim magis mihi probari hanc commentationem, quam ullam priorum.

V. Iſthac verò in ſolitudine verſanti, & maximè, ut videtur, precibus intento, obvenit ipſi, nihil minus cogitanti, & quidem tempore noctis, quæ ſua ſolitudine atque tenebris omnes terrores aggravare ſolet, caſus iſte portentoſus ac vix credibilis, quem refert Hiſtoria Sacra: *Vir luctatus eſt cum eo, donec aurora adſcenderet.* Altera igitur hujus ſcenæ perſona deſcribitur tanquam איש/ *Vir.* Quæ vox excellentioris eſt ſignificatus quàm illa אדם/ ſeu אנוש/ quibus ideo aliquando opponitur, & *virum* deſignat ratione roboris, nobilitatis, ac dignitatis excellentem, quo ſenſu uſurpatur de Jobo *Cap.* 1: 1. aut etiam & virtutis inſtar heroïs in bello valentis: conf. *Jer.* 6: 23. Atque hinc etiam quàm maximè diſtinguunt Hebræi inter בני־אדם/ & בני־איש/ per hos intelligentes nobiles ac præclaros; per illos contrà tenues ac abjectos homines. Qua in re præit ipſa S. Scriptura *Pſalm.* 49: 3. ita duo genera alloquens: גם בני־אדם *Etiam filii* HOMINIS, גם בני־איש *etiam filii* VIRI: atque hos ipſos titulos mox ſic explicans; יחד עשיר ואביון/ *pariter dives & pauper.* Sic *filios hominis* R. Dav. Kimchi etiam interpretatur eſſe *filios minutæ dignitatis*, id eſt, *viliſſimæ conditionis homines:* & Aben Melech in *Michlal Jophi*: המון/

Luctationis Auctor, Vir.

המון העם / *turbam populi*, sive *plebejos*. Syrus transtulit, *terræ filios*, non minus scitè & eleganter, quàm Latinis obscuri & ignobiles homines *terræ filii* audiunt. Quod & Belgæ nostri imitantes eosdem titulos ita sunt interpretati: *Soo wel slegten als aensienlijken*. Insignis ergo exstitit *Vir*, cum quo Jacobo difficile hic negotium fuit.

b. Modus יאבק / *id est, vel* pulverisatus est cum eo, *vario sensu apud varios. Vel* complexus est, *cum epicrisi Auctoris contra Grellium.*

VI. Namque de hoc viro refertur: ויאבק איש עמו / Hoc verbum semel duntaxat, & hic quidem loci, occurrit in Sacris: quod variè idcirco a variis accipitur. 1. Juxta quosdam in prima sua origine ad *pulverem* respectum habet, qui Hebræis אבק / hinc verbum נאבק / derivatum, quod nonnulli verterunt Latinè *pulverizatus est*. Uti & R. Menachem idem Hebraicè exponit per התעפר / Hitpahel quasi a pihel עפר / *pulverem excitare*, a עפר / *pulvis*, quasi dicas, *sese pulverizavit*, sive *volutavit in pulvere*. Quod magis barbarè dictum: prorsus Latinè cum Latinis ita possumus περιφράζειν, *Descendit vir cum eo in arenam*, sc. ad luctandum: quomodo habent Tremellius, Tigurini, alii. Nec abludunt vetustissimi Interpretes Alexandrini reddentes, ἐπάλαιε, quod *agitationem* quasi *in pulvere* nonnullis dicit. Dubito tamen maxime, utrum vocis potestas id ferat, cum *agitationem*, sive *luctationem certationemve* in genere modò dicat. Videtur id nonnullis, quia Chrysostomus creditur τοὺς παλαίοντας posuisse in expositione verborum Pauli *Ephes.* 6: 14. Στῆτε οὖν περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν &c. pro τῶν πανκρατιαστῶν. Vid. Fabri *Agonist. l.* 1. *c.* 10. Inde visum quibusdam hoc παλαίω ad *pulverulentam agitationem* transferri posse, quoniam ad πανκράτιον (quod certamen erat mixtum ex pugilatu & lucta) etiam pertinebat lucta volutatoria. Utut sit, fit in hac Jacobi nostri lucta ad pulverem respectus: sive α. sic alludatur non adeo ad id quod postea in Græcorum Romanorumque palæstra fieri consuevit; (non enim accurarè satis ad temporum locorumque distantias Viri docti sæpe attendunt, qui tam generaliter dicunt in hac verbi Hebræi originatione alludi ad Græcorum Romanorumque Palæstras, quæ sanè He-

Hebræis illis antiquis non fuerunt notæ) quàm quidem ad id, quod ſemper & ubique in omni luctatione, quæ non minus in Oriente, & apud Hebræos, quam apud alios deinceps populos uſitata fuit, fieri ſolet, ut ſcilicet *luctatores* ſuis pedibus, huc illuc eos movendo, *pulverem excitarent*, cùm ſe mutuo amplexarentur: atque etiam in pulvere volutentur, ubi invicem ſeſe proſternerent. Ita Menachem, Aben Ezra, & Kimchius: quos ſequitur Druſius, ajens verbum אבק / à *pulvere*, quem excitant pugiles, deductum. Plura dabunt Chriſt. Cartwrigtus, Bened. Pererius, & Corn. a Lapide in *h. l.* Sive β. alludatur potius ad alium luctantium morem, quo illi nudi ac veſtibus exuti, uti corpora ſua propria ante luctam oleo ungebant, ut glabra eſſent, nec facilè arripi poſſent, ita in ipſa lucta corpora adverſariorum ſuorum pulvere adſpergebant cœnoque, ut facilius ita & firmius ipſos prehenſos tenere poſſent. Quod & graviſſimus Theologus Andr. Rivetus annotavit *Exercitat.* 139. *in Geneſim:* & Clar. Joan. Henr. Heideggerus *Hiſtor. Patriarch. Tom.* 2. *Exercit.* 17. §. 3. Hunc ſenſum poſteriorem præ aliis, quos rejicit, eligit Eruditus Joan. Clericus in *h. l. Non* inquit, *quod luctantes pulverem pedibus excitent, ſed quia in arena, & corpore arena ſparſo, luctari ſolebant, ut docet Lucianus initio dialogi de gymnaſiis.* Poſſunt porro conferri qui de Athletica ſcripſerunt, uti Faber in *Agoniſticis*, aliique. Atque ita quidem illi verbum hoc derivant. 2. Alii hoc verbum אבק putant idem prorſus eſſe cum חבק / *complexus, amplexus eſt, tenuit:* a quo variâ tantùm unius literulæ ſcriptura differat. Et hoc ſanè etiam in luctatione obtinet, in qua ſeſe arctè amplectuntur tenentque luctantes, ut alter ſic alterum dejicere ac proſternere queat. Atque eò tendit Gerundinenſis; nec non Jarchus ex verſione Breithaupti: *Mihi autem videtur*, ait, quod ſignificet ויתקשר / i. e. *alligavit ſe*; *eſtque lingua Syriaca (veluti habetur alibi)* poſtquam אביקי / i. e. *conjunxi memet ei* &c. *Sic enim mos eſt duorum, qui viribus ſuis nituntur, alter alterum proſternere, ut brachiis ſuis ſemet complectantur & colligent.* 3. Alii adhuc alia

habent, ſed minus principalia, quæ referre ſingula non lubet. Meam ſi quiſpiam quærat ἐπίκρισιν, hanc cenſerem verbi derivationem probabiliorem, quæ *luctationem in arena* notet. Arena enim & ubique locorum exſtat, & hic loci in Oriente magna exſtabat copia. In arena ubique luctationes fieri ſolitæ fuerunt; & hæc ipſa etiam Jacobi cum Viro facta eſt. Pulvis a luctantibus ſemper & ubique excitatur. Quod verò Clar. Clericus huic derivationi præponit, illud mihi quidem videtur longè poſtponendum. Nam profectò, licet mos iſte corpore nudato luctandi, & ſe invicem tunc pulvere ſpargendi, poſtea obtinuerit, unde, quæſo, probabitur eundem & in Oriente uſitatum fuiſſe, & jam antiquum adeo, ut noſtri ille Jacobi tempore invaluerit? Hic certè loci veſtium exutorum ne minima quidem injicitur mentio; neque & illa, ob repentinam iſtam & nequaquam exſpectatam, quæ hic contigit, luctationem probabilis eſſe poteſt; quamvis cæteroquin inficias non iverim ipſum luctandi morem perantiquum ſatis Orientalibus fuiſſe.

c *Tempus*, uſque ad auroram.

VII. Cæterum hæc lucta, quæ duelli inſtar conſiderari poteſt, Patriarchæ hoc cum viro interceſſit *uſque dum aurora adſcenderet*. Videtur media jam ea nocte cœpta, tranſmiſſis a Jacobo omnibus iis quæ ſua erant, & continuata donec auroræ lux primo mane promicaret. Ita ut ex intermedio iſthoc tempore facile colligatur hujuſce luctæ diuturnior mora ac conſtantia, cum iſtis in regionibus aurora adſcenderet circa horam noſtram ſextam ferme matutinam.

11. *Exitus luctationis* vers 25, 26 c. *Reſpectu Angeli*: vidit ſe non poſſe prævalere illi, at tetigit in cavitate femoris ejus.

VIII. EXITUS tandem hujus luctæ ſtatuit Jacobum victorem, *quando* ſcilicet (vir iſte) *vidit ſe non poſſe præ eo*, ſive *ei prævalere*. *Verſ.* 25 & 26. Hic itaque Antagoniſta Jacobo hactenus imbecillior exſtitit, ut eum vincere nequiret, ſicque evaſerit victor Patriarcha noſter. Verùm enim verò, ne, uti videtur, hac Jacobi animus ſe efferret victoria inſoleſceretque, neque ſuas hac in parte exoſcularetur manus, vires ſuas proprias pro Deo habendo, & de viribus antagoniſtæ ſui nimis tenuiter ſentiendo; contrà verò id omne Deo acceptum ferret, cujus in ipſius contra tam potentem adver-

verſarium infirmitate virtus perficeretur, idcirco victus victori ab una parte imbecillitatem commonſtravit; & ab altera ſuum robur, quantisque ipſe vincendi, ſi vellet, viribus polleret. Quapropter וינגע / (ubi etiam habent *ol* LXX. ἡ ἥψατο) בכף ירכו / id eſt, *tetigit in cavitate*, ſive *in curvatura femoris ejus*. Quod tunc fecit, uti tradunt Judæi in *Pirke* R. Eliezer. *Cap.* 37. *p.* 94. quando in terram eum proſternere Jacobus conabatur, tunc nempe *apprehendit nervum acetabuli femoris ejus, & factus eſt nervus acetabuli illius veluti adeps demortui.* Ita illi. Nolim in deſignando iſta femoris parte Anatomicum agere. Sufficit aliquam fuiſſe femoris partem luxatam. An verò hæc fuerit *cavum femoris ad inguem*, uti ſe accepiſſe à Judæo Doctore ſcribit Caſtalio; quod nempe Anatomici Græci κοτύλην (de qua videatur Druſius in *h. l.*) Latini vero *acetabulum*, docente Plinio *Hiſt. Natur. Lib.* 28. *Cap.* 2. quod nomen ſua in verſione retinuit Tremellius, nuncupant, in qua juxta Ariſtotelem *Hiſtor. Animal. L.* 1. *C.* 13. *vertitur coxa*, alii judicent hujus rei me peritiores. Quam in rem multa ex Rabbinorum ſcriptis citantur â Munſtero, Fagio, Druſio, penes ipſos videnda: nec non ex rerum naturalium Scriptoribus a Clar. Joan. Clerico, in *h. l.* Conferatur porro Steph. Blancardi *Lexicon Medicum* ad voces *Acetabuli*, *Cotylis*, *Coxæ* &c.

IX. Sequela hujus rei fuit: *Ita pendebat acetabulum femoris Jacobi, quando luctabatur cum eo.* Ita Tremellius. Alii autem obſervantes non propriè ipſum *acetabulum poſſe pendere*, at quidem *femur* acetabulo illi annexum, idcirco verba ſic reddunt, *detorſum*, *luxatum*, *divulſum*, loco ſuo *dimotum femur ejus*. Quomodo ipſe etiam habet Jarchus: *Remotum* (ſive *luxatum*) *fuit de loco compagis ſuæ*. Quod tamen ab Hebræis diſſonat, in quibus non ipſum ירכו / ſed בכף ירכו / *acetabulum femoris ejus* dicitur pependiſſe. Verùm ut ut ſit, certè ille *claudicabat*, idque jam ſtatim in ipſo luctationis articulo: luxata nempe ea ilii oſſis parte concava, quam os femoris ſubit, à qua ſi vel tantillum amoveatur oſſis iſtius caput, ilico ſequi claudicationem, obſervant Medicorum filii. Atque hæc clau-

Ita pendebat acetabulum femoris ejus: *ubi examinantur opiniones Ligfooti & Judæorum magis minuſque ſolidæ.*

claudicatio ſine dubio ad finem illi vitæ adhæſit. Non dedecorata tamen, aut deformis, verùm glorioſa potius & pulchra, ut bene Ligtfootus *Obſervat. Nov. ad Gen. 32. Operum Tom. 1. p. 158. Hæc Jacobi*, ait, *læſio non eſt habita pro defectu: ſed, ut cicatrices honorificæ virorum fortium, magnæ dignitati imputata fuit.* Quod per duas porro probat rationes. Prima eſt, *Nam Bethele munia Sacerdotis exercet, ad quod officium, ſi claudicatio ejus habita fuiſſet pro defectu, ipſe fuiſſet ineptus.* Quæ ratio eâ tamen nititur hypotheſi, quod Lex de integritate corporis ſacerdotum, quæ deinceps ſub Moſe in Legem abiit, tempore Jacobi jam tunc obtinuerit; de quo hic non eſt diſputandi locus. Sive verò obtinuerit, ſive non, difficultas certè omnis evaneſcit, ſi credere poſſimus, quod nonnulli Judæorum dicunt, illico ſanatam fuiſſe hanc claudicationem per Angelum Raphaëlem: cujus fides ſit penes auctores. Melius habet ſecunda Ligtfooti ratio: *Ipſius poſteritas in omne ævum honorificam memoriam hujus læſionis ſervat, non edendo nervum qui emarcuit.* Et res ipſa quoque docet, cicatricem vulneris accepti in duello, a cujus victoria nomen novum *Iſraëlis* & ipſe, & ipſius poſteritas, geſtare voluerunt, eſſe glorioſum fortitudinis tunc adhibitæ memoriale. Idque eò magis, quod læſione illa jam accepta non tamen animos depoſuit, ſed eò fortius inſtitit, donec victoriam integram reportaſſet. Si quis interim quærat, cur hæc in ſpecie pars corporis Jacobi a colluctatore iſto tacta fuerit & læſa, dicent iſti nugivenduli Judæi, vel hanc corporis Jacobi partem ſubfuiſſe imperio Angeli, quem principem Eſavi vocant Judæi; quemque, ut viſuri ſumus deinceps §. XXXIV. fuiſſe hunc *Virum* opinantur; vel iſti Jacobi femori alligatum fuiſſe ſcriptum, quo primogenituram ſuam vendiderat Jacobo Eſavus, unde iſtud eripere conatus fuerit; vel Eſavum per has partes læſas maximè profectionem itinerantis Jacobi impedire ac retardare potuiſſe & voluiſſe. Sed futilia iſthæc ſunt. Simplicius, quamvis fortè non ſolidius, loquuntur, qui a divina quadam id repetentes providentia hanc reddunt cauſam; ut ſic doceretur Patriarcha,

quòd

quòd ipſe in confidentia ſua, præ nimio Eſavi fratris adventantis metu, nimium ſic claudicaret erga Deum. Cujus ergo ὀλιγοπιςίας dedecus in corpore ſuo poſtea geſtare debuerit. Sed ſic certè non parum imminueretur gloria, quam ſuprà Ligtfootus in hac claudicatione reperiebat. Et unde etiam iſta nimia Jacobi diffidentia hiſce Viris conſtat? Non certè ex hac Moſis hiſtoria, qui eum ſatis confidenter exhibet orantem, & obteſtantem Deum patrum ſuorum, *Gen.* 32: 9–12. Non etiam ex *Hoſ.* 12: 4, 5. Sed quid hæreo in nugis refellendis, quas ipſa textus noſtri ſequela mox refutat?

X. Pergit enim ita: *Deinde dixit, dimitte me, nam adſcendit aurora.* *Dimitti* quum petit antagoniſta, per ſignum omnino omni exceptione majus, publicè laudem victoriæ tribuit Jacobo, ne minimum quidem, conſauciato licèt, de ardore pugnæ remittenti, ſed fortius contrà antagoniſtam adorienti ſuum: ita ut iſte Vir abire nequiret, niſi dimittente eum Patriarcha, cui forſan hactenus viſum fuerat rem ſe habere cum mero homine. Rationem verò, quare dimitti velit, eam habet Jarchus: *Quia ego cantionem dicere debeo:* i. e. hymnum canere. Et aliquanto etiam clarius dudum ante eum Thargum Hieroſolymitanum: "שלח ימי ארום וגו / *Dimitte me, quoniam adſcendit columna auroræ: & ecce appropinquavit hora Angelorum ad laudandum Deum* &c. Perinde etiam Judæi in *Pirke* R. Eliëzer. *Cap.* 37. ac ſi dixiſſet; *Dimitte me, quia advenit tempus ſtationis meæ, ad ſerviendum ac cantandum coram Sancto Benedicto. Credunt enim Judæi,* ſunt verba Breithaupti in *Notis* ad *Commentar.* R. Salomonis in *h. l. quod noctu portæ cœleſtes clauſæ ſint, & Angeli tacitè ac ſilentes apud eas ſedeant; manè autem hymnum coram Deo cantent.* Confer Buxtorfii *Synag. Jud. Cap.* 4. p. m. 119. Pergunt verò iidem Judæi in *Pirke loc. cit.* quando Jacobus hunc Virum, quem pro Angelo habent, dimittere negabat, *illum incepiſſe cantillare in terra. Ubi autem ſuperiores* (cœlites) *audiverunt vocem Angeli pſallentis ac cantantis in terra,*

Deinde dixit, dimitte me, nam adſcendit aurora: *cujus rationis emphaſis exponitur ex Angelorum cantu juxta Judæos, & aliter.*

ra, dixerunt: propter honorem juſti hujus audimus vocem Angeli e terra. Immo vel colloquium Jacobum inter ac hunc Virum fingunt Judæi, eò quod Jacobus, auroræ mentione injecta, ei dixiſſet; quid times auroram? es fortè prædo, abigens vel latro, qui diei lucem perhorreſcas? cui alter: Non: ſed cùm miniſter Dei ſim, debeo hac hora cum cæteris Angelis & Dei filiis coram eo præſto eſſe, & perſolvere laudes & ſtatas conditiones, cùm dicatur *Job.* 38: 7. *Cùm canerent ſimul ſtellæ matutinæ, & jubilarent omnes filii Dei. Quod à quibuſdam* (utor hic verbis Jo. Merceri in *h. l.*) *recentiorum defenditur, quaſi Angeli Deum collaudent ob beneficium, quò per ſolem orbi quotidie illuceſcat; & ſimul ob Chriſtum ſolem Meſſiæ. Sed*, uti idem obſervat, *hoc eſt nimium arctare Angelorum miniſterium, quos ſine fine non eſt dubitandum Dominum celebrare.* Verùm haud lubet nobis ſimilia plura a variis adducta commemorare. Senſus ſimpliciſſimus iſte videtur eſſe, quaſi dixiſſet; *Dimitte me*, quia *aurora exorta* hoc ſuadet, & propter te, & propter me, & forſan quoque propter rem ipſam. *Tu* nimirum ad tuos redire debes, curaturus quod tanto in periculo advenientis Eſavi factu conſultum ſit. *Ego* verò a tuorum nemine, qui ſine dubio non longè ultra flumen erant, cerni volo: & ne ab ipſo quidem te, à quo vinci me paſſus ſum. Inſuper non eſt *res* tibi cum terreno homine. Ejuſdem generis negotium tibi nunc redeunti contingit, ac olim abituro; divina nempe apparitio, quamvis nunc vigilanti, tunc verò dormienti: tales verò nocturni caſus ac apparitiones extraordinariæ ante exortam lucem vulgo finiri ſolent.

§. Reſpectu Jacobi dicentis; Non dimittam te, quàm cùm benedixeris mihi: *quod ex collatione eum* Hoſ. 12: 4, 5. *explicatur.*

XI. Ad hæc quid Patriarcha noſter? *Cui Jacobus: non dimittam te, quàm cùm benedixeris mihi.* Mira utique res! victorem à victo ſuo, quem conſtrictum ſub poteſtate habet, benedictionem petere, cùm *inferior benedicatur à majore*, *Hebr.* 7: 7. non major a minore. At verò iſtud ſignum eſt experiri jam nunc cœpiſſe atque animadvertere Jacobum, rem ſe habere non cum mero homine, quemadmodum hactenus putârat, ſed cum quodam ſe potentiore ac majore,

An-

Angelo fortè, aut Deo, utpote qui ejus modò femur attingendo ipſum claudicare fecerat, quod humanas planè ſuperare vires videbatur, quamvis ille impræſens ob ſapientiſſimas rationes vinci ſe ab illo paſſus fuiſſet. Quapropter hanc animo ſuo ſpem concipit, hunc Virum, ſibi dimiſſionis ei petitionem concedendo, viciſſim nequaquam denegaturum ſuum poſtulatum. Cùm ergo ait; *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*, non renuit eum dimittere, quem invitum ne quidem detinere poſſet; ſed mutua hac petitione, nimirum ut *ipſi benedicat prius*, quod tanquam minor petit à ſe majore, annuit, ſe ipſum dimiſſurum, at ſub conditione eâ, quam tanquam humilis & ſupplex ipſe proponit, orans, non imperans. Optimè graviſſimus Theologus Andr. Rivetus *in Geneſin Exercit* 139. *Jacobus, etſi firmiter quantum poterat retineret colluctatorem, apud ſe tamen noverat non eſſe ſibi ſatis virium, ut eum poſſet detinere invitum; idcirco ad preces & lachrymas converſus, petiit benedictionem illam.* Atque hoc eſt, quod dixit Hoſeas *Cap.* 12: 5. *flevit & ſupplex oravit.* Quibus verbis edocet Propheta, Jacobum, poſtquam victor evaſiſſet, ſupplicem nihilominus omni debitâ cum reverentia fuiſſe, ac cum lachrymis precatum; non ob dolorem ex luxatione femoris, (quod futile totum quantum nonnullorum Judæorum eſt figmentum) cùm duriſſimis laboribus ſævaque ſervitute ſatis ſuperque obduruiſſet Patriarcha noſter; ſed, uti dixi, ob reverentiam, & ut ab illo ſe majore, cum quo rem habebat, benedictionem reportaret. Qualem vero? haud certè corporalem mundanamve, quam & ſatis jam abundè poſſidebat, ſed ſpiritualem etiam ac cœleſtem. Uti & ipſi Judæi cordatiores plerique eam explicant de repetitione ac confirmatione iſtarum benedictionum, quas Iſaäcus Pater ei loco Eſavi, ſed inſcius, impertitus fuerat, ut ſic certus eſſe poſſet ſe earum omnium revera hæredem eſſe. Quaſi diceret: Confirmaveris tua approbatione & conſenſu mihi benedictiones eas, quibus pater meus mihi benedixit, ne mihi iſtæ propter defectum primogenituræ eripiantur. Id quod tanto aptius vi-

detur petere potuiſſe, ſi Jacobus hunc colluctatorem ſuum habuit pro Angelo Eſavi, cujus, uti Judæorum quidam revera cenſent, ſic ipſius conſenſum in benedictionem iſtam paternam extorquere voluit. Verùm cùm hæ benedictiones Patriarchæ noſtro ſatis jam antea confirmatæ fuerint, cùm ab ipſo Iſaäco patre, & mox poſt ſurreptas eas, *Gen.* 27: 33. quod luculentius *Diſſert.* I. §. XXI. ad *Gen.* 27. 21. probavimus: & denuo pòſt, antequam abiret in exilium, *Cap.* 28: 2, 4. tum ab ipſo etiam Deo, ſtabiliente non tantùm eas viſione & verbis, ſed & adaugente magis in hujus ipſius itineris initio, *ibid. verſ.* 13: 15. deinque & ab ipſo Eſavo, per voluntariam ſpontaneamque juris primogenituræ venditionem; quare vix videtur Jacobus antiquarum earum benedictionum hic expetiviſſe confirmationem. Itaque dicendum potius, uti nullam mentionem facit antiquarum iſtarum, & generalium benedictionum, ita quoque novum aliquod hic, & ſingulare ſignum favoris & amicitiæ hujus ſui antagoniſtæ expetere. Forſan ut eò certius redderetur de cuſtodia ſua contra iram adventantis nunc Eſavi. Quæ juſta pariter ac pia Sanctiſſimi Patriarchæ petitio, & eâdem illâ fide, uti nullus dubius, quâ modò vicerat, peracta, ipſa tandem coronatur exauditione, hoc athleta erga Jacobum ſe non amplius gerente tanquam inimico, ſed ut amico, omne ei bonum conferre parato.

γ. Reſpectu Angeli iterum R. *Mutantis nomen* Jacobi *in illud* Iſraëlis.

XII. *Quamobrem dixit Jacobo: quod eſt nomen tuum?* Uti non ſine Numine Vir hicce miſſus fuerat ad colluctandum cum Jacobo, & ſpecialem ob rationem; ita nequaquam ignoraſſe cenſendus eſt vel perſonam, quacum rem habiturus erat: neque ejus nomen. Neque contrarium colligi ex iſta interrogatione poteſt, niſi velimus ipſi Deo omniſcio, ejuſmodi, uti hic occurrit, nonnunquam interrogationibus utenti, ignorantiam adſcribere, ſciſcitanti ex. gr. Adamum; *Ubi es? Gen.* 3: 8. vel Moſen; *Quidnam eſt in manu tua? Exod.* 4: 2. vel Amoſum Prophetam; *Quid vides? Cap.* 8: 2. Sic & athleta noſter Jacobi quidem noverat nomen; maluit autem iſtud ab illo ipſo recitari, ut ita melius diſcrimen hujus

jus nominis ab altero novo, quod Vir hic per modum benedictionis ipsi impositurus erat, perciperet ipse, atque sic agnosceret magnitudinem benedictionis, quam in hac nominis permutatione ei conferre animus erat.

XIII. Indicanti igitur Patriarchæ, *nomen suum esse Jacobum*, respondit noster Athleta: *Non amplius dicetur nomen tuum Jacobus, sed Israël.* Prius istud ab utero adeptus quasi fuerat, tantumdem valens ac *supplantator*, eò quod in nativitate Esavi plantâ pedis arreptâ eum retinere sategerit. *Gen.* 25: 26. Nunc novo ille nomine ac magis heroïco donatur: ita tamen ut particulæ עוד / *ultra*, *amplius*, is sensus nequaquam sit, ac si postea nunquam magis vocandus esset Jacobus; (pluries enim in sequentibus indiscriminatim utroque nomine insignitur; eodem modo ut ad nomen *Abrami* etiam observavimus ante *L.* 11. *Dissert.* IX. ad *Gen.* 17: 5. §. 11.) sed negativa per ellipsin particulæ exclusivæ (*solùm* scilicet, *tantùm*, aut similium,) hic exponenda venit: quasi diceret; non *solummodo*, non *unicè*, (quod in nonnullis versionibus ideo additur, uti in illa Junii & Tremellii) *Jacobus*; immo ne præcipuè quidem, & principaliter *Jacobus* nominaberis, sed & *Israël:* quod pluries occurrit, observante Salom. Glassio *Philos. Sacr. L.* 3. *Tract.* 5. *Canon.* 13. *de Adverbio.* Conf. *Jerem.* 23: 7. *Ecce dies venturi sunt*, dictum JEHOVÆ, *quibus non dicetur amplius, vivit JEHOVA, qui evexit Israëlitas ex terra Ægypti: sed vivit* JEHOVA, *qui evexit, & qui deduxit semen domus Israëlis è terra aquilonis* &c. Potest autem hæc nostra expositio ex simili mutati nominis exemplo illustrari; ex illo nempe Christi dicentis, *Joan.* 1: 43. *Tu es Simon, Filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod est, si interpreteris, Petra.* Ubi etiam est generalis locutio, quæ tamen cum eadem limitatione, ut suprà hæc nostra, accipienda est. Nam Petrus hicce nihilominus & postea nomine *Simon* sæpius audit. Ita & hic; in primis vocaberis *Israël*, nomine excellentiori, ac suo splendore quodammodo pristinum istud & vilius *Jacobi*, utpote a *supplantatione* petitum, & jus primogenituræ humana arte, & dolo quasi malo com-

Ubi. 1. De mutationis hujus scopo

paratum, indicans obliteraturo, ut quaſi non æſtimetur amplius reſpectu illius *Iſraëlis*, quod divinitus, & inculpabili prorſus jure eſſet adeptus: de quo mox plura §. XV. Ita Doctus Aben-Ezra ad *Gen.* 35: 10. quem ſecuti ſunt Interpretes plurimi. Quoad Hebræos, eorum catalogum texuit Menaſſe Ben Iſraël *in Conciliat. Quæſt.* 54. *in Geneſin.* E Chriſtianis Magnum Calvinum noſtrum audire ſufficiat: *Novo inſignit eum nomine, non*, inquit, *ut alterum illud prorſus aboleat, quod ſymbolum erat memorabilis gratiæ*; (nempe, ut puto, ſi eventum ſpectes, quod Deus voluerit per *ſupplantationem* illam Jacobo jus primogeniturae concedere. Si verò ipſam *ſupplantationem* nomine *Jacobi* ſignificatam ſpectes, ſymbolum erat artificii non uſquequaque laudabilis, uti jam ſuprà notavi;) *ſed ut altiorem gratiæ ſuæ progreſſum teſtetur. Ex duobus ergo nominibus priori ſecundum, tanquam magis honorificum, præfertur.* Guil. Eſtius tamen etiam de poſteris explicat; cujus hæc ſunt verba in *h. l. Arbitror & ſic poſſe intelligi: in poſteris tuis non appellaberis nomine Jacob, ſed Iſraël, puta, poſteri ejus non Jacobitæ, ſed Iſraëlitæ nomine patronymico dicti ſunt.* Verùm hoc mihi multò minus placet. Nam nec de poſteris Jacobi, ſed de Jacobo ipſo hic loci hoc dicitur. Nec poſteri Jacobi tantùm *Iſraël*, aut *filii Iſrael*, ſed & ſæpe *Jacob*, & *domus Jacobi* dicti ſunt, uti paſſim ex S. Scriptura conſtat. Ex. gr. *Pſalm* 14: 7. 22: 24. 24: 6. 44: 5. &c. Quia verò, uti dixi, nomen *Iſraël* honorificentius erat, hinc poſteri Jacobi eo nomine inſigniri maximè amabant, eoque gloriari ac ſuperbire ſoliti, tanquam qui ad ſui Patris exemplum pariter velut *principes ſe gerere cum Deo & hominibus, ac prævalere* & vellent, & poſſent, quale quid in laudem Judæ dicitur *Hoſ.* 12: 1. *Qui dominabatur cum Deo*, ſeu *obfirmabat ſe cum Deo*, ad pugnandum nempe contra adverſarios pro fide ſanctis ſemel tradita, *& cum ſanctis fidelis erat.* Et cùm *Iſraëlitarum* titulo præ primis condecorarentur Judæi, hinc factum exiſtimem, ut Apoſtoli in ſuis ad eos concionibus, ad captandam benevolentiam, illos ſæpius hoc illuſtri *Iſraëlitarum* nomine compellarint, Conf. *Actor.* 2: 22. & 36. 3: 12. 5: 35. 13: 16. 21: 28. &c. XIV.

XIV. Poſtulat nunc ordo, ut illuſtris hujus nominis & originem, & ſignificationem indagemus. Ubi id mirum profectò eſt, tot potuiſſe, in re non difficili adeo, diſcrepantes oriri ſententias, non minus inter Recentiores, quam Veteres, cùm ipſa interim Scriptura tam diſerte ejus nobis rationem explanet. Origines nominis Judæorum quidam ab ipſo hujus Angeli nomine arceſſunt. Ita enim legimus in *Pirke* R. Eliëzeris Cap. 37. *Vocavit autem nomen ſuum* Iſraël, *uti nomen ejus erat, ita quoque vocatum eſt nomen illius* Iſraël. Ad quae Hottingerus *Smegmat. Orient. Lib.* 1. *Cap.* 8. p. 349. hæc notat: *Quaſi ex illorum fuiſſet numero, qui* אשים *dicuntur, cujuſmodi fuiſſe volunt eum, qui Danïeli, aliiſque Prophetis in forma viri apparuit.* Id verò nullâ veroſimilitudinis ſpecie dicitur. Cujus etiam contrarium ex nominis ſignificatione patet: de qua Philo Judæus *Lib. de Profugis*; Origenes *Lib.* 4. περὶ ἀρχῶν *Cap.* 4. & qui eum plures ſecuti ſunt ex Patribus, attendentes ad verba *verſ.* 30. ראיתי אלהים פנים אל פנים / *Vidi Deum facie ad faciem*, putarunt, ac ſi ישראל tantundem eſſent ac איש ראה אל / *mens.* ſive *vir videns Deum*, Idem habet inter Arabes, notante eodem Hottingero *loc. cit.* Iſa, Bar Ali: *Iſraël vir eſt, qui vidit Deum.* Ita & Patres Chriſtiani Nazianzenus, Hilarius, Proſper, aliique multi citati a Pererio in *h. l.* Et hanc fere originationem habet Auguſtinus *de Civit. Dei L.* 16. *C.* 39. *Interpretatur autem Iſraël*, videns Deum, *quod erit in fine præmium omnium ſanctorum.* Quæ & Didymi penes Hieronymum, & omnium veterum ferme interpretatio eſt. Neque abludit Torniellus *in Annalibus* p. m. 348. Verùm repugnat ratio denominationis data *verſ.* 28. Neque in initio יש ישראל adeſt litera א / quæ in nomine איש reperitur. Et juxta hanc acceptionem vox *Iſraël* compoſita foret ex tribus vocibus, quod apud Hebræos non adeo vulgare eſt, cùm duæ hic ſufficere queant. Quapropter meritò rejicitur hæc nomenclatura ab Hieronymo in *Quaeſt in Geneſ. Quamvis*, inquit, *grandis auctoritatis ſint & eloquentiæ, & ipſorum umbra nos opprimat, qui Iſraël* Virum, *ſive* mentem videntem Deum, *tranſtulerunt, nos magis Scripturæ,*

2. *De originatione hujus nominis. Non a. cum Judæis & Patribus ex* ראה & אל *quaſi* videns Deum. *Non b. cum Hieronymo ex* ישר & אל *quaſi* rectus Dei.

& Angeli, vel Dei, qui ipſum Iſraël vocavit, auctoritate ducimur, quam cujuslibet eloquentiæ ſæcularis. Idem ſimilia habet in *Comment. ad Eſai.* 44. *Vir videns Deum non in elementis, ſed in ſono vocis eſt.* Quod ibidem verò addit idem Doctor; *Propriè juxta Hebræos & literarum fidem Iſraël* Rectus Dei *dicitur*, in eô ſanè fallit, & fallitur ipſe. Sic enim conſtaret hæc vox ex ישר / *rectus*, & אל / *Deus*: q. d. *rectus*, ſive *directus Dei*, cultor ſcil. ſive victor. Quem errorem & Lyranum erraſſe conſtat. At malè. Quippe litera י / non eſt radicalis in ישראל / Et litera ש in ישראל punctum gerit in cornu ſiniſtro, at in ישר / *rectus*, in dextro, a qua voce ultima quidem deducitur ישרון / *Ieſchurun*, quæ Iſraëlis populo itidem tribuitur *Deut.* 32: 15. & 33: 5, 26. ſed non *Iſraël.*

Sed c. ex אל & שרה *quaſi* Principem ſe gerens erga Deum: *oppoſitè ad nomen vilius* Jacob, *quod* ſupplantatorem, *& ita quaſi deceptorem denotabat.*

XV. Non patitur autem inſtituti noſtri ratio hæc ulterius proſequi; id dicamus quod res eſt. Vox *Iſraël* ſimpliciter notat *principem*, ſive *Dominum Dei*, vel *cum Deo.* Ut ita ſit a שר / *princeps*, *ſive* שרה / *dominari*, *prævalere*, & אל / *Deus.* Et quod tunc י eſt vel formativum nominis proprii, vel juxta alios una ex literis nominis tetragrammati יהוה / addita nominibus *Jacobi* & *Iſraëlis:* ut ſic adumbrare poſſet, ex illo Patriarcha eum proditurum olim, qui verus futurus eſſet יהוה / ac ישוע / *Salvator.* Ita Fagius, cujus verba in *h. l.* adſcribam: *Jod a principio litera eſt præpoſitiva, quæ adjecta verbis futurum tempus conſtituit. Et eſt una quoque ex literis Tetragrammaton: unde non carent myſterio, quæ per hanc literam formantur nomina, uti ſunt* יעקוב / ישראל / יצחק / יהושע / *& ſimilia. Adumbratum enim eô fuit, tandem ex illorum ſemine proditurum, qui verus Deus & Salvator futurus eſſet, nempe Jeſus Chriſtus, Dominus ac Redemtor noſter, cujus iſti omnes typi fuerunt. Iſrael* idcirco tantumdem eſt ad *Princeps Dei*, vel *cum Deo.* Sive, ut alii, *Dominus*, aut *victor Dei*: de quo mox diſtinctius dicam. Quorum illud nec ipſe inficias ibit Hieronymus, qui etiamſi ſecus dixerit nonnunquam, communes receptaſque celebriorum Doctorum opiniones ſecutus, tamen in *Quæſt.* in *Geneſ.* poſtquàm diſputaſſet vocem שר / *Prin-*

cipem

cipem ſonare, ita tandem concludit: *Senſus hic itaque eſt, non vocabitur nomen tuum Supplantator, h. e. Iacob; ſed vocabitur nomen tuum, Princeps cum Deo, h. e. Iſraël. Quomodo enim ego Princeps ſum, ſic & tu, qui mecum luctari potuiſti, Princeps vocaberis, &c.* Et ſanè, hæc denominationis ratio in ipſo textu redditur: *Nam ut principem te geris apud Deum, & apud homines, & potentia vales.* Ita nimirum valuerat erga *Deum*, eum ſuperando precibus; & erga *homines*, *Eſavum* ſcilicet, jam olim proximè ante exilium ſuum jus primogenituræ, antea ab ipſo delaſſato emtum, ab Iſaäco impetrandi; & mox *Labanum*, erga quem fallacem & deceptorem generoſè adeo ſeſe geſſerat. De hiſce duobus ipſi hoc Judæi explicant; uti patebit ex loco *Michlal Jophi* infrà adducendo §. XXXIX. Si tamen iſtud, *Et apud homines*, debeat accipi in præterito, & non potius in futuro, de quo mox dicam. Quod verò voces עם אלהים hic vertamus *cum Deo*, & non *cum Angelis*, ſicut Onkelos, Jonathan, Tremellius, &c. non una ratio eſt. 1. Quia vox אל/ unde nomen *Iſraël* componitur, haud occurrit (quantum ſaltèm mihi nunc incidit) de Angelis. 2. Neque interceſſit Patriarchæ lucta cum pluribus, aſt uno duntaxat, ita ut exſtiterit monomachia. Senſus itaque erit; non amplius ex contemtu quaſi יעקב/ *Jacobus* ille vocaberis, ſive *ſupplantator*, ſive qui fratris *plantam* tenueris, quod id denotabat nomen: ſive etiam qui malis artibus, aut *ſupplantatione* (בעקבה) mecum egeris, ut luctantes quidem ſolent, ſed *Iſraël*, quia aperto marte, בשרה/ *virtute*, ſeu *dominatione*, te ceu *principem geſſiſti eum Deo.* Ita ipſi Judæi celebriores, quorum unus nobis ſufficiat, cujus hic adſcribam verba. Hic verò Jarchus eſt in *h. l. Non dicetur amplius*, inquit, *quod benedictiones tibi evenerunt per ſupplantationem & fraudem, ſed per principatum & manifeſtè:* ſive apertè, non tectè, & fraudulenter.

XVI. Et hanc interpretationem ſuadet & ipſa res, & Grammatica, & analogica hujus nominis compoſitio. Ex futuro enim verbi ישרה/ quod eſt יישרה/ *principem egit*, & אל/ *Deus*, commodè inſtituitur ישראל/ Et ultima ה quiescens ſolet creſcente *Quæ originatio probatur* 1. *Ex analogia Grammatica.*

Ra. 2. Ex rei natura.

creſcente voce in compoſitione periré. Plura qui de hoc nomine velit adeat Sixt. Amamæ *Anti-barb. Bibl.* p. m. 428. Pfeifferi *Dub. Vexat.* in *h. l.* qui alios inſuper citant Interpretes: uti & varias verſiones adducit Hottingerus in *Theſaur. Philol.* p. m. 278. *Rei* autem *ipſi* aptiſſima hæc originatio eſt. Quid enim aptius, quam victorem denominationem gerere petitam à victo ſuo. Notiſſimum eſt, cùm apud alias gentes, tum præ primis apud Romanos deinceps in uſu fuiſſe, ut duces victoriâ potiti, à devictis vel gentibus, vel urbibus, Africani, Numantini, Achaici &c. dicerentur: quæ nomina ſummopere eos ac familiam ipſorum nobilitarunt. Quod ſi ſit, & ad rem noſtram accommodare liceat, quàm grande ergo nobilitatis decus in hoc erit nomine, quod *Deum & homines generosè devictos* repræſentat; quodque tamen non ex arrogantia ſibi ſumſit victor, ſed ex ipſius victi, ſe ergo multò majoris, juxta *Hëbr.* 7: 7. benedictione, conſenſu, voluntate, donatione, ſibi delatum reportavit.

Difficultas, an Jacobus prævaluiſſe, vel prædominatus fuiſſe Angelo dici poſſit? Negat Clar. Vitringa F. Affirmat Lutherus: & rectè uterque ſuo ſenſu.

XVII. At dubitari forſan poteſt, an ullo bono ſenſu homo *prædominari Deo*, vel *vincere Deum*, dici poſſit, cui difficultati dupliciter reſponderi video; negando ſcilicet, & affirmando. Negat Clar. Vitringa F. *Diſſert.* Academica in *h. l.* edita Anno 1718. *p.* 24. *Hæc res*, ait, *tantum a ſana ratione abhorrere videtur, ut Deus homini veluti ſuccumbat, ut fingi ne quidem poſſit ſine repugnantia.* Ideo poſt pauca ſic pergit: *Dicitur non prævaluiſſe (virum) Jacobo vers* 25. *non verò Jacobum prævaluiſſe Deo. Id enim ex falſa verſione vers.* 28. *ortum eſt, ut ſuprà demonſtravi: ibi enim illud* ותוכל / & prævaluiſti, *vel potius* prævalebis, *non ad Deum, ſed ad homines relatum eſt. Ad quod ſi rectè attentum fuiſſet, nomen* Iſraël *paſſim & ubique redditum non fuiſſet per* victorem Dei. *Dicit enim duntaxat eum, qui fortiter cum Deo, & inſtar Herois ſe gerit.* Affirmat Lutherus, & eandem tamen difficultatem poſſe ſe tollere putavit ita ſcribens in *h. l. Omnes*, inquit, *ſudarunt, in hoc vocabulo explicando, quia abſurdum viſum eſt nos appellari dominos ac victores Dei. Ac ſane verum eſt, ſi ſecundum Philoſophiam judicabis: ſed in ſpiritu & Theologia rectè & pie dicitur*

tur Deus à nobis vinci. Non tamen ſic vincitur ut nobis ſubjiciatur; ſed judicium, ſeu ira & furor ejus, & quidquid nobis obſtat, vincitur à nobis petendo, quærendo, pulſando, ut fiat ex iratojudice, ſicut antea videbatur, pater amantiſſimus. Hactenus ille.

XVIII. Hinc verò ultrà tum pateſcit in hac nomenclatione ab antagoniſta victori ſuo conceſſa, ingentem ſitam eſſe benedictionem, quam ab ipſo expetierat. Etenim primùm in genere, novum nomen ſi quando alicui imponit Deus, quod ipſum ejus os locutum eſt, eo ipſo ſignificat, confirmat, atque obſignat beneficia quædam, quæ ipſe ſit collaturus vel illi homini, vel aliis per illum: quod in permutatione nominis *Abrahami* aliorumque pervulgatum eſt, & à nobis ſuo antè loco notatum. Deindè ergo ſic etiam in ſpecie, in hac quoque *ἐνομαβεσίᾳ benedicitur* Jacobus, in quantum per hanc ipſam ille corroboratur contra perfidas fratris ſui Eſavi inſidias, ut tam inſignis victoriæ fiducia inſtructus, impoſterum nequaquam vacillaret. Si enim ut *principem ſe geſſerat cum Deo ac hominibus, prævalueratque*, idem quoque facile ei foret ſperare, atque præſtare reſpectu fratris ſui, de quo itaque ſic certus ſimul eſſe poterat Jacobus, ſe juxta Patris Iſaäci benedictiones, inſtar Principis *dominium habiturum in fratres*, *Gen.* 27. adeoque primogenituræ jus ſupra Eſavum ejuſque progeniem exerciturum. Hunc ſenſum quodammodo expreſſit jam olim ipſe Hieronymus *Quæſt.* in *Gen. Si autem mecum, qui Deus ſum, ſive Angelus, (quoniam plerique variè interpretantur) pugnare potuiſti, quanto magis cum hominibus, hoc eſt, cum Eſau, quem formidare non debes.* Ita & Mercerus in *h. l. Malo per comparationem cum noſtro Interprete intelligi, & nonnullis aliis Hebræorum, ut* ו in וחוכל *habeat neſcio quid urgens, licèt convertat Hebraicè, ut hodie ſcribitur, convertat futurum in præteritum, ut exponatur* ὁ δυνητικῶς, q. d. ולאנשים אף כי תוכל *& hominibus quanto magis prævalueris*, ſeu *prævalebis, quanto magis te ſuperiorem fore oſtendiſti hominibus, & Deum vincendo homines viciſti? Ut deinceps non ſit tibi quiſquam hominum timendus, poſtquam tam feliciter tete cum Deo pugnans geſſiſti, ut eum viceris; non eſt ergo quod fratrem timeres.* Nempe, uti vi-

2. Conſedentis ergo in iſta mutatione Jacobo petitam benedictionem. *Præcipuè ſi verras*; ut principem te geſſiſti, *non*; cum Deo & hominibus, & prævaluiſti: *ſed*; cum Deo, ideo hominibus etiam prævaluiſti.

des, & hic Hieronymus, & poſt eum plures, in ועם נאשים / *& cum hominibus*, copulam ו reddiderunt per *quanto magis*, & שרית / *Et principem te geſſiſti*; quod in *præterito* modò reſpectu Dei dictum fuerat, ſic ſubintellexerunt repetendo ex præcedenti; ſed in *futuro* tempore; quaſi diceretur; ועם אנשים ישרה / *& cum hominibus ut principem te geres*, in hunc ſcilicet ſenſum: *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis.*

Quadam verſionem ab Hieronymo propoſitam Cl. Vitringa confirmavit variis argumentis.

XIX. Atque hanc expoſitionem ſic quidem in meis diſputationibus ſimpliciter propoſueram; eandem verò nunc video validè etiam confirmaſſe Camp. Vitringam F. in Diſſertatione Academica 1. de *Luctâ Jacobi*, ventilata Franequeræ Ao. 1718. cujus argumenta digniſſima ſunt, quæ & hic legantur. Nempe A. non bene luctationes Jacobi cum Eſavo & Labane ante habitas, conjungi hic cum colluctatione hac ſua cum Deo, probaverat Vir Clar. *Cap.* 1. §. 7. in antecedenti. 1. Ex eo, quod *res iſtæ diverſiſſimæ permixtæ* hic *ab Angelo cenſeri non debeant.* 2. Quod *tum quoque inverſo ordine rationem nomenclationis elaturus fuiſſe Angelus videtur: tam quô ordinis geſtorum conſtaret ratio; quàm quô gradatio à minori ad majus foret luculentior.* „ (Dicere nempe debuiſſet: „ ut *principem te geſſiſti cum hominibus* antea, nunc ve„ rò *& cum ipſo Deo.*) 3. Ex eo, quod *nomen* ישראל / *Iſraël, nihil dicat de victoria Jacobi adverſus* homines. *Tantum geſſit hoc nomen ratione fortitudinis in luctâ cum* Deo. Et revera, ſi legendum eſſet; *ut principem te geſſiſti cum Deo & hominibus, & prævaluiſti*, jam hæc *de hominibus* victoria etiam ab Angelo allegaretur tanquam expoſitio nominis ישראל / adeoque etiam formationem ejus ingredi deberet. Quod cùm non fiat, videtur ergo illud ועם אנשים ותוכל / non pertinere ad nomenclationem ישראל / ſed, uti bene ait Vir Clar. *novam ſententiam conſtituere.* 4. Hoc & ex eo magis confirmat, quod οἱ LXX *Hebraica ſic reddunt*; ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ, καὶ μετὰ ἀνθρώπων δυνατὸς ἔσῃ. *Quia invaluiſti cum Deo, & adverſus homines potens eris.* Et nervoſè Vulgatus: *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti; quanto magis prævalebis con-*

contra homines? 5. Ex eo, quod hujus *veritas verſionis incurrit in oculos attentè ſeriem narrationis expendenti. Perſpectum enim eſt, mentem ac rationem hujus facti hanc primam & directam fuiſſe, ut proſpero ſucceſſu tanti certaminis confirmatior eſſet Patriarcha in poſterum diem. Quod itaque facto docuerat, verbis jam etiam exponit Angelus.* B. Poſſe autem Hebræa ſic exponi probat Vir Clar. 1. Ex eo, quod ו in ועם poſſit exponi per *ergo, igitur, quapropter.* Quodque והוכל / *quamvis* ו *præfixum formam habeat* converſivi, *æque in futuro* prævalebis, *quam* prævaluiſti *exponi poteſt.* Quo modo *ſenſum habes planiſſimum, eundem quem Græcus, & Latinus dant: Fortis fuiſti cum Deo: ergo hominibus etiam prævalebis.* 2. Ex eo, quod totum adſcribi meretur: *Verum*, ait p. 16. fermè ſub finem, *& aliquid plus firmamenti ad interpretationem fulciendam mihi eſſe perſuadeo. Obſervarunt Doctiſſimi Viri* ו comparativè *ſumi, pro* ſicut, velut. *Sed vidiſſe mihi videor literam* ו *duplicatam in eadem ſententia, hanc habere vim: ut orationem* comparativè, & veluti per gradationem intendat; *& idem dicat, quod* tanto, multo magis; *vel ſi interrogatio ſit,* quanto magis? *Exemplum huic ſimillimum eſt Jerem.* 3: 15. הנה דברתי ותעשה הרעות ותוכל / *Eſt oratio convictoria ad Judæos; de verbo ad verbum:* Ecce loquor (*alii legunt* ודברתה / loqueris; *ſed malim textualem lectionem*) & facis mala, & prævales. *Ita Noſtri*: Ecce loqueris, & facis hæc mala, & prævales: *nullo ſenſu. Verſio vera hæc eſt:* loquor ego: *convinco, redarguo*; tu multò magis etiam patras hæc mala. *Ita Proverb.* 24: 13, 14. Comede fel, mi fili; nam bonum eſt; & dulcis eſt favus palato tuo: Sic notitia ſapientiæ eſt animæ tuæ, ſi inveneris eam: ויש אחרית ותקותך לא תכרת / Et erit præmium, & non exſcindetur exſpectatio tua: i. e. multò magis erit tibi præmium & exſpectatio. *Sic certam & omni modo confirmatam puto acceptam à me interpretationem.* Rectè: ſed & ſic omni modo confirmatum eſt, expetitam à Jacobo *benedictionem* in hoc ipſo nomine, ut ſuprà dicebam, ipſi conceſſam eſſe.

2. Respectu Jacobi eandem accipientis, at rogantis simul, quodnam nomen tuum?

XX. Et sané, hoc vel statim ipse Patriarcha animadvertit. In eum enim finem *rogat*, at quâdam cum petitione ac desiderio, quæ vocis שׁאל notio est; *Indica mihi nomen tuum:* nempe ut sic eò magis certus esset de certitudine benedictionis sibi addictæ. Quod ita tamen haud est capiendum, ac si nesciret planè qualis ille esset, quocum hactenus rem habuisset; verùm ut in pleniorem ejus & certiorem adduceretur cognitionem. Nimirum, superiorem quidem in eo agnoscebat potestatem petens ut ab eo benediceretur. Utrum verò ea finita esset, & Angelica; an prorsus divina, nondum forsan certus erat. Rogat igitur; *Indica mihi nomen tuum.* Quod in genere loquendo quidem in se nequaquam malum erat; eodem quippe solùm jure tanquam victor utitur, quod victor in ipsum prior statuerat. q. d. Si nomen rogasti meum, indica mihi & tuum. Vel forsan istâ etiam emphasi: Si nomen meum rogaveris, ut mutares istud in melius, eò quod bene me gesserim erga te luctando, dic ergo mihi & tuum nomen, ut possim fortasse & novum tibi dare nomen, eò quod & bene te gesseris erga me benedicendo mihi. Verùm nondum tempus erat, ut iste Vir cognosceretur magis distinctè: qui propterea etiam ut supra notavi. §. X. adscendente aurora secedere volebat; cujus ergo cognitio interior in aliud differri debebat tempus sequens, & hoc respectu curiosa nimis exstabat hæc nostri Patriarchæ inquisitio.

1 Respectu Angeli 1. Respondentis; quorsum rogas de nomine meo? ubi quæritur, an per Judæorum vitium hic de textu exciderit; quod est mirabile.

XXI. Negat ea propter hic athleta suum indicare nomen, dicens: *Quorsum rogas de nomine meo?* Cui addit (de quo in transitu monendum aliquid hic est) Versio Vulgata, & jam olim Theodoretus *Quæst. 91. in Genes. Quod est mirabile.* Uti etiam testantur nonnulli olim in quibusdam exemplaribus Græcis fuisse additum; ἡ τοῦτο ἐστὶ θαυμαστὸν. Contrà testatur Scholiastes Græcus isthæc verba apud neminem Interpretum Græcorum in Hexaplo fuisse. Saltem haud agnoscit hæc verba textus Hebraicus, neque habentur in Versionibus Chaldaicis, neque in editione Romana τῶν LXX. Videntur autem hæc verba à seriore manu & sciolo quodam ad-

addita ex *Jud.* 13: 18. ubi eundem ferme in modum Angelus iſte reſpondit Manoæ, Simſonis Patri, roganti nomen ejus, *Cur nomen meum rogas?* & addit: *Mirabile illud eſt.* Fruſtrà itaque, obſervante Leon. Mario in *h. l.* contendit Leo Caſtrius, omnino & hoc loco ſic legi debere, & Judæorum vitiô hæc verba excidiſſe. Quod nequaquam probabile, ſi conſideremus nullam ea expungendi cauſam eos habuiſſe, ut pote nihil contra ipſos facientia. Et ſi ulla cauſa eſſet ea expungendi, cur ea non expunxiſſent itidem *Iudic.* 13: 18. Quod ſi ergo additamentum hoc ad textum hic non pertineat, cadet ultro omne id, quod huic inædificatur; ab hac quidem parte ab Alcazare in *Apoc.* 11: 1. hujus Angeli nomen *mirabile* fuiſſe exiſtimante, tum, ut hoc nomine innueret, in hac lucta admirabile Dei conſilium circa Eccleſiæ perſecutiones & victorias figurari; tum, ut typus ipſe eſſet Chriſti, qui vocatur *admirabilis*, *Eſai.* 9: 6. Ab illa verò parte à Judæis, quorum traditiones ex Fernelio Medico *de Abditis Rerum Cauſis L.* 1. *Cap.* 11. citat Corn. a Lapide in *h. l. Literis proditum*, inquit, *accepimus, quod primi parentis cuſtos Angelus dictus ſit Raziël, Abrahæ Zabriël, Iſaäci Raphaël, Iacobi Peliël* (id eſt mirabilis Dei) *Moſis Metatron? per hos internuntios plurima illi divinitus acceperunt.* Verùm, ut ipſe citatus Jeſuita probè judicat, hæc Cabbaliſtarum ſunt vel conjecturæ, vel commenta mera. Quibus ergo miſſis redeo ad rationes, cur occultet hic vir ſuum nomen. Inter quas certè non numero, quod affert R. Sal. Jarchus, Angelum hunc inducens ita loquentem in *h. l. Non eſt nomen fixum*, (ſive certum) *ſed mutantur nomina noſtra pro ratione præceptorum miniſterii legationis, ad quas* (obeundas) *mittimur.* Uti etiam quod tradit Abarbanel: *Victores ſolent victos nomine cognito ad ſervitia vocare.* Non etiam cogitari poteſt quæſtionem hanc Jacobi impiam quodammodo fuiſſe, aut malo ſcopo propoſitam; de quo etiam ſuprà aliquid dixi. Non denique nunc, quod olim mihi magis placuit, videtur metus ullus Angelum cohibuiſſe, ne Jacobi poſteri, ad ſuperſtitionem adeo proclives, eô fortaſſis abuterentur. Nam

idem

idem metus etiam Deum debuiſſet cohibere, ne Moſi nomen ſuum, poſtea apud rubum illud roganti indicaret. Acquieſcam ergo nunc in eo, quod ſuprà dixi; additô modò hoc Calvini commentario: *Nam Patres*, ait in *h. l. initio oportuit in exigua auroræ luce ambulare; & Dominus gradatim ſe illis patefecit: donec tandem exortus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus, in quo perfectus apparet fulgor.* Hæc enim mihi ratio magis placet, quàm, quod alii dicunt, ideo hoc nomen indicatum non fuiſſe, quia id ab una parte majus eſt, quàm ut ab homine capi poſſit, ſicut & ipſe; (*eſt autem ipſe nomen ſuum, ſicut & nomen ipſius ipſe eſt*; notat rectè Jo. Mercerus in *h. l.* conf. etiam *Exod.* 23: 21.) & qui ab altera parte etiam nomine adæquato exprimi nequit *Prov.* 30: 4. nam ob eaſdem has rationes profectò nunquam Angeli hujus, vel Dei nomen debebat fuiſſe revelatum hominibus. Et tamen ita videtur etiam ratiocinari Cyrillus Alexandrinus *Glaphyror.* in *Geneſ.* L. 5. p. m. 173. ubi reſpiciens ad hunc caſum, quod nomen hic Vir indicare nollet, ita ait: Οὐκ ἀπαγγέλλει δὲ τὸ ὄνομα Θεὸς, ὅτι κατὰ φύσιν ἴσῃ &c. Quæ ex interpretatione Auberti ita ſe habent: *Deus nomen non enunciat, quod ſecundum naturam ſit per hoc declarans. Nomen enim Deo, quemadmodum homini, fortaſſe peculiariter nullum eſt* &c. *Intelligens vero rurſum beatus Jacob, quod Deus eſſet, cui nullum proprium nomen adſcribi poteſt, vocavit nomen loci illius, facies Dei: vidi enim*, inquit, *Deum facie ad faciem* &c. Quò & tendunt ea, quæ Iſidorus Peluſiota, aliique habent, Nomen Dei ſcil. antea quidem magis abſconditum, at poſtea demum plenius revelandum. Atque ex his forſan ratiociniis, penes Judæos etiam uſitatis, ortus fuit ſarcaſmus ille Imperatoris Caligulæ, quô ſolebat Judæorum Deum vocare Ἀκατονόμαστον, *Innominatum.* Caſus exſtat penes Philonem *de Legatione ad Cajum, p. m.* 1041. *Edit. Francof.* Quum enim Legati Judæi ex Alexandria venirent in Cæſaris conſpectum, & prima verba blandè edidiſſent, Cæſar σαρκάζων ἅμα καὶ σεσηρώς, *deludens ſimul ac ringens*; *vos*, inquit, *eſtis illi diis inviſi, qui Deum non exiſtimantes me, jam ab omnibus aliis agnitum*, ἀλλὰ τὸν Ἀκατο-

τονύμαχον, *ſed iſtum* INNOMINATUM *nobis*; vel uti Gelenius interpretatur: *Mavultis veſtrum colere.*

XXII. Nomine verò non indicato aliud ei dat Angelus, quod damnum illud compenſare poſſet, nempe: *Et illic benedixit ei.* Qua in re, & quibus hæc benedictio verbis concepta fuerit, non memoratur in S. Scriptura. Joſephus refert Jacobum, *cùm ſenſiſſet Angelum eſſe Dei, precatum eſſe, ut fatum ſuum ex eo cognoſcere liceret*; qui idcirco, *quod non quemvis adverſarium, ſed Angelum Dei vicerit*, declamat *id illi eſſe magnæ felicitatis præſagium, genuſque ejus nunquam defore, nec ullis unquam humanis viribus poſſe opprimi. Hæc ſunt praedicta Jacobo id ipſum roganti.* Contendit itaque in eo conſtitiſſe hanc benedictionem. At dilutum id nimis eſt, Nec enim Jacobus legitur exquiſiviſſe ex Angelo quid ſibi, & ſeræ poſteritati ſuæ eventurum eſſet deinceps. Neque talis futurorum recitatio poterat exprimi nomine *benedictionis.* Videtur idcirco haec benedictio in eo conſtitiſſe, quod ei nomen *Iſraëlis*, pro *benedictione* modò jam ipſi datum, pluribus explicuerit verbis, atque ſic prædixerit ei felicem rerum ſuarum in futuro ſtatum, etiam reſpectu Eſavi, prout ſuperius hæc expoſui.

Et ſimul IX. Benedicentis ipſi.

XXIII. Hac accepta benedictione hunc ergo virum Jacobus etiam lætus dimittit, nullam amplius eum retinendi cauſam habens. Et ne præclari hujus caſus memoria interiret, victurum ſemper huic loco, quô res ea mira acciderat, nomen impoſuit. Ita namque pergit Moſes *vers:* 30. *Quapropter vocavit Jacobus nomen illius loco* פניאל / *Peniel*; ſive uti *verſ.* 22. ſcribitur פנואל / *Penuel.* Quomodocunque ſcribatur, non multum intereſt, cùm literæ אהוי ſæpius inter ſe permutentur. Ita quoque *Penuel* ſcribitur *Judic.* 8: 8, 17. ubi repraeſentatur nobis tunc temporis hoc ipſo loco, in illuſtris fortè hujus caſus memoriam, urbs hoc ipſo nomine inſignita, cujus turrim ſubvertit *Gideon, & habitatores occidit, quod ejus exercitui panes negaſſet*, notante Adrichomio in *Theatro terrae Sanctae, de tribu Gadis*, p. m. 34. No: 36. quæ eadem poſtea urbs deſtructa à Jeroboamo Rege reædificata vi-

5. Reſpecta denique Jacobi nomen loci mutantis in Pniel. *a.* Quia viderat Deum à facie ad faciem; *phraſi Orientali.*

detur 1 *Reg.* 12: 25. Addit porro idem Adrichomius *loc. cit. Oſtendebatur tempore Brocardi locus Phanuel ultra Jordanem, ad Orientalem plagam.* Conf. & Euſebii Cæſarienſis *Onomaſticon*: nec non Adr. Relandi *Paleſtina L.* 3. *pag.* 925. qui ita habet: *Locus trans Jordanem, ubi poſtea urbs condita eſt a tribu Gad, Jud.* 8: 8. Nomen verò hocce פניאל à LXX vertunt ἰδὸς Θεοῦ, id eſt, *viſio*, ſeu potius *facies Dei*. Quemadmodum & ſubjecta vox Hebraica componitur ex פנים / *facies*, & אל / *Deus*. Ita enim ipſe explicat Jacobus: *Vidi* אלהים פנים אל פנים / *Deum facie ad faciem*. Variis aliquem modis videre poſſumus, vel à latere, tergo &c. Nunquam verò melius, quam ſi ex adverſo prope ad eum conſiſtentes, oculos in ejus vultum firmiter figimus. Sic inter paris conditionis homines, eoſve qui familiarius colloquuntur, fieri conſuevit. Verùm commodè hic obſervante Jo. Clerico: *Reges potiſſimum vix ita adſpici poſſunt, in Oriente præſertim, ut oculos contrà tollere auſimus: quod ſi cui ſoleant permittere, non tralatitii favoris eſt indicium. Cum reliquis Aulicorum miniſterio agunt, admittere non dignati. Hinc* Videre faciem *Regis dicuntur ſervi intimæ admiſſionis.* Beati ſervi tui, *ait Sabæorum Regina* 1 *Reg.* 10: 8. qui ſtant coram facie tua ſemper audientes ſapientiam tuam. *Hinc Chriſtus Matth.* 18: 10. *primores Angelorum deſcripturus, ait* eos ſemper videre faciem Patris, qui eſt in cœlis. Talem verò prærogativam habuerat hic etiam noſter Patriarcha, qui hunc virum, quem expertus fuerat ſe majorem longè, cùm prope adeo ei adhæreret, neque noctis tenebræ tantæ eſſent, quin illuceſcente ſaltem aurora, ejus faciem, quam hoc in corpore gerebat, conſpicere potuerit, ſummopere gloriatur *vidiſſe ſeſe de facie ad faciem.*

β. Et evaſerat anima ejus.

XXIV. Neque id tantùm tumultuariò adſpectu, durante luctâ, in mutua eâ corporum agitatione, ſed & lento, ſedato, placido, luctâ finita & colloquio eo amico inter ipſos habito. Quemadmodum & tandem, quod omnium quidem maximum erat, addit: *Et evaſit anima mea*, à morte ſcilicet, quam facile, rem cum ſe majore habens, immo cum Deo ipſo, cujus vel ſolus aliàs conſpectus, nedum col-

colluctatio, necare credebatur, ſubire potuiſſet: ex qua tamen, quod magis, victoris inſtar prævaluerat. Supponit nempe Jacobus, quod ex hoc etiam loco ac ſimilibus colligunt Hebræorum Magiſtri, à nemine videri Deum citra mortis diſcrimen. Quod vel ipſe Deus poſtea Moſi inculcat, *Exod.* 33: 20. Et pii ſub Vet. T. paſſim crediderunt omnes; uti patet exemplo & Manoæ patris Simſonis *Judic.* 13: 22. Hic ergo cum contrà evenerit Jacobo, meritò iſtud tanquam ſingularis gratiæ argumentum habuit, quam admirabundus, lætabundus, ac gratulabundus deprædicat, novoque loci, ubi ea ſibi contigerat, nomine Pniël celebrat, atque poſteritatis perpetuæ recordationi commendat Patriarcha noſter.

XXV. Atque hæc ſimplex verborum ac rerum eſt elucidatio, quam §. 11. promiſeram, & de qua porro conſulendi Interpretes: præcipuè Adr. Riveti *Exercit.* 139. & 140. *in Geneſin*: ac Heideggeri *Hiſt. Patriarch. Tom.* 2. *Exercit.* 17. *de Monomachia Jacobi cum Deo.* Nunc anquirendum ſequitur, quod *ſecundo* nobis ibidem loco propoſueramus, nimirum; *An hæc luctatio revera obtigerit Jacobo vigilanti? num contrà in ſomnio, vel exſtaſi duntaxat peracta fuerit, in ejus imaginatione?* Ita cenſuit jam antiquitus Joſephus *Antiquit. L.* 1. *C.* 19. Φαντάσματι συντυχὼν διεπάλαιε &c. *In phantaſma cùm incidiſſet luctatus eſt, eo pugnam incipiente vicit autem phantaſma, quod voce utitur ac verbis &c.* Et cum eo Judæi multi, nolentes hanc luctam ita revera factam eſſe, ſed figuratè intelligendam. Quam in rem tum neſcio quas miras interpretationes comminiſcuntur. Ipſe Rabbi Moſes Ben Maimon diſertis verbis perhibet *More Neboch. Part.* 2. *C.* 42. *Occurſus*, inquit, *Angelorum occurentium Jacobo, item iſta ejus luctа, atque adeo totum negotium, in viſione Prophetica contigerunt.* Quod idem etiam confirmat teſtimonio R. Chijah. Ita etiam R. Ben Gerſon. Neque abludunt inter veteres Chriſtianos, qui ſpiritualem fuiſſe hanc luctam itidem volunt: uti Origenes, qui *Lib.* 3. de *Principiis*, hanc Jacobi luctam interpretatur de gravi Dæmonis tentatione, quam

B. Modus hujus luctationis; an realis, an extatica, vel in ſomnio? Poſterius affirmant Joſephus, Judæi, Patres, ipſe Calvinus.

luctam vocet Paulus *Epheſ.* 6: 12. *Non eſt nobis lucta adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus imperia* &c. *mundi principes*, id eſt, *tenebrarum hujus ſeculi* &c. Quin immo & ipſe Hieronymus ita ſcribit: *Hanc luctam talem fuiſſe, credendum eſt, qualem hi habent, qui poſſunt dicere: Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & Spiritum*, &c. quos ſequuntur Procopius, Thomas, Rupertus &c. Quin & ambigit ipſe Petrus Martyr, utrum iſta vigilanti, vel dormienti Jacobo contigerit. Ad quod ultimum etiam inclinat Calvinus noſter, totum iſtud, quod hic evenit, *Viſionem* & *Somnium* vocitans in *Commentar.* in *h. l.* §. 24. & 25.

Ob rationes præcipuè quatuor.

XXVI. Horum rationes hæ ferme ſunt: 1. Jacobus nunc fuit ſenex ferme centenarius, agens nempe annos ſeptem ſupra nonaginta. Septuaginta enim ſeptem annos agebat, hoc iter cum ſuſciperet: (conferatur Diſſertatio noſtra *de Scala Jacobi* §. VIII.) ex quo nunc poſt viginti annorum permanſionem in Meſopotamia jam redibat. Unde illi putant per ſe conſtare, provectum adeo ætate Patriarcham luctari corporaliter non potuiſſe, cum antagoniſta ſatis validè eum adoriente, &, quod magis, evadere victorem. 2. Deſcribitur iſthæc pugna, tanquam quæ contigerit obſcurâ nocte, & cum viro prorſus ignoto, qui nullum ergo prætextum adoriendi Jacobum habens, vix videtur pugnam cum eo movere potuiſſe nocte pugnis potius, quàm gladio, vel alio inſtrumento bellico peractam; quod incredibile ferme videtur aut Jacobo nunc magis defuiſſe, quàm poſtea filiis ſuis Simeoni & Levi, *Geneſ.* 34: 25. aut ſi adfuerit, non fuiſſe ab eo adhibitum erga violentum adeo oppreſſorem ſuum. Quæ omnes circumſtantiae tam inſolitæ ſunt in rebus humanis, ut vel hæ videantur docere rem non fuiſſe revera factam. 3. Præprimis ſi hicce Vir fuerit Angelus: quì enim ille, ajunt, cum homine congrederetur mortali, & forſan divinus Angelus, atque congreſſus etiam ab eo vinceretur? Et unde cum Angelo quocunque Jacobo ulla pugna? cùm Angeli, ut ex antecedentibus hujus Capitis *vers.* 1. apparet, ad pugnandum cum Jacobo haud fuerint

rint miſſi, at verò ad juvandum eum & defendendum? 4. Nullus itidem hujus luctæ tam paradoxæ uſus à Moſe deſcribitur, qui utique, prout videtur, relatus fuiſſet, ſi revera hæc contigiſſet luctatio.

XXVII. Quibus tamen argumentis ſequentia opponi poſſunt. *Primo* non hanc luctam quæſiviſſe Jacobum, ſed cùm ſubitò opprimeretur ab ignoto, neſciebat quo, ſive latrone, ſive inimico, certe omnino defendere ſe debuiſſe, prout optimè poterat, vim illatam ut vi repelleret. Neque homini ferme centenario, iſthac mundi ætate, & in illa Patriarcharum longævitate, adeo nullas pugnandi tunc fuiſſe vires; cùm etiam hodie videamus homines ſexagenarios, & ſeptuagenarios, ſæpe ſatis adhuc validos. *Alteri*, ſæpius utique id accidere, ut nolentes volentes pugnare cum ignoto cogantur, quos obviam factus hoſtis aggreditur primus? præſertim in extera degentes Regione, & in itinere, uti Jacobus noſter? Sæpius & id accidere, ut antiquiſſimum pugnæ genus primitus pugnis inſtitutum, (quô ſane quid naturalius, quid promtius?) adhuc in ſubitò exactis rixis adhibeatur? præprimis ubi antagoniſtam ferro occidendi animus nullus adeſt? ſed tantùm pulſare, vel in terram proſternere? quemadmodum ſanè hicce vir ſe gerit non latronis, ſed amici inſtar accedentis, atque inermis. Quamobrem Jacobus gladium, etiamſi ſecum habuiſſet, hoſtem tamen ibi nullum exſpectans, ſtringere aut non voluit, utpote contra inermem; aut non potuit, brachiis ſtatim antagoniſtæ ſui conſtrictus. *Tertiò* argumento opponi poteſt, nihil in eo abſurdi eſſe, ſi rem non juxta humanas rationes, ſed juxta divinæ ſapientiæ ſcopum judices. Theologico enim hæc oculo adſpicienda eſſe, non Philoſophico. Nam hoc quidem adſpectu carni hæc ſtultitiam eſſe, illô verò ſapientiam Dei, ut mox patebit, ubi ſumus oſtenſuri quid hac luctatione ejuſque eventu fuerit ſignificatum. Nihil in eo quoque eſſe abſurdi, quod Angelus ille, ſive Deus ipſe, volens Jacobum non perdere, ſed tantummodo occaſionem ei dare vires ſuas omnes exercendi, eumque in anguſtias & anxieta-

At quibus ſingulis reſpondetur ab Auctore diſtinctè.

tem adigendi, incurrerit tantâ ſolùm in Jacobum virium menſura, ut Jacobus omni ſuo robore renitens reſiſtere impetui illi poſſet: præ primis ei robur addente Deo. Porro Angeli illi, in initio hujus *Capitis* 32. viſi nihil ad hunc colluctatorem pertinent. *Quarto* denique repono, nullum hujus luctationis uſum eſſe, nos negare, & hujus contrarium in ſequentibus demonſtraturos. Sed interea id unum modò nunc eos rogare velim, ſi hæc lucta in ſomnio duntaxat, vel imaginatione, contigerit, an igitur putent ejus ſic uſum majorem certioremve evadere? Si ita? exponant nobis iſtum ſuum *figuratum*, & *phantaſticum* uſum, & examinemus utrum ille noſtro *vero* & *reali* præferendus ſit? Dicunt Moſen uſum hunc, ſi quis fuiſſet, relaturum fuiſſe. Verùm retulitne diſertè Moſes iſtius *ſomnii* uſum, quod de *Scala* idem hic noſter habuit Jacobus? Et nemo tamen ejus uſum negaverit, quem certè nos in noſtra in hanc rem Diſſertatione ſatis evicimus.

Et pro priori ſententia proponuntur rationes tres.

XXVIII. Nos itaque, objectionibus his repulſis, communem Patrum fere & Theologorum ſententiam, hanc ſcilicet luctationem externam fuiſſe, & revera juxta literam ita contigiſſe, breviter hoc pacto confirmabimus. 1. Hæc nobis hiſtoria a Moſe haud aliter recitatur, quàm referri ab ipſo ſolent res quævis verè geſtæ. 2. Vigilans erat Jacobus, & ne minima quidem mentio, aut ſuſpicio de ejus ſomno occurrit: quem etiam hæc rerum & temporis circumſtantia vix permittebat, tanto ſingulis horis imminente, ut opinabatur, diſcrimine a fratre Jacobo. 3. Idem hujus luctæ eventus comprobat. ℵ. *Luxatum eſt acetabulum femoris Jacobæi*, cujus hæc fuit ſequela, ut revera *claudicarit*: quod in cauſa exſtitit *Iſraëlitas*, uſque in hodiernum diem, *non comedere nervum coxendicem, qui eſt ad acetabulum femoris*; uti liquet ex narratione diſertiſſima Hiſtorici in fine *hujus Cap.* Quæ profectò figuratè accipi nequeunt, quin actum ſit de omni tuto ſermonis commercio. Rectè itaque Nachmanides: אם היה זה במראה הנבואה איך בבקר היה צולע על דרכו/ *Si*, ait, *hoc fuit in viſione Prophetica, quomodo mane fuit claudus*

dus in femore ſuo? Neque eſt quod excipiat R. Levi, Ben Gerſon, hoc femur in ſomno fuiſſe luxatum vel ex frigore, vel catarro immiſſo, vel defatigatione nimia, vel alia quacunque ex cauſa; quæ quidem dici poſſunt, non probari: cùm ratio ſit nulla, cur femoris tactus revera ſic factus accipiatur, cætera autem in ſomnio, quia omnia ſimiliter geſta eſſe Moſes, tanquam Hiſtoricus fidus, narrat. ב. Jacobus relictus fuit *ſolus*; quod additum non fuiſſet, ſi vel in ſomno, vel imaginatione hæc lucta obtigiſſet. Idcirco ſic argumentatur Abarbanel: "ואם היה בחלום וכו / *Si fuit in ſomno, quid referebat, ſoluſne fuiſſet, an cum ſodalitio?* ג. Eodem modò pugna ea intelligenda eſt, quò intelligendum eſt, quod ejus nomen *Jacobi* mutatum eſt in iſtud *Iſraëlis*. Eodem enim utrumque ſtylo narratur, eidemque viro utrumque ſine ulla differentiæ nota adſcribitur. Atqui nominis ea mutatio non in phantaſia, ſed revera facta eſt. Ab eo enim deinceps, & hactenus tota ejus ſic denominatur poſteritas. ד. Hanc deinque luctam conſecuta fuit ingens adeo Patriarchæ tunc certè vigilantis exultatio, *evaſiſſe animam ejus*. Ludicrum verò eſſet, neque ullibi hoc offendimus, ejuſmodi inſtituere exultationem ob viſionem quandam in ſomno nocturno exhibitam, ſed unà cum ſomno jam erroris & falſitatis convictam; propter qualia nullo mortis timore unquam perculſi fuêre Sancti; qui ne tum quidem, quando vigilantibus quid humanam ſortem ſuperans viſibili ſpecie conſpiciendum offerebatur, in tantas exclamationes erumpere ſoliti fuerunt. Corporalis hæc ergo lucta fuit. Si tamen aliquis velit dicere, corporali luctæ ſimul ſubfuiſſe ſpiritualem animæ Jacobææ luctam, me quidem non habebit diffitentem, modò id maneat Jacobum vigilantem, & mentis bene compotem, depugnaſſe etiam ſpiritualem eam pugnam. Nempe hac in corporali lucta, ſpirituali quoque modò contra carnem & ſanguinem debuiſſe luctari Jacobum, a Riveto noſtro jam diſputatum eſt, atque in *h. l.* videri poteſt.

XXIX. Quod ſi ſit, flagitat nunc ordo, ut juxta §. II. Tertium nunc inquiramus, qualis ſcilicet fuerit hicce Vir, *C. Natura Viri colluctantis cum*

Jacobo. Angelum fuiſſe dicunt Judæi & alii.

Vir, cum quo luctatus ſit hic Patriarcha noſter. Variant & hic Doctores longè in diverſum abëuntes. Mortalem eum tantùm hominem fuiſſe, nemo ſanus facile, ut arbitror, dixerit, ubi ſeriò perpendat tanta eum gaviſum poteſtate, ut non ſolùm *luxaverit acetabulum femoris Jacobæi*, iſtud *attingendo* duntaxat; ſed & *nomen* ei dederit novum, idque tam glorioſum; eique inſuper *benedixerit*: quamobrem major certè homine fuit, tametſi virili forma conſpectus Jacobo, atque in hominis ſimilitudine cum eo luctatus. Conſpirant itaque in id plurimi, *Virum* hunc *Angelum* fuiſſe, corpore humano ad tempus aſſumto. Inde Jonathan: מלאכא בדמות גבר / *Angelus in ſimilitudine viri.* Et iſtud ſimpliciſſimum eſt. Quod enim porro nonnulli Judæi fingunt, formâ eum paſtoritia prodiiſſe, inter eorum omnino recenſendum eſt nugamenta.

Sive malum, ut quidam; ſive bonum, ut alii.

XXX. Poſito autem Angelum fuiſſe, jam porro quæritur, qualisnam in ſpecie ille exſtiterit Angelus? Litigant & hic Interpretes. Adſcribam verba Henr. Vorſtii in *Animadverſionibus* in *Pirke* R. Eliëzeris *Cap.* 37. p. m. 221. *Angelum hunc luctatorem volunt Hebræi quidam præfectum fuiſſe Eſavo, & noſtro Scriptori* Iſraël *dictum. Quicquid ſit de nomine luctatoris, fuiſſe aliquem Angelorum ex* vers. 1 & 2. *iſtius capitis ſatis liquet. Alii putant hunc Angelum fuiſſe* ex *genere iſtorum Angelorum, qui vocantur* אישים / Viri, *quos inter & ille cenſendus eſt qui apparuit Danieli, aliisque Prophetis in* Viri *forma. Inepte autem in Tanchuma Fol.* 16: 3. *dicunt hunc Angelum Sammaëlem fuiſſe*, Principem Romæ, *qui voluit Jacobum interficere.* Eſtque hìc omnino conferendus Wagenzeilius in *Sota* p. m. 480. ita ſcribens: *Quidam Magiſtri locum Gen.* 32: 26. *ubi Angelum, qui cum Jacobo manus conſeruerat, inſipienter de Cacodæmone accipiunt. Jalkut Rubeni Tit.* אבות ואמהות *num.* 51. *ex Gale Raſia:* "היה סמאל וכו / id eſt; *Volebat Sammäel diſcedere a Jacobo*, *prout* S. E. Dimitte me quia illuxit aurora. *Sed noluit Jacobus hanc poteſtatem ei concedere, niſi prius ſibi comprobaſſet primogenituram emtam ab Eſavo, & benedictiones, quibus ſe Iſaacus pater beave-*

verat. Pergit porro: *Chaskuni ad eundem locum Geneſeos annotat, id videri dixiſſe Angelum* "אין לך לדאג וכו" / *Nihil tibi porro metuendum, nec enim mali Genii interdiu ſeſe oſtendere ſolent.* Ita quippe tradunt Judæi, ſic notante Buxtorfio *Synag. Jud. Cap.* 4. p. m. 119 & 120. *Sub noctis principium omnes portas cœleſtes Deus claudendas curat, & Angeli taciti & ſilentes apud illas aſſident: Dæmones autem & ſpiritus maligni in mundi ſolitudines ablegantur, & ſi quis obvium ſeſe illis ferat, is inultus & impunitus ab illis nequaquam dimittitur. Appropinquante autem die tunc Dæmonum vires franguntur, nocendique poteſtate deficiuntur.* Quibus adde quæ & ex Judæis citat Bartoloccius *Biblioth. Rabbin. Tom.* 1. p. 344. *col.* 2. & p. 345. *col.* 1. *Venit Sammaël ut illum* (Jacobum) *perderet, & illa nocte erat noviluniun, & Jacob erat ſolus; & ob id traditio eſt, quod non eſt eundum foras noctu abſque ſociis, & præſertim in conjunctione lunæ: nam tunc Dæmones magis liberè ſpatiuntur undique, quia luna tunc eſt deficiens, ſicut ſcribitur:* Fiant luminaria. *In qua dictione in Hebræo deficit litera* ו / *vau,* מארת / Vides hic magnum Judæorum conſenſum. Quin & Chriſtiani quidam Patres id ſequuntur. Ita quippe Hieronymus in *Comment.* ad *Epheſ.* 6: 12. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principatus,* &c. *Ideo autem,* inquit, *nunc eorum, qui magicis infelices artibus ſerviunt, & facere iſta perhibentur, in medium exempla protulimus; ut retundamus eorum opinionem, qui putant omnia vitia eſſe carnis & ſanguinis, & nullam habere Dæmones poteſtatem, ut nos incitent ad peccatum. Talem luctationem & Jacob putamus fuiſſe, quod ſcilicet non adverſus carnem & ſanguinem contenderit, quando remanſit ſolus, & luctabatur cum eo homo, adjuvans eum, & corroborans adverſum alium ſudore nimio dimicantem. Et ſimul vide, ne fortè ridiculi ſint, qui arbitrantur in ritum luctantium, tota Jacob nocte luctatum. Quid enim grande, ſi ut illi ajunt, luctans aut ſuperavit, aut victus ſit? ſed juxta rationabilem, & convenientem Patriarchæ luctam: talem illi colluctationem fuiſſe credendum eſt, qualem hi habent, qui poſſunt dicere: Non eſt nobis colluctatio adver-*

ſus carnem & ſanguinem. Hac in re videtur celebris ille Eccleſiæ Doctor ſecutus Origenem, qui *Lib.* 3. περὶ ἀρχῶν, *Cap.* 2. ſub finem: jam ante enim ſcripſerat ex interpretatione Ruffini: *Ego arbitor*, inquit, *quod nunquam homo fortaſſis per ſe ipſum virtutem contrariam vincere poteſt, niſi uſus fuerit adjutorio divino. Unde & Angelus luctatus dicitur cum Jacob. Quod nos quidem ita intelligimus, quia non idem ſit, luctatum eſſe cum Jacob Angelum, quod eſt adverſum Jacob: ſed is quidem, qui ei ſalutis ipſius cauſa aderat, qui & cognitis profectibus ejus, etiam nomen ei Iſraël dedit, iſte cum ipſo luctatur: id eſt, cum ipſo eſt in agone, & juvat eum in certamine: cum ſine dubio alius eſſet adverſus quem dimicaret, & adverſus quem ei certamen ageretur. Denique Paulus non dixit nobis eſſe luctamen cum principibus, vel cum poteſtatibus, ſed adverſus principatus & poteſtates. Unde & ſi Jacob luctatus eſt, ſine dubio adverſus aliquam harum virtutum luctatus eſt, quas humano generi, & ſanctis praecipuè adverſari & movere certamina, Paulus enuntiat. Ideo denique dicit de eo Scriptura:* Quia luctatus eſt cum Angelo, & invaluit ad Deum, *ut ſit agonis quidem certamen Angeli adjutorio quidem ſuſtentatum, perfectionis verò palma vincentem perducat ad Deum* &c. Hæc Hieronymus & Origenes. Dubitari tamen poſſet an Hieronymus id ſcripſerit tanquam ſententiam ſuam; ſi attendatur quod de eo obſervat Sim. de Muyſius in *Gen.* 32. *Ea namque Hieronymi conſuetudo eſt, præſertim ubi aliò feſtinat, ut ſæpe communes ac receptas celebriorum Doctorum opiniones, quæ ad locum inſtitutumve facere videantur, tanquam ſuas proponat, quamvis ipſe longè aliter ſentiat. Niſi hanc regulam teneas*, inquit, *facile ac ſæpe errabis in dijudicanda Hieronymi mente.* Immo verò & dubitari poſſet, an hæc ipſius quidem Origenis fuerit ſententia, cùm Rufinus, ejus interpres, prout ipſe fatetur, multa in Origenis ſcriptis truncarit, auxerit, immutarit: cui peculiaris *eſt iſta temeritas* (teſte Eraſmo, de *Vita & ſcriptis Origenis*) utpote *cujus unicum ſtudium fuiſſe videtur omnes illuſtrium autorum libros attrectando contaminare.* In primis id fecit in hiſce etiam libris περὶ ἀρχῶν, *difficillimis ſane atque obſcuriſſimis,*

qui

qui (utor verbis Cavei *Hiſtor. Liter. Scriptor. Eccles.* p. m. 83.) *in Latina Origenis operum editione extant ex verſione Rufini peſſimâ fide confectâ, multis quippe omiſſis, multis interpolatis, ac in melius mutatis, uti nec ipſe diſſimulat Rufinus:* (Scilicet in ſua ad Macarium ante hos libros præfatione.) *Haud diſſimili arte in cæteris etiam à ſe verſis Origenis libris uſus eſt Rufinus, adeo ut vera Origenis ſententia ob Interpretis malefidi additamenta, truncationes, atque interpolationes, vix, ac ne vix deprehendi poſſit.* Utut ſit, hocce mirandum eſt, quì in mentem ea ſententia venire ulli potuerit homini: 1. Malum enim Angelum retinere, atque ab eo benedici non tantopere expetiiſſet pius Patriarcha. 2. Neque etiam de malo Angelo dixiſſet *vers* 30. *Vidi Deum de facie ad faciem.* 3. Neque JEHOVA *Gen.* 35: 10. repeteret & comprobaret acta & dicta a Satana. 4. Denique & hic glorioſus *Iſraëlitarum* titulus à Diabolo Judaeis fuiſſet conceſſus, ſi colluctator illi Jacobi malus Angelus fuiſſet.

XXXI. Alii ergo Judæorum putant bonum fuiſſe Angelum, & in ſpecie determinant fuiſſe Angelum Michaëlem, quæ, teſte Kimchio, priſcorum Rabbinorum eſt ſententia. Inſigne huc citatur teſtimonium ex Jalkuth. *fol.* 82. *Col.* 2. quod plenius deſcriptum à Cl. Jac. Altingio *in Comment.* ad *Hebr.* 7: 1. & *ſeqq. p. m.* 198. Summam ejus modò dabo: *Luctatus eſt vir cum ipſo: Dicunt quidam, fuit Michaël* &c. Et mox: *Vidit, quod ei non prævaleret, & tetigit acetabulum femoris ejus. Dixit itaque S. B. Michaëli: rectene egiſti, quod Sacerdotem feceris vitioſum? &c.* Et *ilico Michaël petiit à Raphaële, ut eum ſanaret, quod hic præſtitit &c.* Similia inſuper refert Theod. Hackſpanius in *Notis* ad *Hoſ.* 12: 5. & de *Cabbala Judaic. p.* 396. ex *Baal Hatturim ad Gen.* 28: 20. *Vox* לבש *bis extat, juxta notam Maſoræ, ſemel hic loci, & item Levit.* 21: 10. *ubi agitur de veſtibus, quibus utuntur ſacerdotes. Docet igitur hic textus Jacobum fuiſſe ſummum ſacerdotem, uti quoque eſt in Bereſchit Rabba. Michaëli dixit Deus S. B. tu Jacobum, ſacerdotem meum ſummum, infeciſti maculâ, h. e. claudicantem feciſti. Juro per vitam tuam, te futurum ſacerdotem ſummum*

Et quidem hi Michaëlem; *illi* Gabriëlem. *Tertii* Angelum tutelarem Eſavi. *Quarti* Angelum Iſraëlem dictum. *Malè omnes, fuit* Deus ipſe.

mum ſupernè locô ejus. Atque hoc eſt, quod Jacob ait: Si dederit mihi panem ad comedendum, & veſtimentum ad induendum, *np. ut mihi conſtans ſit ſacerdotium, quod emi ab Eſavo; nam tunc ſacer cultus* (poſitus in ſacrificiis, ut עבורה interpretantur Judæi) *Primogenitos ſpectabat.* Alii verò Gabriëlem hic cogitant, qui nonnunquam *Vir* audit, conf. *Dan.* 9: 21. Salomo Jarchus eum שר על עשו / *Principem*, ſive *Angelum tutelarem Eſavi*, vel Idumææ, fuiſſe autumat, qui noſtri Patriarchæ hoc pacto itineri remoram injicere moliretur, ne progredi ultra, terramve promiſſionis intrare poſſet. Quia autem ille שר/ ſive *princeps*, ab אל/ ſive *Deo*, ipſius Edomi cuſtodiæ erat præfectus, hinc Jacobum deinceps dictum ישראל/ *Iſraëlem:* ex אל/ שר & ישרה/ tanquam quaſi, *qui ut principem ſe geſſit cum præfecto Dei.* In *Pirke* Eliëzeris hic Angelus *Iſraël* vocatur. Ubi hæc exſtant verba *Cap.* 37. *Vocavit autem nomen ſuum* Iſraël, *uti nomen ejus erat, ita quoque vocatum eſt nomen illius* Iſraël. Non opus eſt ut has opiniones ſpeciatim refutemus. Angelis Judæi tribuunt nimia. Uti etiam aliquis R. Simon facit mentionem Angeli Peliël, qui Jacobo fuerit familiaris, ejusque præceptor in ſtudio Cabbaliſtico, quod à Judæis Jacobo etiam attribuitur. Vid. Reuchlinus de *Arte Cabbaliſt. Lib.* 1. Sufficit verò Jacobum ipſum hunc colluctatorem ſuum vocare *Deum.* Ut bene Calvinus noſter *Inſtit. Lib. I. Cap.* 13. §. 13. *Confeſſio ſancti Patriarchæ ſatis declarat non fuiſſe creatum Angelum, ſed in quo plena Deitas reſideret, cum dicit: Vidi Deum facie ad faciem.*

Non; quatenus repræſentatus per creatum Angelum, ut Pontificii & Sociniani;

XXXII. Quod ſi verum ſit hunc *Virum* ipſum *Deum* fuiſſe, jam demum indagandum quô id capiendum ſenſu? Benedictionis à creatura petitæ hic habeant, ac plurimi Sociniani, ut Chriſti Deitatem hinc excludant, Angelum creatum fuiſſe volunt, qui *Deus* dicatur, quia Dei repræſentaverit perſonam. Cum quibus faciunt Ill. Grotius, qui ad illa verba: *ſi contra Deum fortis fuiſti*, ita commentatur in *h. l. contra Angelum.* Similiter Sim. Epiſcopius *Inſtitut.*

tut. Theol. L. 4. C. 4. Oper. Tom. 1. p. 284. a. Vir dicitur. uti & in *Praelect.* in 1 *Joan. 3. Tom. 2.* p. 288. b. Et hunc ſequitur Phil. Limburgius *Theol. Chriſt. L. 5. C. 19. §. 5. Quod Jacobum attinet, qui ſibi ab Angelo benedici petit, non petit, ut Angelus pro ipſo Deum oret, ſed ut, tanquam Dei legatus, ipſum donaret benedictione aliquâ.* Quin immo & alii Proteſtantes Theologi ex parte cum iis conſentiunt: uti ex Auguſtanæ Confeſſionis Theologis Theod. Hackspanius in *Notis Philol.* ad *Hoſ.* 12: 5. ita ſcribit: *Faciamus ſanè, fuiſſe Angelum creatum, quod innuitur hoc in loco a* Chaldæo, *&* Verſione Vulgata אלהים *tranſferentibus per* Angelum. Nec non de *Cabbala Judaic.* p. 397. *Judæi Angelum, qui Jacobum claudicantem fecit, tradunt fuiſſe Michaelem: certe creatum Angelum rectius intellexeris, quam Dei Filium, quia Hoſ.* 12: 5. *flens & Jacobo ſupplicans introducitur; uti quoque* Schindlerus *obſervavit in* Lex. p. 196. D. *Nam quod Filio Dei ante incarnationem lacrymæ tribui queant, licet in aſſumta quadam forma; item quod ſupplicatio ei conveniat, humanitate necdum ſibi unita, id verò perſonæ ejuſdem indignum judico.* Verùm graviſſimus Theologus Andr. Rivetus noſter adeo operosè id omne refutavit, in ſua *Exercit.* 139. in *Geneſ.* ut quid addere neceſſe haud ſit, niſi fortè hoc unum, quod Hackſpanio opponamus ejuſdem Confeſſionis Theologum celebratiſſimum Abr. Calovium contra Grotium ita diſputantem in *Bibl. Illuſtrat.* in *h. l. Non ab Angelo, etſi fingatur perſonam Dei repræſentaſſe, Jacob benedictionem petiiſſet. Aliàs Angelos perſonam Dei referentes integrum eſſet invocare, quod, etſi libenter cum Papiſtis vellet fortaſſis Grotius, primæ tabulæ Legis repugnat. Nec ab Angelis ipſis conceditur Apoc.* 19. & 22. *Hic vero vir non conceſſit id modò, ſed* exaudivit *quoque petitionem Jacobi, eidemque* benedixit, *quod nullius Angeli eſt.* Quin & Aug. Pfeifferus *Dub. Vex.* in *Hoſ.* 12: 5. diſertè ſcribit, *Hackſpanium contra expreſſa Scripturæ teſtimonia Angelum creatum intelligere.* Quod autem ex fletu Angeli argumentatur ad *Hoſ.* 12: 5. Hackspanius, nihil hic facit ad rem, ſi cum Lyrano, Junio, Tremellio, Belgis noſtris aliiſque innumeris obſervemus, nul-

lum de fletu Angeli, ſed Jacobi ſermonem eſſe. Unde & J. Druſii noſtri cadit commentatio in *Luc.* 19: 41. ſic ſcribentis: *Doctores Hebræi Angelum fleviſſe ſcribunt:* (quod tamen Kimchius & Aben Ezra non intelligunt) de fletu proprio, ſed cenſent parum abfuiſſe, quin fleret Angelus.) *Et ratio*, inquit, *hoc ſuadere videtur. Nam quia victus ita flevit, & deprecatus eſt Jacobum, ut ſe dimitteret. Cur Jacobus victor fleret, cauſa nulla eſt.* Immo verò, Druſi, cauſa erat ingens, quia Jacobus ſentiebat ſe cum fortiori luctatum, à quo majori ceu minor benedici proinde expetebat, quod precibus ideo & fletu expetebat. Vid. porro Pfeifferum in *Dub. Vex.* ad *Hoſ.* 12: 5. Sed hoc ἐν παρόδῳ. Redeo ad inſtitutum.

Sed; ipſe Angelus fœderis, *ſive* Filius Dei Meſſias.

XXXIII. Quid igitur? Si creatus non fuerit Angelus, reſtat ut dicamus hunc *Angelum* fuiſſe ipſum *Deum*: uti & *Dei* nomen hac in narratione toties, non item *Angeli*, uſurpatur. Quo autem pacto id accipiam? Ergone Deus creator omnium rerum humana indutus ſpecie luctatus fuit cum ſuâ creatura? Hoc certè cum immenſa ejus Majeſtate nequaquam convenire nonnulli putant, quod ille depoſitâ ad tempus infinita ſua gloria ac beatitate, ob rem adeo exiguam corpus aſſumeret, ut nempe in eo, veluti per ludum cum homine mortali luctaretur; & quod magis eſt, ab eo vinci ſe ſimularet. Nos videamus quid luminis ipſa S. Scriptura nobis hic præbeat. Hæc verò ad hunc illuſtrem caſum reſpiciens de noſtro Jacobo ita refert: *Hoſ.* 12: 4. & 5. *Robore ſuo principem ſe geſſit cum* אלהים / *Deo. Principem ſe geſſit cum* מלאך / *Angelo, & potentia prævaluit.* Unde patet ſtatim hunc *Virum*, cum quo rem habuerit Jacobus, *Deum* quidem fuiſſe, ſed & *Angelum*. Ergo non *Deum Patrem*, creatorem omnium, qui *Angelus* dici nequit, & nunquam dicitur; cùm ſe ſuperiorem non habeat, cujus *Angelus* ſive *Legatus* eſſe poſſit. Neque etiam *Angelus ſui ipſius* audire poteſt, quod contradictionem implicat; quemadmodum in alia cauſa egregiè ratiocinatur Theodoretus *Quæſt.* 5. in *Exod.* 3. ad verba illa, *Apparuit ipſi Angelus* &c. ita ſcribens: Ὅλον δὲ τὸ χωρίον δείκνυσι θεὸν ὄντα τὸν

ἀφ-

ὀφθέντα &c. *Univerſus iſte locus demonſtrat Deum eſſe, qui apparuit. Vocavit autem illum Angelum, ut cognoſcamus, quod is, qui viſus eſt, non eſt Deus Pater; (cujus enim Angelus eſſet Pater?) ſed unigenitus Filius, qui magni conſilii eſt Angelus; qui ſacris diſcipulis dixit*: Omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis. *Quemadmodum autem Angeli nomen poſuit, non miniſterium quodpiam inuens, ſed perſonam unigeniti demonſtrat, ſic iterum ipſius tum naturam, tum potentiam prædicat*; dum ait ipſum dixiſſe: Ego ſum, qui ſum: &; Ego Deus Abrahami, & Deus Iſaäci, & Deus Jacobi, hoc mihi nomen æternum & monumentum generationis. Hæc Theodoretus. Conſequenter ultro ducimur eò, ut iſtum hic cogitemus *Angelum*, in S. Scriptura celeberrimum, qui nonnunquam *Angelus fœderis*, aut *Angelus faciei* denominatur, in quo *Deus videtur* ac cognoſcitur, Angelus גואל *Vindex*, de quo ipſe noſter Patriarcha deinceps deprædicat jam decumbens mortique proximus, *hunc iſtum eſſe Angelum, qui ipſum vindicaverat ab omni malo*, quique omnimodam etiam *benedictionem* in ſe & filios ſuos effundere deberet *Gen.* 48: 16. *Eſai.* 63: 9. *Mal.* 3: 1. Quid? ejuſmodi eſt *Angelus*, qui & unà *Deus*.

XXXIV. Hunc verò Angelum hic etiam agnoverunt Hebræorum Magiſtri cordatiores. Ubi ad illa verba; *ut princi-pem te geſſiſti cum Deo & hominibus*, hunc in modum commentatus eſt Abarbanel: *Quia ille Angelus ſub Deo comprehenditur*: quod tum explicat *de Angelo ſummo ſecundum veritatem, ſed è genere hominum ſecundum apparentiam* &c. Atque hæc coincidunt cum Sacris, quæ hunc Angelum quoque pro Deo habent. Conferri poſſunt ea, quæ habet Hieron. Zanchius *de tribus Elohim L.* 2. *C.* 2. *Th.* 6. Clarius verò etiam Kimchius in *Hoſ.* 12: 4. citatus ab Ainswortho ad *Geneſ.* 32: 24. *Doctores noſtri benedictæ memoriae dixerunt, hic Angelus erat Michaël. Et de eo dicit Jacobus Geneſ.* 48: 16. *Angelus qui me vendicavit ab omni malo. Hic Michaël*, inquiunt, *eſt Meſſias Archangelus*, *Dan.* 10: 28. Id verò convenit cum doctrina Apoſtolica *Judæ vers.* 9. *Apoc.* 12: 7. Accedit

Judæis quibuſdam hic agnitus; quæ latius oſtenduntur.

cedit porro hunc Angelum insuper *Schechinam* dici. Ita quippe in Bereschit Rabba *fol.* 86. *col.* 3. *fin.* juxta citationem Altingii in *Hebr.* 7: 1. & *seqq.* p. m. 198. *Vidit quod non prævaleret ipsi, vel sibi, vidit schechinam, quod sibi non prævaleret.* Atque hæc apertissima certè inter Hebræos Messiæ descriptio est. Quibus addere licet, supposito quod *Vir* hic sit idem cum eo, qui *Angelus faciei* alibi audit, nihil sanè notius esse quàm nomine פנים Messiam insigniri, cùm in Sacris, tum Hebræorum monumentis antiquissimis. Quò faciunt ea quæ adduxêre Galatinus *de Arc. Cath. Verit. L.* 3. *C.* 12. & Cl. Altingius in *Comment.* ad *Deut.* 5: 7. occasione præcepti tertii sermonem injicientis de *facie Dei* p. m. 267. 271. Vid. & Deilingii *Observat.* S. *Part.* 1. p. 77. Crameri *Theolog. Israël. Part.* 2. p. 223. Et sanè ipsos rectè hic Messiam intelligere, vel ipso *Viri* titulo patet, passim adscripto Messiæ *Jos.* 5: 13. *Jud.* 10: 11. *Psalm* 80: 18. *Zach.* 6: 12. Verbo dicam: hic *Vir*, *Angelus*, & *Deus*, erit pro in Messias; qui *Deus* est juxta Divinam, quam cum Patre communem habet, naturam: qui *Angelus*, quatenùs à Patre mittitur: qui *Vir*, jam tunc in præludium ob naturam humanam olim assumendam, & assumtam quoque. Atque eam sententiam de hoc *Viro* habent inter primitivæ Ecclesiæ Patres præcipui quique, Justinus Martyr *Dial. cum Trypho-ne:* Tertullianus *Lib.* 2. *contra Marcionitas*: Cyrillus Alexandr. *Glaphyror.* in *Genes. L.* 5. ad finem fere: Theodoretus *Quaest*: 91. in *Genes.* qui quatuor id argumentis, & a Cl. Joan: Heideggero *Histor. Patr. Part.* 2. *Exercit.* 17. §. 2. distinctè deductis, adstruit; Augustinus, & alii plures. Eorum testimonia, quod satis pervulgata sunt, hic non adscribo: quemadmodum ingentem eorum catalogum dedit Abrah. Calovius *Bibl. Illustr.* in *h. l.* uti & Concilium Syrmiense anathema dixit hoc negantibus, cujus hæc sunt verba: *Si quis cum Jacobo non Filium colluctatum esse dicat, sed ingenitum Deum, aut Patrem ejus, anathema esto.* Quibus consideratis, quis satis mirari queat Leon. Marium, Jesuitam, etiamsi plures ipse Patres in *h. l.* citet, qui hunc *Virum* pro unigenito Dei Filio

lio habent, tamen addere auſum in *h. l. Sequuntur hanc ſententiam fere noſtri temporis Hæretici*, (Proteſtantes nimirum) *idque ne, cum infrà Jacob hunc Angelum invocat, & ab eo benedictionem nepotibus ſuis petit, videatur adorare creaturam: & cum Catholicis ſentire, qui Deum ut primum datorem, Angelos autem ut executores Dei, & humanarum infirmitatum adjutores invocant.* Verùm huic homini opponimus ejuſdem Eccleſiæ Doctorem eruditum Claud. Fraſſen *Diſquiſit. Biblic.* in *h. l.* p. m. 343. qui ad omnes, quae moveri poſſunt difficultates, ſolidè reſpondet.

An recuſatæ ea detectio Nominis indicet Nomen indicari non potuiſſe: Et an inde ortus ſit Caligulæ ſarcaſmus in innominatum Judæorum Deum?

XXXV. An verò ex ipsâ etiam hujus Viri reſponſione ad Jacobi interrogatum, nomen ei ſuum indicare negantis, colligi poſſit, eum verum Deum eſſe, ut quidam volunt, atque exinde ortum quoque Caligulæ ſarcaſmum in *innominatum Judæorum Deum*, quem caſum nobis Philo Judæus refert *loc. cit.* ſuprà §. XX. & XXI. ſatis dictum eſt.

Concluſio per Franc. Junii commentarium in h. l.

XXXVI. Ego, quæ hucuſque diſputavi, teſtimonio Franc. Junii, Theologi ſolidiſſimi claudam & confirmabo: *Luctator*, ait, *fuit Deus: nam ipſe Jacob agnoſcit, dicens: Vidi Deum* &c. *fuit autem humana ſpecie, & humana ratione cum Jacobo egit ſecundum diſpenſationem, qua Deus inaniens ſe ipſum conditioni filiorum ſuorum accommodat, ut indulgentes patres faciunt interdum liberis. Interea vero exercitatione hac ſuum ſervum inſtituit ad certamina eventura. Nobis itaque non eſt dubium quin hæc fuerit perſona Chriſti, cujus perſonæ illud maxime proprium eſt, ut ſe inaniat propter ſuorum ſalutem: & ita ſenſerunt Orthodoxi Patres.* Qui plura velit, ea inveniet apud Sam. Pfeifferum, in *Dub. Vex.* in *h. l.* & ante eum apud Rivetum *loc. cit.* & Schotanum *Biblioth. Hiſt. S.* ab *Abrah. ad ingreſſum in Ægyptum*, p. 377. & 378. Contra tot tantoſque veritatis teſtes neque audiendi propterea illi ſunt, qui hunc creatum modò Angelum fuiſſe contendunt, utpote qui vinci à Jacobo paſſus fuerit, & non ab ipſo dimitti, donec benedixiſſet ipſi. Nam profectò eodem argumento æque facilè concludas hunc ne Angelum quidem fuiſſe, quandoquidem ne quidem Angelum humanis viribus ſuperari poſſe certum ſit, niſi velit

ſuperari, & permittat ſciens & volens ſeſe vinci ab impotentiori. Quid verò in eo abſurdi, ſi Deus aliquando à ſuis detineri ita velit, ita ut neceſſe quoque habeat dicere Moſi; *ſine me, dimitte me*, ut ira mea contra hunc populum exardeſcat? *Exod.* 32: 10. In quo ſaltem loco dubitari nequit, quin Deus verus loquatur. Nempe, ideo nihil abſurdi in hac voluntaria impotentia divinæ perſonæ hic erat, quia id omne, quod hic agebatur, ad myſticum quid denotandum inſtitutum fuerit.

D. Scopus luctationis hujus, quæ non ridenda eſt, tanquam Deo indigna. Quod oſtenditur contra cavillationes quaſdam.

XXXVII. Atque ſic ſponte manuducimur ad id quod Quarto nobis loco ſumſeramus inquirendum, quæ nimirum fuerit hujus luctationis ratio ac ſignificatio? Dantur nonnulli hanc luctationem Jacobo ſomnianti, & non revera acciſſe rati, ut vidimus ante. Verùm hi non ideo magis neceſſe habent negare, huic ſic per ſomnum repræſentatæ luctationi aliquam ſapientem & ſublimiorem ſignificationem ſubfuiſſe, quàm negare vaccis & ariſtis Pharaoni, aut imagini Nebucadnezari per ſomnum etiam exhibitis, omnem ſignificationem defuiſſe. Alii verò pejores omnem hunc caſum irrident, habentes eum pro mero confuſo & vano inſomnio: quaſi ſcilicet non decorum ſit Majeſtati Divinæ, ſive revera, ſive in viſione nocturnâ, talem in modum cum homine mortali congredi, multo minus ab eo vinci, immo nullam eſſe poſſe ſapientem rationem dictitantes, quare ita agere placuerit Deo. Ego primum hic noto nos, ut diſputationes ſupervacaneas præſcindamus, utique aſſerere, haud habere neceſſe Deum, quà Deum merum, ut ita loquar, hanc inſtituiſſe luctationem: cùm jam, ut opinor, demonſtratum dederimus, non fuiſſe hunc luctatorem Deum Patrem creatorem omnium, at verò Filium, qui *Deus* cùm ſit & ſimul *Angelus*, id eſt, Legatus Dei Patris, carnem humanam veram olim induturus, in præludium ejus, quod fieret ſuo tempore, hanc in forma humana, jam tunc ſpecie tenus aſſumta, luctam inſtituere potuerit ob rationes ſapientes. Non ergo Deus merus, & ſemper unicè ſpiritus hic adeſt; ſed Deus Θεάνθρωπος exiſtens, tunc in figurâ, pòſt in veritate carnis humanæ. Cujus majeſtati non magis indecorum tunc erat

erat cum Jacobo colluctari, quàm poſtea ab hominibus virgis caedi, crucifigi, occidi. At, inſtabunt, vinci tamen ab homine indignum eſt. Repeto; at virgis cædi adhuc multo indignius. Si dicant; at voluit ita tractari ob rationes ſapientes & graves nobis in eo caſu cognitas. Reſpondeo; quæramus an non & hic rationes forſan ſint, ob quas ſapiens & decorum Deo erit cum homine colluctari, & ab eo *vinci*, ſive uti Clar. Vitringa ſupra §. XIX. id leniri volebat, *non prævalere ei: uti & alibi non poſſe dicitur quod non volebat, ſive ad quod* Voluntarie impotens erat. Vid. *Marc.* 6: 5. Summa certè ſapientia haud turpe ſibi duxit palam profiteri, *ludere ſe in orbe habitabili terræ ſuae, ac ſuas eſſe delicias cum filiis hominum*, *Prov.* 8:30. Si dicant attamen, poſito Dei Filio, potuiſſe & voluiſſe in humana figura Patriarchæ aliquid ſive præſens, ſive futurum repræſentare, nonne tamen abſurdum eſt eum hunc in finem brachiis uti per modum colluctationis? Non magis ajo, quàm cùm gladio utitur, volens Bileamo & Joſuæ aliquid repræſentare, *Num.* 22: 23. *Joſ.* 5: 13. Nempe accommodatè pariter ad iſtorum temporum ac Orientalium morem perantiquum: utpote quorum erat res quaſvis actionibus quibuſcunque ſymbolicis externis edocere & repræſentare; & apud quos colluctandi mos non erat tam plebejus aut puerilis, quam apud nos. Addam hic verba Clar. Clerici hæc ambo confirmantis in *h. l.* Quod ad poſterius: *Quæritur* inquit, *qua de cauſa Angelus cum Jacobo luctatus fuerit? Videtur in Oriente, quemadmodum apud Græcos, qui pleraque Orientalibus, unde genus ducebant, debuerunt, lucta in uſu fuiſſe, atque exercendi corporis gratiâ, amicos cum amicis ſæpe ſolis viribus certaſſe. Niſi hoc ita ſe haberet, eò non alluderetur infra Cap.* 43: 17. *Quod cum ita ſit, credibile eſt Angelum, qui ſpecie humana cum Jacobo luctatus eſt per noctem, à Jacobo petiiſſe, cum luctari ſecum vellet,* ὅπερ, verba ſunt Luciani, οὐκ ἀχρεῖον οὐδὲ γελοῖον, ἀλλὰ εἰς ἰσχὺν καὶ τόνον οὐκ ὀλίγα συντελεῖ, *quoniam non inutile, neque ridiculum, ſed ad robur & firmitatem non parum confert. Quod Anacharſidi olim ridiculum, quia apud Scythas ignotum,*

videbatur; haud paucis forte, ex hodiernis moribus omnia æstimantibus, non minus absonum videatur. Sed ex consuetudine & opinionibus nostris de veteribus judicare non licet. Quod verò ad prius istud, ita scribit post quædam interjecta: *Orientales solitos esse quod vellent, non modò verbis, sed actionibus exprimere, ex pluribus Scriptorum Sacrorum locis constat. Sic Tsidkija 1 Reg. 22: 11. sibi cornua ferrea aptat, ut victoriam Achabo portendat. Sic 2 Reg. 13: 17. & seqq. Elisæus Joasum sagittam emittere, & humum sagittis petere jubet, ut se de Syris triumphaturum intelligat. Simili ratione,* Annibal rebus priusquam verbis ad hortandos milites ratus, *ut Livius loquitur L. 21: 42. spectaculum præbet, non ad pascendos modò oculos, sed quod* quædam velut imago eorum conditionis esset. *Pari arte, ut dejectum Jacobi erigeret animum, usus videtur hic Deus.* Hæc Clericus. His omnibus si nunc addam non minores hac luctatione Jacobum insigneſque res edoctum, quas perspicuè etiam satis ad consolationem suam, ac gaudium intellexerit, quàm in præcedenti illo somnio per visibilem tum scalam, Angelorumque ac Dei super ea scala apparentiam, tunc certè, uti credo, Θεοπρέπεια hujus luctæ, cum Jacobo satis superque constabit. Unicum, quod adhuc objici posset, est, ut ut Deo non indecens fuerit hæc lucta cum Jacobo, Jacobo tamen indecens fuisse velle pugnare contra Dei Filium. At quis probabit in initio certaminis id Patriarchæ fuisse perspectum? Post victoriam id rescivit, fateor, verùm hoc ipsum in causa quoque tunc exstitit cur *ejulaverit* tunc, & *oraverit ipsum, Hos.* 12: 4, 5. & non *dimittere*, nisi accepta prius benedictione, eum voluerit. Solutis ergo difficultatibus jam ipsa *Significatio mystica* inquirenda est.

Scopus ille erat, non occidere Jacobum, ut Ligtfootus:

XXXVIII. Atque hic quidem non possum omittere, quin primo loco examinem commentationem Doct. Ligtfooti in *Chron. Tempor.* & in *Novis Observat. Oper. Tom.* 1. *pag.* 18. & 159. Is ergo ita loquitur primo loco: *Jacob reformidans Esavum, ad illius appropinquationem fide concussus est, quanquam visibili ministerio Angelorum fruitur: ob quam pusillanimitatem* Angelus fœderis Christus, *obvius in via cum illo luctatus, quæritque occidere: at ille plorat & supplicat, estque læsus duntaxat,*

xat, vivus tamen evaſit. Similia habet loco altero: *Jacob, cum Eſau jam appropinquaret*, de promiſſis Dei adeo diffidit, *ut ei mittat ſupra quingentas omnis generis beſtias, quarum decimas Deo voverat: quas priuſquam ſolveret, Dominum in via obvium habet*, a quo in periculo fuit ut interficeretur: *ſed per preces & ſupplicationem apud Dominum prævalet, atque evadit, tantum claudo crure.* Verùm enim verò, non arridet ea mihi aſſertio: etiamſi enim præ nimio fortaſſis metu nonnihil fide ſua concuſſum fuiſſe Jacobum dari poſſet; è jactis tamen antè fundamentis nullo modo mihi probabile fit, ideo Angelum fœderis cum eo colluctatum fuiſſe, ut eum occideret. Inermis enim aggreſſus eſt Jacobum, nullo ſane, prout apparet, occidendi animo. Neque poterat, ſi Dei eſſet Angelus, alio aggredi animo. Si etenim hic occiſus fuiſſet, tum cuncta ei reſpectu ſeminis ſui promiſſa à Deo facta fuiſſent irrita, quod nemo facile cum Divina veracitate conciliaverit. Quocirca exiſtimarim potius, in noſtri Jacobi bonum, nec non fidei ejus & probationem & confirmationem, totam hanc inſtitutam fuiſſe velitationem.

XXXIX. Quod ſi ſit, agedum ea inquiramus diligentius, quæ hoc in caſu Jacobo fuerint adumbrata. Ubi A. generatim id in anteceſſum obſervari velim, ſignificationem hujus luctæ referri poſſe, vel ad ipſum Jacobum, & fata ipſius, nec non ſeminis ſui: vel B. magis figuratè ad Meſſiam & Eccleſiam ſuam. A. Quod ad Jacobum ipſum, obſervari facilè patiar primò, quod jam olim obſervarunt de confirmatione Jacobi per hanc luctam *contra metum ab Eſavo*, Doctores Chriſtiani pariter & Judæi. De ſingulis unum dabo. Ita habet Chryſoſtomus. Ὅλον δὲ τὸ συγκαταβάσεως ἕνεκα ἐγίγνετο &c. *Totum verò iſtud factum eſt a Deo animo accommodandi ſe infirmitati Jacobi, ut formido animæ iſtius juſti eximeretur, atque ei perſuaderetur, fore ſcil. ut occurſus fratris ejus nullum ei cauſetur periculum.* Et paulo etiam clarius ex Judæis Auctor Michlal Jophi וכי שרית עם אלהים עם מלאך וכ"ל *Quippe principem te egiſti cum Deo*, quod eſt, *cum Angelo: luctatus enim es cum me, & te non ſuperavi, & cum hominibus*, ſcil. *cum Labano ac Eſavo: & ſicut tibi evenit cum Labano, ſic etiam tibi eveniet cum Eſavo.*

Sed; ſignificare aliquid ipſi ad confirmationem ſuæ fidei. Nempe. A In genere 1. Victoriam ab ipſo reportandam in lucta cum Eſavo.

Similia his antea adduximus ex Hieronymo §. XVIII. Multa alia, quæ veteres Eccleſiæ Doctores habent, dabunt Rivetus, à Lapide, Heideggerus &c. Succinctè plura contraxit laudatus Joan. Clericus in *h. l.* *His poſitis*, inquit, *Angelum cum Jacobo luctatum, ita ut vinceretur, exiſtimarim; ut hinc fiduciam colligeret, qui Eſavum uſque adeo timebat. Qui enim vires ſuppeditarat homini ſeni, ut prævalentem forte juvenem, imo vero Angelum ſuperaret; idem ejus familiæ, ſi ad vim res ſpectare cœpiſſet, animos potuiſſet addere, ut Edomum, quanquam fortem, ejusque copias vinceret. Videtur ergo hæc lucta ſymbolica fuiſſe imago congreſſus cum Eſavo, ſi vi certandum fuiſſet; etiam ejus quod contigit, Eſavo enim patiente, ad Patrem rediit, cum timeret ne Eſavus, cui πρωτοτόκια eripuerat, facinus hoc ſuum graviter ulciſceretur; qua in re Eſavo, πρωτοτόκια eo pacto tacite cedente, ſuperior certe fuit.* Ita ille.

2. Ut & victoriam poſterorum ſuorum in Canaane ſub tempore Vet. Teſt.

XL. Non etiam negabo eâdem lucta Secundò præſignificatos fuiſſe labores ipſi, etiam adhuc poſt hanc ex manu Eſavi liberationem, imminentes: quod ita effert Calvinus noſter: *Ego in ipſo terræ promiſſæ ingreſſu admonitum* (Jacobum) *arbitror, non eſſe cur tranquillam vitam ſibi deinde ſperaret. Poterat enim reditus in patriam videri quædam miſſionis ſpecies: ita Jacob inſtar emeriti militis ad quietem ſe dediſſet. Quare pluſquam utile ei fuit doceri qualis eum maneret conditio.*

3. Ut & victoriam eorundem contra Edomitas, ſive Romanos in ultimo dierum; etſi carnaliter nimis ab ipſis expoſitam.

XLI. Quin & Tertiò eandem hanc obſervationem extendi velim ad ejus poſteros, poſterioribus quidem temporibus, quando nimirum hiſce ingentia certamina hac in terra eſſent obventura, verùm iſthæc cuncta, non minus ac Patri Jacobo impræſens obtigerat, feliciter tandem ſuperaturis. Atque hoc quidem tertium Hebræi etiam conjungunt cum primo, atque extendunt ad illam quoque liberationem, quam hucuſque in vanum exſpectant hujus Jacobi poſteri, per venturum Meſſiam ſuum ab jugo poſterorum etiam hujus Eſavi, id eſt, à Romanis, quos per errorem Eſavi poſteros, ſive Edomitas vocant. Quo nomine vocant omnes etiam Chriſtianos. Rationem dat Buxtorfius *Synagog. Jud. Cap.* 5. p. m. 156.

quod

quod ſcribant in arcanis libris ſuis, *Eſavi animam in Chriſtum veniſſe, eumque adeo impium fuiſſe ac Eſavus ipſe fuit: noſque omnes non meliores eſſe, & meritò propterea Idumæos appellari; quod in illum credamus.* Rem ipſam verò ex Judæorum ſententia ſic adducit Clar. Leideckerus de *Republ. Hebræor. Lib.* 2. *C.* 11. §. 7. ad finem, fingere eos *eò ſignificari, quod licet ſuſtinere debeant afflictiones & exilia a filiis Eſau, (ſic Chriſtinos vocant) credere tamen debeant ſe liberandos, nec perdendos ab Angelo malo, ſed venturum Redemtorem* גואל / *qui eos ſit aſſerturus ex manu hoſtium.* At Judæos ipſos audiamus. Sic quippe lubet interpretari Abarbaneli, cæteroquin ſcriptori judicioſiſſimo: הנה התבאר צורך הנבואה הזאת וכ"ל / *Ecce explicata eſt neceſſitas Prophetiæ hujus facta Jacobo, in hunc finem ne timeret Eſavum, quod eum non ſit afflicturus malo. Id quidem verum eſt, eum afflicturum poſteritatem ejus, donec adſcenderit aurora, (volo dicere) donec recedat ſervitus. Et iſtud tempus eſt futuræ noſtræ liberationis,* np. à jugo gentium per Meſſiam. Et ſimilibus commentationibus pleni ſunt paſſim Hebræorum libri: cujuſmodi habet R. Levi, quæ accepta refero Celeb. Joan. Henr. Hottingero in *Leg. Hebræor. 3. p. m.* 12. in inſigni hocce documento שאותו מלמך שנלחם עם יעקב חיה / שרו של עשו וכ"ל nempe, *Angelum illum, qui pugnavit cum Jacobo, fuiſſe Principem Eſavi, quem voluerit exſtirpare ex hoc mundo cum ſemine, neque tamen potuiſſe; propterea arctaſſe eum contractione femoris: atque eodem modo anguſtare ſemen Eſavi ſemen Jacobi, cui tamen tandem ab illo ſit futura ſalus: quemadmodum enim invenimus in Patre noſtro, quod exortus ei fuerit ſol in ſanitatem ejus, & liberationem ab anguſtia; ſic & nobis orietur ſol Meſſiæ, qui ſanabit nos à calamitatibus noſtris, & liberabit nos. Amen. Fiat cito in diebus noſtris!* Ex quibus, frivola etiamſi plurima admixta ſint, id tamen docemur, vidiſſe Judæos quaſi per nebulam futuram ſuorum ex afflictionibus liberationem, ac poſt durum certamen victoriam, & quidem per Meſſiam; tametſi iſta in literalem nimis ſenſum verterint.

XLII.

Non verò aliam allegoriam, quam proponit Torniellus.

XLII. An verò hiſce tribus etiam Quartum hoc adjungere debeam, quod video Auguſtin. Torniellum habere *Annal tert. mundi ætat. ad annum a mundo cond.* 2296. maximè dubito: *Nimirum, quod ſicuti tunc Patriarchæ alter pes ſanus erat, alter claudus; ita aliquando futurum erat, ut poſterorum ejus una pars in fide ac timore Deo perſiſteret; altera a ſemitis ejus, veluti luxata, claudicaret, de qua dicitur in Pſalm:* 17. (ita juxta Vulgatum Interpretem, ſed juxta Hebraicam diſtinctionem *Pſalm.* 18.) *Verſ.* 46. Et claudicaverunt à ſemitis ſuis. *Et nihilominus utraque pars, videlicet, tam electi, quam reprobi & infideles, Jacobi fortitudinem retinerent; ac propterea Iſraëlitæ, hoc eſt, cum Deo fortes, merito appellandi eſſent, quoniam omnes diverſimode contra Deum quodammodo prævalere debebant.* Ita ille. Tam enim longè petita ſunt, tamque etiam obſcura, ut mihi parum ipſi placeant.

B. in ſpecie & typicè magis ſignificatur hic luctaChriſti, & poſt eum Eccleſiæ.

XLIII. Atque iſta quidem omnia, ſive tria, ſive quatuor, ad ſolum Jacobum Jacobique poſteros referuntur. Verùm enim verò videntur etiam deberi, & poſſe hæc omnia altius adhuc repeti, & B. in ſpecie magis cum aliqua convenientia applicari *Chriſto* noſtro pariter ac *Eccleſiæ ejus.* Et quidem altius hæc repeti, probari poſſet ex eo, quod principalis ſignificatio, quam §. XXXIX. propoſuimus, occaſionalis forſan ſcopus hujus luctæ fuerit, minimè verò principalis: aequè, ut in exitu Jacobi in Meſopotamiam ſcala ea ei oſtendebatur ad ipſius etiam confirmationem; ſed non ſolummodo: verùm vel præcipuè ad repræſentandum ipſi Meſſiam: uti *Diſſert. de Scala Jacobi* § XXXVI. oſtendimus. Et poſſunt hic rationes iſtæ afferri.

Quod probatur 1. *Quia victoria Jacobi in luctacum Eſavo nequaquam ſatisfacit repræſentamini huic.*

a. Quia Deus immortalis non opus habebat ad Jacobum ſic confirmandum, ſuſcipere tam extraordinariam rem, luctam ſcilicet cum homine. Poterat enim hoc æquè bene efficere per alloquium, aut per viſionem nocturnam, uti antea in exitu ejuſdem in Meſopotamiam per viſionem ſcalæ. b. Quia divinus Angelus non videtur voluiſſe perſonam Eſavi profani atque impii repræſentare. c. Quia etiam nimia diſcrepantia eſt inter hanc præfigurationem, & inter tranſactionem Eſavi cum Jacobo,

quæ

quæ hic præfigurata fuiſſe ſupponitur. Ibi vehemens colluctatio fuit: hic nihil minus, ſed ſtatim amica confabulatio & oſcula. Ibi vulneratio illata Jacobo; hic nihil minus, ſed contrà apponere Jacobo volebat Eſavus cuſtodiam militum. Ibi ergo Jacobus merebatur laudem fortitudinis oſtenſæ: hic verò apud Eſavum nihil minus quam fortitudinem, ſed anxietatem & ſupplicationem oſtendit. Confer Clar. Vitringæ *Diſſert.* 2. p. 11. & 12.

XLIV. Chriſto porro & Eccleſiæ applicari poſſe quod dixi, & debere. *α.* In eo nobis præit ipſe Spiritus S. ubi Meſſiam ita loquentem inducit *Eſai.* 49: 3. *Dixerat mihi, (nempe Deus Pater) ſervus meus es, Iſraël, in quo condecorabor.* Qui ergo Meſſiam hic non tantùm *ſervum ſuum* nuncupat ratione muneris Mediatorii, conf. *Eſai.* 42: 1. & 53: 11. quod epitheton Meſſiæ ſatis notum eſt; ſed &, quod non ita notum, nuncupat eum *Iſraëlem*: quod *Iſraëlis* nomen majori ſanè jure Meſſias erat meriturus ac geſturus quàm Jacobus, quandoquidem *luctaturus cum Deo, Deum & hominem erat ſuperaturus*, in quo ipſo *condecoraretur* ipſe Deus Pater. De Eccleſia autem, ceu corpore Chriſti myſtico, iſthoc loco incluſive certo ſenſu etiam loqui Meſſias cenſendus eſt. Quod 1. ex *verſ.* 6. *ſeq.* planum eſt. Hic enim Deus ad eundem *ſervum* ſuum Meſſiam loquitur: *Ego etiam dedi te lumen gentium uſque ad finem terræ.* Et Paulus tamen ait *Actor.* 13: 37. hoc ad Apoſtolos dictum eſſe. 2. Et ei ipſi id convenit, dum enim fideles, ut arctiſſimè cum eo uniti, qui Dei quoque voluntatem facere cupiunt, eo ipſo indicant verum revera ſeſe eſſe *Iſraëlem Dei* in Spiritu, in quibus *condecoraretur* Deus. Quare et 3. hoc ipſo epitheto diſerte inſigniuntur *Gal.* 6: 16. Tentemus ergo, quì eorum, quæ Jacobo noſtro hic contigerunt, quædam poſſimus primo & ad *Chriſtum*, & deinde ad *Eccleſiam* referre.

α. 2. *Quia ad Chriſtum refertur.* *Ab ipſo Eſaia vocante eum* Iſraël.

XLV. *β.* Huic verò teſtimonio Eſaiæ, quo ſolo ego olim uſus eram in Diſputationibus meis de hac materia Ao. 1709. editis, etiam alia argumenta addi poſſunt Nempe. 2. Alterum etiam teſtimonium Domini Jeſu, quod ſcilicet *Moſes* æque

β. *A Jeſu dicente Moſem Chriſtum patientem & glo-*

rificantem alicubi exhibere. Atqui nullibi, si non hoc loco. γ. A Mose luctam Gen. 32:25. propositam hic illustrante.

ac *Prophetæ*, & *Hagiographa*, docuerit *debuisse ea pati Messiam, & sic* demum *introire in gloriam*, *Luc.* 24: 26. 27. Atqui *nullus alius*, ait Cl. Vitringa pag. 25. *est in Mosis libris locus, qui hæc duo simul, passionem & futuram inde Domini gloriam, introitumque in cœlestem Cananæam, clarius delineat exhibetque, quam hic ipse Jacobi.* γ. Adde analogiam scriptionis Mosaicæ in hoc ipso libro *Geneseos*. Nempe *Cap.* 3: 15. Messiæ illam cum Diabolo & Dei ira luctam tam seriò proposuerat. Hic nunc tam miram luctam Angeli cum Jcobo, prævalente tamen, enarrat. Quis exhinc non videat probabile esse eandem luctam & hic ab ipso exhiberi?

3. Quia triplex nimius honor Jacobo hic tribuitur, si non ut typo Christi. Nempe a. Tituli vincentis Dei. b. Auctoritatis postulandi benedictionem. c. Tituli ducis exercitus.

XLVI. 3. Addi forsan posset his, quod Jacobo, si non consideretur ut typus Christi, nimius honor hic tribuatur: qualis est a. Quod nominetur *Israël*, seu *Victor Dei*, nomine diviniori & illustriori, quàm nomina *Noachi* sunt ac *Josuæ*, *Gen.* 5: 29. *Num.* 13: 16. Quæ tamen his ipsis personis data non sunt, nisi respectu Messiæ nomina ea verè merituri, cujus illi typi erant. b. Quod non tam supplicando, quàm postulando dicat: *Non dimittam te nisi mihi benedixeris*. Quô modo non decet loqui hominem ad divinum Angelum, sed quidem Messiam ad Deum Patrem juxta *Psalm.* 2: 8. *Postula a me*. Et juxta *Joan.* 17: 24. *Pater ego volo*, sic postulo, *ut ubi ego sum, sint & illi, quos mihi dedisti*. c. Quod dictus sit *Israël*, id est, qui *pugnavit* tanquam *præfectus exercitus*. Hanc enim emphasin verbi שרה esse latius contendit Clar. Vitringa p. 29. Atqui Jacobus hic non erat *Dux exercitus*, nisi, inquam, tum Messiæ typus erat, qui foret *princeps exercitus Dei*, *Jos.* 5: 24. *Michael princeps noster*, *Dan.* 9: 21. *Princeps ille magnus, cujus est stare pro filiis populi*, *Dan.* 12: 1. *Caput Ecclesiæ*, *Col.* 1: 18. *qui vitam ponit pro ovibus suis*, *Joan.* 10: 11. Hæc argumenta paulò aliter & latius deducta videri possunt apud Cl. Vitringam *Disput.* 2. *p.* 19. *& seqq.* Referenda ergo hæc lucta ad Christum.

Augustini perversa applicatio ad Christum re-

XLVII. Qua in re dum sumus, nequaquam menti nostræ sententia sedet in varias exspatiandi allegorias, quas hic habent vel Gregorius M. *Lib.* 4. *Moralium in Jobum*, vel Hieron-

ronymus *in Epheſ. 6.* vel Cyrillus Alexandrinus, vel alii inter Patres, & quorum nonnullæ recitantur à Riveto, Heideggero, à Lapide, &c. Ego ſolum Auguſtinum hic adſcribam, qui de *Civit. Dei L. 16. C. 39.* Angelum hunc facit typum Chriſti convincentis Judæos, Jacobum verò typum Eccleſiæ Judaicae repugnantis ipſi, & prævalentis ipſi per mortem ei illatam, Verba ejus ita ſunt: *Hoc nomen* (Iſraëlis) *Jacobo ab Angelo impoſitum eſt, qui cum illo fuerat in itinere de Meſopotamia redeunte luctatus, typum Chriſti evidentiſſime gerens: nam quod ei prævaluit Jacobus, utique volenti, ut myſterium ſignificaret, ſignificat paſſionem Chriſti, ubi viſi ſunt ei prævalere Judæi. Et tamen benedictionem ab eodem Angelo, quem ſuperaverat, impetravit: ac ſic hujus nominis impoſitio benedictio fuit. Interpretatur autem Iſraël videns Deum, quod erit in fine præmium omnium ſanctorum. Tetigit porro illi idem Angelus prævalenti latitudinem femoris, eumque iſto modo claudum reddidit. Erat itaque unus atque idem Jacobus & benedictus & claudus: benedictus in eis, qui in Chriſtum ex eodem populo crediderunt, atque in infidelibus claudus* &c. Similiter exponit in *Pſalm 44.* & in *Serm. 80.* de *Tempore.* Sed ſolus eventus ſatis hoc refutat. Angelus enim Jacobo ob hanc reſiſtentiam laudem dat & novum nomen; quod Chriſtus minime dat Judæis incredulis; ſed contrà, uti vides *Mat. 11:16.* & *ſeqq.* & *23:33-39.* Reliquos omito. Summatim modò tradendi eſt animus, quæ hunc inſignem caſum meditanti piè obverſari poſſunt.

prehendentem, & Judæos refractarios.

XLVIII. Ut à Meſſia dicendi initium faciam, in anteceſſum præmonendus mihi Lector eſt, quod quidem ego cum multis Doctis dare velim, Jacobum Meſſiam in multis adumbraſſe. Ita tamen, ut candidè animi ſententiam dicturus, ſimul fatear me dubium hærere, an aſſerere commodè quisquam valeat, hac etiam in luctatione Jacobum Meſſiæ geſſiſſe Typum. Cujus dubitationis mihi ratio eſt, cùm ipſe ille Meſſias, prout in antecedentibus, ut opinor, evicimus, noſtri Patriarchæ exſtiterit antagoniſta, ſic itaque dicendum foret antitypum ipſum ſuum typum oppugnaſſe: adeoque cum ſemet ipſo, per typum ſuum ibi repræſentato, pugnaſſe. Chriſtum

Dubitatio Auctoris, an Jacobus hic potuerit exhibere Chriſtum patientem; Angelus verò ſive Meſſias, Deum patrem punientem.

ſtum ergo fuiſſe in eadem hac lucta & antitypum, oppugnatum in ſuo typo; & ſimul typum vel Dei Patris, vel Satanæ, qui Meſſiam in Jacobo hic exhibitum, ſuis in paſſionibus oppugnârit; & ejuſmodi ſimilia; quæ mihi quidem prorſus confuſa videntur & abſona. Si excipias Chriſtum non quidem potuiſſe eodem reſpectu repræſentari à Jacobo oppugnato, & eodem reſpectu ipſum oppugnare Jacobum; ſed tamen diverſo reſpectu. A Jacobo namque repræſentatum fuiſſe reſpectu humanitatis, in qua, ut in *calcaneo mulieris*, juxta *Geneſ.* 3: 15. aut tanquam in *femore ſuo*, juxta noſtrum locum; *vulneratus* etiam foret. Jacobum verò oppugnaſſe reſpectu Divinitatis ſuæ, ſive quatenus erat Angelus JEHOVÆ: & quidem ſic etiam ſimul potuiſſe eſſe typum Dei Patris, qui Meſſiam in paſſionibus ſuis oppugnaret. Si, inquam, iſtud excipias, fateor ingenioſam hanc eſſe inventionem: ſed tamen dubito an naturæ illæ duæ Angeli JEHOVÆ, id eſt, ſecundæ perſonæ conſideratæ, non ſimpliciter, quatenus Deus eſt, ſed relative, quatenus Deus eſt in carne manifeſtandus, & in præludio hic jam in carne manifeſtatus, (quam emphaſin in nomine *Viri*, qui cum eo luctabatur, ego ſuprà §. XXXIV. notavi) ita poſſint ſeparari, ut eadem illa perſona Dei in carne manifeſtandi, & in umbra jam tum manifeſtati, in eadem lucta poſſit repræſentare quoad naturam ſuam divinam, & repræſentari quoad naturam ſuam humanam: adeo ut ipſe juxta eam unam naturam repræſentaret Deum Patrem in peccatorem irruentem; & ſimul juxta alteram illam naturam repræſentaretur in Jacobo, tanquam Deo in peccatores irruenti ſatisfacturus per paſſiones ſuas. Non videtur enim natura divina ab humana ſeparari debere in Chriſto patiente. Θεάνθρωπος enim paſſus eſt, & *Deus ipſe emit Eccleſiam ſanguine ſuo*: *Act.* 20: 28. Quod ſi ſit, ergo in præfiguratione ejus paſſionis etiam non debet divina natura tanquam plane ſeparata, & aliam plane perſonam repræſentans, proponi. Et inſuper non videtur Filius Dei, præ primis ubi ut *Vir*, vel *Angelus* JEHOVÆ jam conſideratur, poſſe eſſe typus Dei Patris ſatisfactionem a peccatore, vel

vel Mediatore ejus, per Jacobum hic repræſentato exigentis. Ita in eadem hac typica lucta Angelus fœderis & exigeret ſatisfactionem, tanquam repræſentans Deum Patrem; & daret ſatisfactionem, tanquam repræſentatus à Jacobo. Quocirca ea illuſtratione ero contentus, ſi eorum reſpectu, quæ hac in lucta contigêre, analogice comprobatum dederim, multam fuiſſe Jacobum inter ac Chriſtum convenientiam, quæ tamen convenientia non ſtatim typum conficiat, ſi nullibi iſtum præterea adſtruat Pagina Sacra.

XLIX. Ad rem ergo ipſam ut accedamus: ſi ulla ſanè unquam nox dura exſtiterit & atra ſimul Jacobo, profectò hæc illa fuit, quâ poſtquam undecim filiorum ſuorum tranſitum curaſſet ad alteram torrentis Jaboci partem, ille Deum precandi ergo ſolus remanſerit, ubi neceſſe habuerit cum Angelo luctari; ita ut læſum fuerit femoris acetabulum. Verùm ſi ulla quoque nox exſtiterit, quâ maximam idem ille retulerit conſolationem ac robur ingens, hæc illa eadem denuo fuit nox, quando ad pugnæ exitum victor, & *amplius quàm victor* exſtitit, proinde hoc nomine reportavit *benedictionem*, nec non *nominis ſui mutationem*; *videns* tandem *Deum de facie ad faciem*, ac exultans. Atque hæc omnia noſtro Patriarchæ obtigerunt, poſtquam ſuæ in domo Labanis ſervituti finem impoſuiſſet, & nunc in eo eſſet ut tenderet ad fruitionem libertatis avitæ in Canaäne, Patris ſui domo, terraque promiſſionis? Quæ omnia & ſingula egregiam habent convenientiam cum ea luctatione, quæ Chriſto, ceu Mediatori, cum Deo interceſſit propter peccatum, & in qua tandem & ille prævaluit triumphavitque. Quam quidem convenientiam nunc quæremus in ſolis illis, quæ obvenêre Chriſto ultimis vitæ ſuæ diebus.

Convenientia inter hanc luctam nocturnam Jacobi, & r. luctam Chriſti.

L. 1. Jacobus modò egreſſus è domo Labanis & ſervitute dura, ſuæ tandem miſeriæ ultimum gradum nunc aditurus, perincidit in noctem hanc laborioſam & anxiam, ex qua tamen incolumis evadens ultimam ſervituti ſuæ manum addit: ita Chriſtus, poſt impoſitum quoque ſervituti onus in domo Judæorum, ſive ut ipſe ait *Zach.* 13: 6. *in domo amatorum*

Quæ oſtenditur.

torum ſuorum, id eſt, Templo, ubi durè etiam habitus fuit, maximas tamen paſſiones ſuas nunc confecturus, egreſſus jam ante biduum è Templo, & ultima illa nocte egrediens ex Hieroſolymis tendit verſus Oliveti montem, ut noctem etiam duriſſimam adhuc pervadat, priuſquam propediem in domum Patris ſui cœleſtis cum gloria tranſferatur: *Matth.* 26: 30. II. Comites Jacobo iſthac nocte erant undecim ejus Filii, Jaboci torrentem transgreſſi; ſimili modo & undecim ſuos Apoſtolos, velut ſpirituales ſuos Filios, quos ſemine Euangelii genuerat, comites habebat Chriſtus, cum ipſo torrentem quoque Cedron ſuperatos: *Joan.* 18: 1. III. Solus ſecedebat Jacobus Deum precandi cauſa, ſemotis a ſe Filiis, quum hæc ei non expectanti ullam difficultatem, antequam Eſavus adveniſſet, tam ſubito obveniret luctatio; ita quoque Patrem cœleſtem orandi ergo è diſcipulorum ſe conſortio ſubduxit Chriſtus, ad jactum quaſi lapidis, ut ſolus eſſet, & ecce ingens ei quoque luctatio derepente, & nil minus cogitanti quàm ſibi jam tunc ibi, antequam in manus hoſtium veniret, patiendum eſſe, ſupervenit: *Matth.* 26: 36. ſeqq. *Luc.* 12: 39–44. IV. Luctabatur Jacobus iſthac nocte cum Deo in ſe irruente; ita Chriſtus cum Dei ira contra peccatum accenſa, illa quidem nocte paſſionum, & poteſtate horâque tenebrarum, conf. *Pſalm.* 16: 7. & *Luc.* 22: 53. V. Ut verò Jacobus magnam in illa luctatione antagoniſtæ ſui vim experiebatur, cum multis animi anxietatibus; eò tamen ardentius reſiſtens & orans atque gemens, ſicque vires ad reſiſtendum acquirens: eodem modo Chriſtus. Quot non & ille iſthac in ἀγωνίᾳ ſubiit anxietates? Quot in anima dolores? Quot non lachrymas fudit in Gethſemane? ita ut neceſſe haberet in hæc verba erumpere: *Anima mea* περίλυπος, *undequaque*, *ab omni parte*, *triſtis eſt uſque ad mortem.* Quod ipſa re quoque conprobatum eſt, ſudore ejus exiſtente inſtar guttarum ſanguinis deſcendentium in terram: ita tamen ut eo ipſo ἐκτενέστερον orans unà experiretur Dei auxilium, mittentis utpote Angelum ipſum confortantem. *Luc.* 22: 43, 44. VI. Acetabulum femoris Jacobæi lædebatur, luxabatur, iſtudque

que validum cæteroquin vinculum diſrumpebatur, aut ſaltem extendebatur: ita, quod haud inconcinnum forſan nonnullis emblema videtur, iſtud vinculum corpus inter ac animam, quod in Chriſto Domino gloriæ, cæteroquin erat validiſſimum, tunc diſruptum eſt, adeo ut claudicaret ejus humanitas, & in ſepulchrum caderet. *Luc.* 23: 46. VII. Prævaluit tandem flendo ac orando Jacobus, glorioſè victor factus: ita quoque *Chriſtus in diebus carnis ſuæ, deprecationibus & ſupplicationibus oblatis cum clamore valido & lachrymis, apud eum qui poterat eum ſervare a morte, & exauditus precibus liberatus eſt ex metu Hebr.* 5: 7. VIII. Jacobus novum tunc recipit nomen: ſic & Chriſtus, poſtquam ceu *principem ſe geſſiſſet cum Deo & hominibus, & potentia valuiſſet*, κατ' ἐξοχὴν nuncupatus fuit *Iſraël*; conf. loc. cit. *Jeſai.* 49: 3. & *in ſummam ea propter Deus eum extulit ſublimitatem, ac donavit ei nomen, quod eſt ſupra omne nomen in cœlo ac in terra, Phil.* 2: 9. Nomen *Regis Regum, & Domini Dominorum*, 1. *Tim.* 6: 15. quod & Chriſti *inſcriptum femori Apoc.* 19: 16. IX. Jacobus poſt hanc luctationem erat claudicans, in ſignum tamen reportatæ victoriæ, & non in dedecus: ita quoque Chriſtus, poſt ſuam ex morte reſurrectionem ac triumphum, ſuorum adhuc ſervavit vulnerum veſtigia ac ſtigmata Thomæ oſtenſa, ut ſic pateret mortuum ſe quidem fuiſſe, ſed in morte ipſam ſe mortem ſuperaſſe: *Actor.* 2: 24. coll. *Pſalm.* 16: 9–11. X. Jacobus poſt victoriam acceptamque benedictionem exultavit ac laudavit Deum, locique illius nomen vocavit *Penuël*, eò quod vivus tamen & incolumis *vidiſſet Deum de facie ad faciem*; ita quoque exultavit Chriſtus ob victoriam vitamque à Deo ſibi collatam, conf. *Pſalm.* 40: 2–4. ac ſua in adſcenſione tranſlatus fuit in verum *Penuël* κατ' ἐξοχὴν ſic dicendam, ubi modo perfectiori, quàm quiſquam alius; quin immo, quàm vel ipſe hic Jacobus noſter Patriarcha, intuetur coram *de facie ad faciem* Patrem ſuum cœleſtem, ejuſque ſaturatur imagine pleniſſima, poniturque fons ac cauſa omnium benedictionum, *Epheſ.* 1: 3.

LI. Et hæ quidem piæ ſunt cogitationes, quas anima fi- *Cautela quædam.*
delis

delis iis, quæ in Chriſto ſunt, & ſe conſolari ſatagens, fovere, & ſecum volvere ſeria meditatione poteſt, in ſpirituale ſuum alimentum, & quarum plures afferre in promtu eſt, ſi id nunc à nobis exigeretur. *Cogitationes pias* dico, in aliquali conſtantes analogia, non in certa demonſtratione. Id quod rurſus hic moneo, ne quis exiſtimet me illa omnia, quæ Jacobo hic obtigerunt, ad rationem Typi ſtatim redigere velle, licet ea per modum applicationis, ratione alicujus convenientiæ libenter ad Chriſtum, ad quem etiam piè referri ſic poſſunt, utpote in quo illa omnia revera, quæ notavimus locum habent, obtineant. Non tamen inficias iverim, multas itidem hic eſſe diſconvenientias, ut in ejuſmodi rebus vulgò eæ locum habent: quocirca nec mihi, nec ulli perſuadere velim, criticum ea ferre examen poſſe, quæ pia meditamenta animæ, libenter Chriſtum quaſi in omni imagine cernenti, propoſuimus; tantum abeſt, ut pro certis ea demonſtrationibus venditemus.

2. *Luctam Eccleſiæ.*

LII. Cùm verò tanta ſit Chriſtum inter ac Eccleſiam ejus analogia ac unio, quanta inter caput & reliqua ejus membra totum corpus conſtituentia, (ſub quo emblemate Chriſtus, ac in eum credentes non inconcinne nobis in Sacris occurrunt *Epheſ.* 1: 22, 23. 1 *Cor.* 6: 15. & 12: 13, 14.) idcirco hoc in Jacobi caſu non obſcurè, tanquam in tabella, depicta etiam ſtatui poteſt varia illa pugna, quæ verè Sanctis evenit his in terris (conf. *Job* 7: 1. & 14: 14.) cum mundo ac carne, cum Diabolo, immo ipſo quoque nonnunquam Deo: in qua tamen conſtanter perſtantes exeunt victores per Chriſtum, ipſos diligentem, ac potentiâ donantem, nec non omnibus benedictionibus, quas ab eo orant, proſequentem. Qua in cauſa copiosè nobis facem præfert magnus noſter Calvinus in *Commentar.* in *h. l. Quanquam*, ait, *hæc viſio privatim ipſi Jacob apprime utilis fuit, ut præſciret multa ſibi adhuc reſtare certamina, & ſe omnium fore victorem certò ſtatueret: minime tamen dubium eſt, quin Dominus in ejus perſona commune ſuis omnibus tentationum, quæ ipſos manent, & aſſidue in hac caduca vita ſubeunda ſunt, ſpecimen exhibuerit. Quare hunc viſionis finem tene-*

tenere convenit, omnes Dei ſervos in hoc mundo eſſe velut athletas: quia Dominus eos variis luctarum generibus exercet. Porro, non dicitur vel Satan, vel mortalis quiſpiam homo cum Jacob luctatus eſſe, ſed ipſe Deus: ut ſciamus ab ipſo probari fidem noſtram: & quoties tentamur, vere nobis eſſe cum eo negotium: non tantum quia militamus ſub ejus auſpiciis; ſed tanquam antagoniſta nobiſcum in arenam deſcendit ut vires noſtras exploret, &c. Cui addiderim Andr. Rivetum *in Comment. ad Hoſ.* 12: 4 & 5. & Franc. Burmannum *in Geneſ.* 32. Lubet nobis analogiam denuo paucis tradere, & præcipua quæque ad nonnulla capita ordine ac diſtinctè reducere.

LIII. A. Subit luctationem hic Jacobus ingentem; at quas luctationes etiam non ſubit generatim Eccleſia, ac in ſpecie credentes eam conſtituentes, cum ſuis non modò hoſtibus ſpiritualibus, qui ipſis ſunt *oblucſtantis Eſavi* inſtar; verùm & cum ipſo Deo, ſæpenumero ſe *luctatoris* inſtar ac *viri adverſarii* gerente. Ita quippe *luctationum Divinarum* injicitur mentio *Geneſ.* 30: 8. Et ipſe Deus αὐτολέξει *luctator* audit *Pſalm.* 18: 27. B. Angelus luctans cum Jacobo ad ejus ſe compoſuit infirmitates, non faciens omne quod poſſet: ita Eccleſiam ac Sanctos *nulla quoque tentatio cepit quam humana: fidelis autem Deus eſt, non ſinens eos tentari ſupra id quod poſſunt, ſed unà cum tentatione etiam exitum præſtans, ut ferre eam poſſint:* 1 *Cor.* 10: 13. C. Noctu hæc Jacobo obtigit lucta, & ſoli quidem, non diutius tamen quàm uſque dum illuceſceret aurora. Et hæc quoque luctatio Eccleſiæ ſæpius obvenit in ſolitudine degenti, nocte quidem perſecutionum, nec non temporalium ac ſpiritualium tenebrarum; ita tamen, ut pugnæ iſtud tempus etiam limitetur, atque ex nocte afflictionum, non minus ac hic apud Jacobum, amœna tandem exoriatur aurora refocillationis, lætitiæ, ac liberationis conſummatæ; conf. *Pſalm* 97: 11. *Mich.* 7: 8. *Zach.* 14: 6, 7. D. Luctatorem detinuit Jacobus, ac potentiâ prævaluit, *dum* ſcilicet ille a minori ſe vinci paſſus fuit, vires quoque ad reſiſtendum ipſi tribuens. Ita & à ſuis nonnunquam *apprehendi*, conf. *Eſai.* 64: 7. ac *detineri* vult Deus potentiſ-

Quæ etiam convenientia traditur.

ſimus *Exod.* 32: 10. nec non Chriſtus *Cant.* 3: 4. neque talis ei diſplicet detentio, ſed pergrata potius exiſtit, *Luc.* 18: 1, 7, 8. dum interim ſuos etiam triumphare facit in Chriſto *Rom.* 8: 37. robur illis addendo, *ſuamque in ipſorum infirmitate potentiam perficiendo* 2 *Cor.* 12: 9. *& ſeqq.* ita ut *vires renovent Eſai.* 40: 29–31. coll. *Pſalm.* 31: 25. *Hebr.* 11: 34. E. Ne interim hac potitus victoria ſe efferret Jacobi animus, ecce luxabatur acetabulum femoris ejus, & claudicabat. Id & Eccleſiæ accidit, quæ vincat licet, in multis tamen *claudicat*, retinens ex afflictione non nihil defectus reſpectu ſuæ confidentiæ, zeli, lætitiæ, & ſimilium virtutum, oppreſſa quodammodo, & ad deſperationem, aut metum ſaltem adacta. Sed & alio etiam reſpectu nonnunquam *claudicare* conſpiciuntur Sancti, ut ut ſua etiam *fide mundum vincentes*, 1 *Joan.* 5: 4. in quantum per totam vitam in multis impingunt ratione ſtatus ſpiritualis; adeo ut imperfecti ſemper, quod ad humiliandos eos pertinet, perſiſtant: 1 *Cor.* 13: 9. 10. *Phil.* 3: 12. *Jac.* 3: 2. F. Jacobus tamen non claudicat niſi poſtquam victor Dei eſſet. Ita hujuſmodi claudicationem qui paſſus eſt, utique & ille victor Dei eſt. Nam, uti nonnemo obſervat, non claudicabat Jacobus antequam Deus tetigerat femur ejus: ſic Deus veterem regenerati hominem, corruptionemque debilitat & luxat, antequam homo claudicare poſſit. Antea enim in peccatis planè mortuus nihil agere poterat, & ne pedem quidem movere; jam verò tantùm claudicat. At verò fateor hanc analogiam quodammodo contortam ac violentam eſſe. Jacobus enim non e ſtatu mortis ad claudicationem redigebatur, ſed e ſtatu ſanitatis, vimque infert. G. Conſtans tamen Jacobus permanet in lucta, inque precibus perſiſtit, ſicque victoriâ tandem coronatur. Id quod egregiè adumbrare poteſt, quì Eccleſia Deo precibus vacans, ac ſuis in certaminibus conſtanter perſeverans, fide tandem Deum, mundum, ac omnia vincat, & ab ipſo Deo, vinci ſe ab ea patiente, exaudiatur, ut ei largiatur omne id, quod facere poteſt ad impletionem deſideriorum ſuorum. Hæc pluribus deducunt

Conr.

Corn. Pellicanus, Petrus Martyr, Wolfg. Muſculus in *h. l.* Conferantur loca *Luc.* 22: 31. 1 *Joan.* 5: 4. 5. Exempla talia per fidem victoriæ multa recitantur *Hebr.* 11. H. Mutatum fuit nomen Jacobi poſt victoriam, idem verò obvenit fidelibus, qui *recipiunt novum nomen, quod ipſum os Domini enuntiavit, Eſai.* 62: 2. nec non *Cap.* 56: 5. *coll. Apoc.* 2: 17. Qui antea *peregrini ac inquilini*, nunc appellantur *concives ſanctorum & domeſtici Dei, Epheſ.* 2: 19. Immo verò *Chriſtiani, unctionis Chriſti participes, Actor.* 11: 26. 1 *Joan.* 2: 27. Quid? ἀντολέξει *Iſraël Dei, Gal.* 6: 16. qui *principes ſe gererent cum Deo, ac prævalerent.* Et obſervatur à nonnullis Eccleſiam, ubi ſermo fit de ejus infirmitate, vocari nomine *Jacobi*; ſin autem de ejus fortitudine ac victoria, tum illo *Iſraëlis* plerumque inſigniri. Conferri poſſunt *Eſai.* 41: 14. & *Amos.* 7: 2, 5, 8. Addiderim & per hoc nomen *Iſraëlis* ſub Novo Teſt. credentes nonnunquam diſtingui ab illo *Jacobi*, conf. *Nah.* 2: 3. ceu excellentius longè, tanquam *filios promiſſionis*, Chriſtoque in peculium datos, ſicque κατ' ἐξοχὴν *filios Iſraëlis*, ſive imitatores fidei pariter ac fortitudinis Jacobi, qui ex ſimili tentatione ac victoria *Iſraël* nuncupatus fuerit: conf. *Rom.* 9: 6. Quocirca quiſque, qui ad Patriarchæ Jacobi exemplum magna fiducia animatus omnia tolerat ſuperatque, & per Spiritum S. fide roboratus plus quàm victor exiſtit per Chriſtum, qui eum dilexit, ille ſanè non adeo *Iſraëlita* eſt, ab Iſraële ortus, quàm quidem ipſe *Iſraël*, ſive Jacobus ipſe redivivus. I. Benedicitur Jacobus; ſed & Eccleſia accumulatur omnis generis *benedictionibus in ſupercœleſtibus in Chriſto Epheſ.* 1: 3. K. Exultat poſt benedictionem acceptam Patriarcha noſter: verùm ſæpius exultans etiam inducitur Eccleſia, conf. *Eſ.* 61: 10. *Pſ.* 40: 4. L. Viderat Jacobus Deum de facie ad faciem: at & id Eccleſiæ datur *retecta facie gloriam Dei tanquam in ſpeculo intueri* &c. 2 *Cor.* 3: 18. Quod quotidie quidem facit tanquam in ſpirituali *Penuële*, in cœtu Sanctorum, ubi Deum adſpicere licet in prædicatione Verbi, ac Sacramentorum adminiſtratione; donec dabitur perfectè & plenariò *videre ejus faciem in juſtitia, ejuſque ſatiari imagine,*

quum expergiſcemur Pſalm. 17: 15. quando ἰσάγγελοι futuri. *Deum viſuri ſumus de facie ad faciem, & ſicuti eſt Matth.* 18: 10. 1 *Cor.* 13: 12. 1 *Joan.* 3: 2.

Concluſio. LIV. Atque illa quidem ſcripſeram A°. 1710. niſi quod ſecundis his curis meo more nonnulla ſint immutata. Cæterum A°. 1713. inter Diſſertationes Henr. Hulſii, celebris Theologi Duisburgenſis, in lucem prodiit Diſſertatio IX. quæ agit de *femore Jacobi percuſſo*. Ubi vir ille doctiſſimus p. 678. alia in hanc rem produxit. Quemadmodum & deinceps Clar. Camp. Vitringa Fil. Theologus Franequeranus, in ſua Diſſertatione de *Luctâ Jacobi cum Angelo*, edita A°. 1718. Quorum Virorum meditationes (quo modo & ipſe ſupra §. XIX. poſterioris confirmatione fui uſus) ut cum meo hoc tentamine conferre velint atque jungere, Lectores etiam atque etiam rogo. Atque hæc ſpeciminis loco ſufficiant; quæ omnia rurſus eò tendunt, ut ex illis probetur CHRISTUS ECCLESIAE ESSE FUNDAMENTUM, quo ſolo proinde innitatur omnis PATRIARCHARUM FIDES, prout jam inde ab Adamo, uſque ad Jacobum noſtrum probatum dedimus, cum quibus ita ſeſe geſſit, ſeque in ſpecie adhuc Jacobo admirandum adeo in modum manifeſtavit in ipſius ſolatium ingens, cum tanto mutationis nominis honore, ut hæc veritas liquido ſatis demonſtratum ſit in prioribus; & quam ille prærogativam ſuis reliquit poſteris, ac ſingularem in modum in ſuo ipſe teſtamento, jam jam morti proximus, & Spiritu Dei prophetico actus, legavit duodecim ſuis filiis, *Gen.* 49: 1—28.

DIS-

DISSERTATIO IV.

AD DEUT. XVIII: VERS. 15.

Qua agitur

DE

PROPHETA SICUT MOSE.

BREVIARIUM.

I.  *copus Diſſertationis.* II. *Verba oraculi in connexione cum præcedentibus.* III. *Methodus pertractationis deliberativa tripartita.* IV. *A. Generalis verborum explicatio. In ea* א. *Innominatus aliquis, at illuſtris vir deſcribitur per hæc ſeptem prædicata; quid ſcilicet futurus ſit ratione* 1. *Muneris, ut* Propheta: *ubi de emphaſi vocis* נביא / V. 2. *Originis, ut* ſuſcitandus; *ubi de* יקים / ſuſcitabit: *relative & ad* nativitatem *ejus* miraculoſam, *& ad* ſuſceptionem muneris *prophetici.* VI. 3. *Auctoris, ut* ſuſcitandus ab ipſo Deo; *cùm Moſes potius ſuſcitatus* ab Iſraëlitis, *a Deo verò* acceptatus *quodammodo dici poſſit.* VII. 4. *Generis, ut* è fratribus Iſraëlis: *id eſt, ex Abrahamo quidem, at per ſolum Jacobum: non tamen ex hujus filio Levi, ſed alio quocunque filiorum.* VIII. 5. *Loci, ut* è fratrum illorum medio: *id eſt, terrâ quidem Canaanis, at loco non illuſtri.* IX. 6. *Scopi, ut ſuſcitandus* tibi; *id eſt, in Iſraëlis præcipuè utilitatem.* X. 7. *Similitudinis, ut futurus* ſicut Moſes: *ita enim vertendum eſſe* כמוני / XI. *Similitudo ea a variis variè aſſignatur. Duo Auctoris præmonita, ſive canones.* XII. *Moſis excellentia ex S. Scriptura, reſpectu* I. Prophetiæ: *in hujuſce A. Materia. B. Fonte. C. Abundantia. D. communicabilitate.* XIII. *Quibus & alia adduntur Moſis encomia, & in ſpecie quinque excel-*

lentiæ propheticæ ex Judæis, Philone, Joſepho, Maimonide: at juxta doctiſſimorum Chriſtianorum de his judicia non omnia æque vera. XIV. 11. *Reſpectu* Miraculorum. *Et quidem* XV. *Ratione* 1. Magnitudinis. *Ubi objectioni de Joſua & Eliſa reſpondetur a. Moſen, etſi miraculis minor fuiſſet; gradu tamen prophetiæ omnibus aliis majorem eſſe potuiſſe, ex Abarbanele & Maimonide.* XVI. *b. Neque tamen Joſuæ aut Eliſæ miracula Moſis miraculis majora fuiſſe.* XVII. *Et inſuper in ſingulari quadam circumſtantia Moſis miracula reliquis omnibus præſtantiora fuiſſe, quod Moſes ſua fecerit non prævиis ſemper precibus, uti reliqui.* XVIII. 11. Numeri. *Ille major fuit penes ſolum Moſen, quam penes reliquos Prophetas omnes ſimul ſumtos ſpatio annorum* 3358. *ex Menaſſe & Abarbanele.* XIX. 111. Dignitatis muneris: *quod ſcilicet Dei ad populum Iſraëliticum fuerit* internuntius, *uti ex Sacris oſtenditur.* XX. *Qualis ergo etiam foret Propheta ille Moſi par futurus; non tamen eorundem verborum: uti rationibus oſtenditur variis ex Altingio.* XXI. *Etiam ex Coccejo.* XXII. ב. *Iſraëlis erga illum illuſtrem Virum officium exigitur, quod* audiendus *foret, non minus quàm Moſes auditus fuit.* XXIII. *Quin potius magis, quod* Deus ſua verba ejus ori inderet. XXIV. *Quod per notabilia dicta Judæorum confirmatur ex Maſſecheth, Jarcho, Seldeno, Vorſtio.* XXV. *B. Speciatior* Subjecti *inquiſitio ex Prædicatis: ubi ex variantibus opinionibus quæritur de* Propheta illo Moſi pari. XXVI. א. *An per eum deſignetur totus Prophetarum chorus poſt Moſem, ut Judæi multi & Chriſtiani, non Pontificii tantùm, ſed & cum Calvino multi Reformati.* XXVII. *Quorum argumenta recenſentur.* XXVII. *Oſtenditur verò non poſſe Deut.* 18. *totum Prophetarum chorum deſignari: quia α. in Singulari promittitur Propheta.* XXIX. β. *Quia addita prædicata partim fruſtranea forent, partim falſa.* XXX. γ. *Quia non interruptum fuiſſe talem chorum Prophetarum falſò etiam ſupponitur.* XXXI. δ. *Quia etiam interpretationi Petri & Pauli, ab ipſis Judæis etiam agnitæ, palam contradicitur.* XXXII. ב. *An per illum* Prophetam *deſignetur una quæpiam perſona, & quidem A.* Joſua, *ut Judæorum plures, & Pontificiorum nonnulli.*

XXXIII.

XXXIII. *Quorum opinio & argumenta refutantur.* XXXIV. *B. An* Jeremia? *ut Abarbanel & Baal Hatturim.* XXXV. *Quorum argumentatio etiam refutatur.* XXXVI. *C. An ullus ex Prophetis Vet. Teſtamenti? ſed negatur omnibus iſtis tantus honos.* XXXVII. *An ergo tandem per illum* Prophetam *deſignetur ipſe Meſſias? uti plurimi omnis ævi, & gentis, & ſectæ Chriſtiani.* XXXVIII. *Immo verò Meſſias hic deſignatur, & ſolus: uti oſtenditur per rationes conſcientiæ Chriſtianæ ſatisfacientes, uti ſunt A. Petri & Stephani auctoritas conſenſum Judaicæ Eccleſiæ palam ſupponens.* XXXIX. *B. Alia etiam per Euangelium ſparſa loca eundem ſupponentes conſenſum.* XL. *C. Ipſius Moſis ſcopus & argumentatio* Deut. 18. XLI. *D. Ipſa Prædicata* Prophetæ *illi hic tributa omnia Meſſiæ competunt uti* א. *Septem illa.* (1) נביא / Propheta. *Atqui Meſſiæ is titulus in omni emphaſi competit.* XLII. *Uti & res ipſa titulo eo ſignificata. Nam prædicit illi nomine Dei* præterita *non tantùm &* præſentia; XLIII. *Sed vel maximè* futura: *unde & varii ipſius tituli.* XLIV. *Ab ipſis etiam Judæis agniti.* XLV. (2) *Quod* ſuſcitandus *foret, & per miraculoſam nativitatem, & per expreſſam ordinationem ad munus propheticum.* XLVI. (3) *Et quidem* ab ipſo Deo *Patre immediatè.* XLVII. (4) *Nec ex alienigenis, ſed ex* fratribus *Iſraëlitis.* XLVIII. (5) *Et horum quidem* ex medio, *loco tamen non illuſtri.* XLIX. (6) Iſraëlitis *verò præ primis ſuſcitandus.* L. (7) Moſi *etiam* par *futurus; immo & ſuperior. Quod oſtenditur A. In genere, ex præclaris Judæorum teſtimoniis, ut Maimonidis & Joſephi Albo.* LI. *Et Abarbanelis.* LII. *Et antiquiſſimorum Judæorum, uti oſtenditur ex Midraſch Tanchuma traditione notabili.* LIII. *Quam ceu Chriſtianis nimis faventem enervare conantur Judæi recentiores.* LIV. *Contra unanimem veterum Hebræorum conſenſum, qui ex* Jalkuth *Simeonis demonſtratur.* LV. *Nec non ex locis aliis ex Kabbala petitis.* LVI. *B. In ſpecie oſtenditur idem per ipſa documenta in tribus Propheticis excellentiis I. Ratione* Prophetiæ *ipſius in his quatuor: a. in* Materia *prophetiæ, quæ eſſent* viæ Dei, & nomen *ejuſdem, quæ utraque forent in Meſſia; etiam ex Exod.* 23: 20, 21. LVII. *Quem locum &*

ipſe

ipſe Maimonides cum Deut. 18: 18. *comparat æque ac nos; ſed longè alia, id eſt, jejuna ratione.* LVIII. *Quo ſenſu* Nomen Dei *fuerit in Angelo faciei, ſive Meſſia.* LIX. *b. In* fonte *prophetiæ, qui erat ut Moſi, ſic Meſſiæ immediatum & familiariſſimum cum Deo colloquium foret: unde* Angelus faciei *vocatur.* LX. *Immo & ipſa* Facies Dei *juxta ipſorum Judæorum opinionem, quæ firmatur ex locis S. Scripturæ: etiam ex Exod.* 20: 3. & *Deut.* 4: 37. & *Exod.* 33: 25. LXI. *C. In* abundantia *Spiritus Prophetici maxima; nam uti largus ſuper Moſe Spiritus, ita & ſuper Meſſia, etiam uſque ad* odoratum timoris Domini. LXII. *Quem ipſi Judæi characterem Meſſiæ ſtatuunt; uti probatur ex locis* Luc. 7: 38. Joan. 1: 50. 4: 29. *item ex Maimonide.* LXIII. *d. In* communicabilitate *ſpiritus prophetici, quem æque ac Moſes aliis largiri poſſet.* LXIV. 11. *In* miraculorum *etiam plurimorum & maximorum præſtantia, quæ à Meſſia exſpectabant Judæi recentiores, & antiquiores, non tantùm ingenere;* LXV. *Sed & in ſpecie magis.* LXVI. *Quæ exſpectatio Judæorum patet ex ipſo Euangelio.* LXVII. *Idque juxta oracula Eſaiæ, Joëlis, Michæ.* LXVIII. *Quibus omnibus Maimonides malignè ſe opponit, negans miraculis confirmandam fuiſſe prophetiam Meſſiæ: uti & eum ſecuti Rabbini alii.* LXIX. *Quemadmodum Maimonides idem negaverat de Moſis miraculis, quod de omnibus etiam Prophetis alii Judæi dicunt.* LXX. *Maimonides refutatus a Vorſtio & Leideckero: item ab Auctore, oſtendente eum S. Scripturæ adverſari, in vocibus ludere, & Sapientum ſuorum exemplo abuti:* LXXI. *Qui nequaquam dubitaverunt de neceſſitate confirmandi Meſſiatum per miracula. Uti probatur* 1. *Ex pronitate eorum ad petenda miracula in cauſa Meſſiæ.* 2. *Ex conatu refutandi Jeſu miracula per duo figmenta.* LXXII. 3. *Et per tertium, de miraculis per Rabbinos editis, ex Coccejo.* LXXIII. 111. *In muneris etiam* dignitate, *ceu* internuncii Dei *ad populum, & quidem* immediati. LXXIV. *Et prolaturi* novam doctrinam *juxta ſpem Judæorum antiquorum ex Jeremia & Malachia, Eſaia* &c. *conſentientibus Magiſtris in Midraſch* Schir Haſchirim. LXXV. *Qua de rê eleganter loquuntur Pellicanus, Fagius, Tertullianus.* LXXVI. *Et conſentiunt palam veteres*

Ju-

Judæi in Jalkuth, & in ipſo Euangelio: ut & Abarbanel, Jonathan, Kimchius, Talmud. LXXVII. *Malignam verò exceptionem hic iterum quærunt recentiores Maimonides & Abarbanel.* LXXVIII. ב. *Competit etiam Meſſiæ Iſraëlis officium* audiendi *ipſum, ex Prophetis; etiam reſpectu Ethnicorum.* LXXIX. *C. Implementum totius oraculi hactenus de Meſſia explicati in Jeſu Nazareno oſtenſum.* 1. *In genere ex teſtimonio Nathanaëlis, Jeſu, totius Judæorum turbæ, Petri item ac Stephani.* LXXX. 2. *In ſpecie, per partes ſingulas. Jeſu enim competunt* א. *Omnia ſeptem ea prædicata. Nam fuit* 1. נביא/ Propheta, *fatentibus Muhammedanis, & inter Ethnicos Phlegone Tralliano.* LXXXI. *Malè verò negante Alphonſo Toſtato, Epiſcopo Abulenſi, quem bene refutavit Suareſius.* LXXXII. 2. Suſcitatus *reſpectu nativitatis, & muneris prophetici.* LXXXIII. 3. Ab ipſo Deo ἀμέσως. LXXXIV. 4. *Et quidem* ex fratribus ſuis *Iſraëlitis.* LXXXV. 5. *Et* ex horum medio, *id eſt, loco humili, attamen in media Canaäne.* LXXXVI. 6. *In* Iſraëlitarum *verò præcipuè* bonum, *teſtibus Angelis, ipſo Jeſu, Apoſtolis.* LXXXVII. 7. Moſi *denique* par *in omnibus prærogativis ſuis & excellentiis, reſpectu* I. Prophetiæ, *id eſt, a. In* materia prophetiæ, nomine *ſcil.* Dei. LXXXVIII. *b. In* fonte *prophetiæ, id eſt, familiari cum Deo commercio.* LXXXIX. *c. In* communicabilitate *ejus* abundanti. XC. II. *Reſpectu* Miraculorum, *in magnitudine eorum & numero.* XCI. III. *Reſpectu* Muneris, *dum fuit immediatus Dei ad Judæos internuntius.* XCII. *Proferens etiam* novam doctrinam, *ut ſupra* §. LXXIV. *de Meſſia prædictum, quod ex* Joan. 1: 16. 18. *latius exponitur.* XCIII. *Immo verò Jeſus non* par *tantùm Moſi, ſed & eô longè excellentior fuit in omnibus hiſce prærogativis, uti* I. *reſpectu* Prophetiæ. *a.* In materia *ejuſdem duplici ratione: id eſt* 1. *Euangelio, non Lege.* 11. *Verbis Dei in omni emphaſi.* XCIV. *b. In* fonte *prophetiæ quintuplici ratione, dum eam habet* 1. *Per* Viſionem. 11. Supernè *veniens.* 111. *Et ipſe* ἀπαύγασμα *gloriæ Dei.* IV. *Qui* in ſinu Patris. v. Arcana *palam* loquens. XCV. *c. In* communicabilitate *ejuſdem, dum Jeſus largiter dat Spiritum.* XCVI.

II. *Reſpectu* Miraculorum. XCVII. III. *Reſpectu* totius muneris, *ubi Jeſus loquebatur* 1. *Ut poteſtatem habens.* II. *Cum Spiritu S.* XCVIII. III. *Ut filius domus, ex* Hebr. 3: 3–6. XCIX. *Qui inſignis locus diligentius illuſtratur ex Cl. Vitringa, Lud. de Dieu, & Lud. Cappello.* C. *Ubi errant Grotius & Jac. Cappellus; non ſic Coccejus.* CI. *Concluditur excellentia Jeſu præ Moſe.* CII. ב. *Competit etiam Jeſu Iſraëlis officium* audiendi *ipſum, a Deo Patre bis publicè poſtulatum, uti & Moſes bis Iſraëli olim commendatus fuerat.* CIII. *Quod & præſtitum fuit a nonnullis; a vulgo autem Judæorum neglectum, ideo graviter punitorum.* CIV. *Oraculi ad Jeſum applicatio defenditur denique contra Judæorum objectiones.* CV. *a.* Generalem, *petitam a ſolemnitate Legislationis Moſaicæ repetenda in ejuſdem abrogatione.* CVI. *Quod poſtulatum* 1. *Importunum eſt, & contra patrum ipſorum deprecationem.* CVII. 2. *Abundè tamen & melius impletum per Legiſlationem in Sione.* CVIII. *Quæ gloriam Legislationis Sinaiticæ ad minimas uſque circumſtantias non æquavit tantùm, ſed ſuperavit.* CIX. *b.* Speciales: *quales a. Non debuiſſe* Prophetam *hunc aberrare à* doctrina *Moſaica: quod refutatur ex Wagenſeilio & Guſſetio.* CX. *b.* Miracula *Jeſu non valere.* CXI. *c.* Specialiſſimas, *ex ipſo Textu petitas, & in Jeſum non quadrantes circumſtantias, numero decem: uti ex Libro Nizzachon vetere* 1. *Quod in* Propheta *illo ſit locuturus* Deus. 2. *Quod ille* ſimilis *Moſi, i. e. homo ſit futurus.* 3. *Quod ſe ipſum pro* mero *Propheta ſit venditaturus.* CXII. *Harum trium refutatio peculiaris.* CXIII. 4. *Quod ſit naſciturus non ex virgine.* 5. *Quod peccator futurus.* CXIV. 6. *Quod Prophetias ſit editurus.* 7. *Quod ex Deo locuturus.* 8. *Quod verbum legale annunciaturus.* CXV. 9. *Quod populo in ſex myriadibus congregato ſit commendandus.* CXVI. 10. *Quod Moſi nemo fuerit par ex* Deut. 34. CXVII. *Concluſio ad ſcopum.*

I.

Atque ſic quidem hactenus PATRIARCHARUM FIDEM inde ab ADAMO ad JACOBUM multis adſtruximus, indeque evicimus CHRISTUM UNICUM exſtitiſſe ECCLESIÆ PATRIARCHALIS FUNDAMENTUM, ſub totâ PROMISSIONIS œconomia. *Scopus Diſſertationis.* Poſtulat rerum nunc ſeries ut demonſtremus eandem in CHRISTUM FIDEM PROPHETARUM ſub œconomia LEGALI Veteris Teſtamenti in ECCLESIA ISRAELITICA. Cùm verò immenſi foret operis ſingula perſequi, ita procedam, ut hanc in MESSIAM FIDEM evincam jam ſub œconomiæ iſtius initio tempore Moſis, exſtructo jam Tabernaculo. Deinceps ſub ejus medio circiter tempore, ad finem Templi primi ætate Jeremiæ. Tandem, ubi jam Templum ſecundum ædificabatur, florente Zacharia. Ex his PROPHETARUM conſtabit FIDES. In ſummam modò potiſſima contraham. Nimirum exhibuit antehac Exercitatio noſtra in *Prov.* 8: 22, 23. de SUMMA SAPIENTIA GENITA & UNCTA, quæ eſt ordine 11. *Libr.* 1. de CHRISTO FUNDAMENTO ECCLESIÆ, Meſſiam Mediatorem, unctum ad tria munera: quæ nunc porro ordine expendenda venient. *Ordine*, inquam: verùm qui pro varia conſiderandi methodo alius eſſe poteſt atque alius. Si enim in ipſam adſcendas æternitatem, primo tibi loco occurret muneris Meſſiæ REGII conſideratio, quatenus Deus Pater Filio REGNUM ſuper electis aſſignat ſubditis per decretum æternum: ea tamen conditione, ut hos in peculium ſuum aſſereret, animam ſuam ponendo ſatisfactionis pretium. Quæ ergo ipſa SACERDOTII conſideratio erit ſecundo loco. Cumque hi ſic ipſi dati ſanguineque emti ſubditi non prius ad Regem ſuum accedant, quàm verbo ſuo & Spiritu eos officii ſui commonefaciat, moveat, & ad ſe trahat, tertio loco PROPHETICUM ejus conſiderandum munus. Ve-

runtamen lubet nunc nobis ordinem ipſius exſecutionis in tempore ſequi, nec non Prophetarum, qui de his egerunt in volumine libri, quando vaticinati ſunt, ſeriem, atque ſic a munere inchoare PROPHETICO ex Moſe *Deut.* 18: 15. Deinceps pergere ad SACERDOTALE, & REGIUM ex Jeremia, *Cap.* 30: 21. & 23: 5, 6. Tandemque deſinere in REGIO & SACERDOTALI conjuncto ex Zacharia, *Cap.* 6: 12, 13. Iſtâ Jeſus ipſe ſerie in plenitudine temporis demandatis ſibi ante ſecula muneribus functus fuit. Fert itaque animus diligentius inſpicere in locum claſſicum *Deut.* 18: 15. Quo vaticinio, Luthero judice, in toto Pentateucho illuſtrius haud exſtat. Qui locus uti hujus quidem materiæ ſedes eſt ampliſſima, ita & tot Eruditorum Virorum lucubrationibus elaboratiſſimis fuit illuſtratus, quot vix, aut ne vix quidem, in ullum alium locum conſcriptas reperias. Adeo ut nihil ferme notatu ſit dignum, quod non Interpretum hic aut ille jam occupaverit, ſuoque Lectori exhibuerit. Licebit tamen & nobis lampadem noſtram ad eorum faces adjungere, reſque ipſas & methodicè & clariſſime, quantum fieri poteſt, ad evidentem Lectorum noſtrorum captum ob oculos ponere. In quo conatu facilè mihi veniam, ut opinor, ſi hæc forſitan Diſſertatio in majorem molem excreſcat, impetrabit Vaticinii ubertas atque pondus.

Verba eraſuli in connexione cum præcedentibus.

II. Verba verò vaticinii ſic ſe habent: נביא מקרבך מאחיך כמני יקים לך יהוה אלהיך אליו תשמעון / Quæ ita redduntur a Xant. Pagnino & Aria Montano: *Prophetam e medio tui, e fratribus tuis, ſicut ego, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: eum audietis.* Horum verborum nexus cum præcedentibus is eſt. Interdixerat Iſraëlitis Moſes, ſive Deus potius per Moſem, *verſ.* 9. *& ſeqq. Ne ingreſſi in terram, quam illis daturus erat Deus, addiſcant iſtarum gentium abominationes, ne traducant filium ſuum, vel filiam ſuam per ignem; neque quis eſſet utens divinationibus, aut planetarius, aut conjector, aut præſtigiator; vel utens incantatione, aut requirens pythonem; aut ariolus, aut necromantis.* Cujus interdicti ratio redditur du-

duplex; prima *verſ.* 12: 13, 14. quod ob hæc ipſa peccata gentes illæ exterminandæ eſſent. Altera *verſ.* 15. quod Iſraël haud opus haberet illegitimis iſtis & idololatricis, aut Diabolicis conſulendi mediis, cùm Deus ipſe prope populo ſuo adeſſet, cum illo communicans revelationem ſuam in Legis miniſterio, atque per Prophetas, totius conſilii divini interpretes fideliſſimos: & duos in primis tales, nunc Moſen, *ſervum fidelem in tota domo Dei, ad teſtimonium rerum quæ poſtea* tempore etiam Novi Teſt. *dicenda eſſent*; poſthac verò alterum *Moſi ſimilem*, ſive ipſum *Dominum domus*, *Hebr.* 3: 1. *& ſeqq.* qui duo omnia Iſraëli ſcitu, creditu, ac factu neceſſaria abundè docerent, dum ille *Euangelium promiſſionis* nunciat, hic verò *Euangelium impletionis* ipſis tradit. Ideo addit Moſes *verſ.* 15. *Prophetam e medio tui, e fratribus tuis, ſicut ego, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: eum audietis.*

III. In hujus Vaticinii explicatione placebit impræſens methodum inſiſtere ſic dictam *Deliberativam*, quæ *Synthetice* magis procedit quàm *Analytice*, adeoque jubet ſine ulla ſuppoſitione aut præjudicio I. Generalem & Grammaticum verborum ſenſum indagare. II. Deinde circumſpicere Subjectum quoddam, in quod ſenſus ille verborum jam detectus quadret. III. Denique determinare an ſubjectum tale jam exſtiterit, an verò adhuc exſpectandum ſit, ſive an obtinuerit promiſſio hæc implementum ſuum, nec ne. *Methodus pertractationis deliberativa tripartita.*

IV. Subjectum Vaticinii conſtituitur PROPHETA, SUSCITANDUS A DEO E FRATRIBUS &c. Erga quem certum Iſraelitis proponitur officium, utpote CUI AUSCULTARE DEBEANT. Occurrit hic vox Hebraica נביא / plura ſanè & egregia denotans. Primus hoc nomine in Sacris inſignitus legitur Abrahamus Patriarcha, quum de eo Deus teſtatur Abimelecho *Gen.* 20: 7. נביא הוא / *Propheta ille eſt, & orabit pro te.* Quo in loco vox נביא talem deſignat, qui Dei eſt amicus, eique familiaris. Hæc verò amicitia & familiaritas tria comprehendit: a. Familiarem arcanorum Dei patefactionem, Deo ad eum loquente. b. Familiarem itidem cum Deo converſationem, Propheta vice *A. Generalis verborum explicatio. In ea* 1. *Innominatus aliquis, at illuſtris vir deſcribitur per hæc ſeptem prædicata; quid ſcilicet futurus ſit ratione* 1. *Muneris, ut* Propheta: *ubi de*

emphaſi vocis נביא / etiam ſua ad Deum loquente, & in precibus, & gratiarum actionibus. c. Fidelem ſermonem de Deo ad alios, quo ille arcana Divini conſilii aliis enarret, ſive harum rerum ſcientiam ab ipſo Deo habeat ἀμέσως; ſive etiam ab aliis, qui a Deo ἀμέσως inſtructi erant, viris ſanctis. Adeo ut ex nutu proprio nihil pronunciet, verùm quod prius audiverit acceperitque velut Echo jam tum reddat. Ita Aaron erat נביא / *Propheta*, vel *Orator* Moſis *Exod.* 7: 1. Quocirca rectè obſervant nonnulli vocem נביא idem ferme cum illa Θεολόγε denotare. Quæ tamen generalis notio ſtrictius ſæpe capienda eſt, quia ſcilicet ſub Veteri œconomia illi, qui res Divinas populo denuntiabant, ab ipſo plerumque Deo abſque omni humanæ opis interventu erant edocti, atque non tam præterita & præſentia, quam in primis futura Dei nomine populo interpretabantur. Hinc נביא notare cœpit non tam Θεόλογον in genere, quam quidem προφήτην in ſpecie, quemadmodum Judæi vocem נביא hic etiam reddunt. Conferatur Clar. Camp. Vitringa *de Synag. Vet. L.* 1. *Part.* 2. *Cap.* 7. §. 2. *p. m.* 356. nec non Venerandi Herm. Witzii *Miſcell. Tom.* 1. *L.* 1. *C.* 1. qui ea, quæ de hac re dici merentur, nitida manu congeſſit, & contra Rich. Simonii, Bened. Spinoſæ aliorumque aſſerta impia tuitus eſt. Conſulatur itidem Joan. Henr. Heideggerus in *Corp. Theol. Part.* 1. *L.* XII. §. 47 & *ſeqq.* נביא ergo hic memoratus non eſt Orator, vel Actuarius quivis, prout falsò Rich. Simonius aliique affirmant; ſed Dei & Eccleſiæ miniſter, qui Spiritu S. actus Dei nomine hominibus quævis ipſis cognitu neceſſaria, & præcipuè futura annuntiat.

2. *Originis, ut ſuſcitandus; ubi de* קים / *ſuſcitabit: relative & ad nativitatem ejus miraculoſam, & ad ſuſcepti-*

V. Qui verò hic loci *Propheta* promittitur, non eſſet in iſto genere de minimis, ſed illuſtris plane, & præ aliis excellens. Quod ipſum ex prædicatis jam jam expendendis colligere in promtu eſt. Etenim & *Origo divina* hujus Prophetæ, & *Æqualitas* cum Moſe, & *Reverentia* ſumma ipſi debita, & quæ plura ſequuntur prædicata, nihil hic vulgare indicant, ſed eximia omnia. Hic quippe Propheta promittitur I. *Suſcitandus*, & quidem ab ipſo Deo, Deo Iſraëlis.

lis. Verbum יקים / *ſuſcitabit*, ſignificatione propria notat, *faciet ipſum ſtare*, quod οἱ LXX efferunt per ἀναςάσει, id eſt, *producet*, *excitabit* eum: non quidem præciſe, quaſi hic Propheta antè non fuiſſet; ſed quod in mundo non manifeſtatus, conſpectus audituſque eſſet. Etenim Verbum קום ſignificare poteſt & *nativitatem* hujus Prophetæ, & *ſuſceptionem muneris ſui*. Eô enim ſenſu utroque occurrit & *Joſ.* 2: 10. *Una generatio ſurgit poſt aliam*, & *Deut.* 13: 1. & 34: 10. כי יקום / *quum ſurrexerit in medio tui Propheta*. Immo & ſi accuratius attendas, ſignificabit hic *Nativitatem*, quæ quaſi ſponte fit, ad quam ergo nulla extraordinaria aut miraculoſa Dei virtute opus eſt: *ſuſceptionem* etiam *muneris* ſpontaneam abſque miſſione divina, ita ut veniat in nomine proprio, ſitque Propheta falſus; quales in ſcriptis Novi Teſt. memorantur Theudas & Judas Galilæus, quos aſſerit Gamaliel *ſurrexiſſe eos*; &, quod atro carbone notatur, *ſectam conſtituiſſe Actor.* 5: 36, 37. Noſter autem Propheta nihil tale, utpote non ſurrecturus ſponte ſua, ſed *ſuſcitandus ab ipſo Deo*, & quoad ſuam *nativitatem*, & quoad *Munus*. א. Quod ad prius ergo notabit illud יקים / eum non ordinario hominum more, juxta ſemel jam conſtitutum naturæ ordinem naſciturum, verùm modo plane extraordinario & ſupernaturali, per excitationem quandam Divinam, quæ foret adinſtar ſuſcitationis ex mortuis, cujusque eſſet probabilitas non major, aut facilitas, quam revocationis mortui ad hanc vitam. ב. Quod ad poſterius dicet, illud Munus hunc Prophetam haud ſponte ſua & propria auctoritate capeſſiturum, vel hunc ſibi ſumturum honorem, ſed legitime ad id *ſuſcitatum iri*, vocatumque ut ſit Propheta, non minus quam Aaron ad Sacerdotium. Quò etiam facit τὸ LXX hic legere ἀναςήσει, quod de *ſuſcitatione ad munus* uſurpari quoque ſolet: qua notione de Chriſto dicitur *Actor.* 13: 32. *Deus*, inquit Paulus, ἀναςήσας, *ſuſcitavit Jeſum*, ad obeundum ſcilicet *munus* Mediatorium: nam de *Nativitate* dictum jam erat *verſ.* 23. *Deus* ἤγειρε, *excitavit Iſraëli Jeſum ex ſemine Davidis*, *quod* ad *naturam* & ortum magis refertur. Adeo

onem muneris prophetici.

ut

ut quicquid vel *ortus*, ſeu *nativitatis* reſpectu, vel *muneris*, in hoc Propheta locum haberet, ſuum habeat fundamentum in expreſſa Dei voluntate, & ab ejus providentia ac directione ſingulari dependeat totum.

3. *Auctoris, ut ſuſcitandus ab ipſo Deo; cùm Moſes potius ſuſcitatus* ab Iſraëlitis, *a Deo verò* acceptatus *quodammodo dici poſſit.*

VI. Quamobrem & mox, quandoquidem id totum quantum ſupernaturale eſt, Deo ſoli advendicatur, ubi additur; *Dominus Deus tuus* excitabit illum Prophetam. Occurrunt nomina JEHOVA & ELOHIM, de quibus impræſens latius, quàm ad explicationem hujus Oraculi, dicere nil attinet. Animadvertimus modò, has *Summi Dei denominationes* ambas quàm aptiſſime facere ad hujus promiſſi ſtabilitionem certam & indubitatam. Etenim, ſi ille, qui hic per Moſem promittit ſe *ſuſcitaturum* hunc Prophetam, ſit JEHOVA, qui *eſt*, & à ſe eſt, & neceſſariò eſt, adeoque ſemper exiſtit: qui præterea *eſt*, *quod eſt*, idem continuò, adeoque immutabilis: qui porro *fit*, *quod eſt*, ſua veracitate omnia ſua adimplens promiſſa, non eſt ergo quod ullus unquam de hoc promiſſo dubitet. Si porro JEHOVA ille ſimul ſit Deus Iſraëlis, אלהיך / *Deus veſter*, non tam creationis jure, quam præſertim fœderis gratiæ juramento ſanciti, cujus virtute Iſraëlem adoptaverat in populum ſibi peculiarem, & quo ex fœdere omnis hujus Prophetæ datio & ſuſcitatio dimanat profluitque, jam nova promiſſo accedit firmitas, ex eo nempe, quod *Deus Iſraëlis* vi fœderis iſtius ac juramenti obligatus ſit promiſſis ſuis fidem præſtare. Ubi & iſtud animadvertere juvat, fortaſſe id, quod hic Propheta dicitur *ſuſcitandus* ab ipſo *Domino Deo*, ut *verba Domini in nomine Domini* ad *Iſraëlem eloquatur*, nos id capere poſſe cum manifeſta oppoſitione ad Moſem. Ille etenim videri poteſt ab Iſraëlitis potius, quàm ipſo Deo conſtitutus, ſive *ſuſcitatus*; non *Propheta* quidem; ad hoc enim munus ille ἀμέσως a Deo vocatus fuerat; ſed tamen *internuntius*, ſive *interpres* verborum Dei ad Iſraëlem. Deus enim ipſe, uti inceperat, ſua verba elocuturus erat ad Iſraëlem, niſi Iſraëlitæ ipſi petiiſſent per Moſem a Deo, ne pergeret Deus amplius ad eos loqui ipſe, at verò potius per internuntium

tium quendam, quem non relinquunt in Dei arbitrio, ſed nominatim Deo proponunt. Audi quippe ipſum Moſen hiſtoriam illam notabilem repetentem *Deut.* 5: 28. *& ſeqq. Hæc verba edixit* JEHOVA *toti congregationi veſtræ in ipſo monte, in medio ignis nubis & caliginis voce magna, neque* ulterius *perrexit: ſed inſcripſit illa duabus tabulis lapideis, quas dedit mihi. Fuit enim quum audiſſetis vocem illam e medio tenebrarum illarum & montis ardentis igne, ut accedentes ad me omnes primores tribuum veſtrarum, & ſeniores veſtri: & dixiſtis; en, oſtendit nobis* JEHOVA *Deus noſter gloriam ſuam & magnitudinem ſuam, & vocem ejus audivimus ex medio ignis: hodierno die vidimus quando Deus cum homine locutus eſt*, hominem *etiam vivere. Nunc itaque quare moreremur? nam abſumeret nos ignis ille magnus: ſi pergeremus deinceps audire vocem Dei noſtri, utique moreremur. Nam quæ* eſt *ulla caro, quæ audita voce Dei viventis, loquentis e medio ignis ſicut nos, deinde vixerit? Accede tu, & audi quæcunque dicturus eſt* JEHOVA *Deus noſter: deinde tu eloquitor nobis quæcunque edixerit* JEHOVA *Deus noſter tibi, ut audiamus faciamuſque* &c. Vides Moſen pro internuntio ab Iſraëlitis Deo offeri; Deum ergo magis eo reſpectu admiſiſſe & acceptaſſe eum, quàm *ſuſcitaſſe*, uti diſerte legitur *verſ.* 34. *Audiens itaque* JEHOVA *vocem verborum veſtrorum, quum alloqueremini me, dixit* JEHOVA *mihi; audi vocem verborum populi hujus, quibus allocuti ſunt te, quæcunque locuti ſunt, bene ſunt locuti.* Et *verſ.* 36: 37. *Edic illis, revertimini ad tentoria veſtra. Tu autem hic conſiſte apud me, & edicam tibi omnia præcepta ſtatutaque, & judicia illa, quæ docebis eos.* Hic verò Propheta noſter pro internuntio verborum ſuorum conſtitueretur ab ipſo Deo ἀμέσως propria ſponte, neque ab aliis Deo aſſignandus, ſed ipſi Deo adeo carus, adeo dilectus, adeo forſan etiam neceſſarius, ut *verba iſthæc ſua* ſine interventu hujus Prophetæ nec loqui ad Iſraëlem velit; neque forſan etiam ſalvâ decentia ſua poſſit, utpote verba forſan futura, & *Dei loquentis ore humano*, ſive *Dei in carne manifeſtati*; & verba meræ gratiæ, velut; *Convertimini ad me, & ſalvamini, & fines*

terræ: qualia verba Deus ille Legiſlator & Judex eloqui non poteſt, niſi in & per Mediatorem in carne juſtitiæ ſuæ ſatisfacientem, qui forſan hic ipſe erit Propheta.

4 *Generis, ut è fratribus Iſraelis: id eſt, ex Abrahamo quidem, at per ſolum Jacobum: non tamen ex hujus filio Levi, ſed alio quocunque filiorum.*

VII. Cui conjecturæ nequaquam repugnat, ſed potius favet, quod mox genus hujus ſuſcitandi Prophetæ traditur fore Iſraëliticum: quod indicant ſequentia מקרבך מאחיך / *E medio tui, e fratribus tuis:* ſive, uti conjunctim effertur *verſ.* 18. מקרב אחיהם / *e medio fratrum eorum.* In qua phraſeologia ſequentia latent. 1. Eum non fore *peregrinum*, ſive *extraneum*, qualis Propheta erat Bileamus, (utpote quem nonnulli eundem cenſent cum Elihu, qui tam egregiè de Meſſia locutus eſt, & deſcribitur a patria vel gente *Buzites*, ex familia *Ramæa*, patre *Baracheële*, *Job.* 32: 2. quod refutat Spanhemius F. *Hiſtor. Jobi Cap.* 15. §. 17 *& ſeqq.* alii Bileamum putant ex gente Kethuræa; probabilius tamen ex Syriaca, *filium Beoris ex Petora*, *Num.* 22: 5. urbe *Syriæ*, *Cap.* 23: 7. Vid. Witzii *Miſcellan. Sacr. Lib.* 1. *C.* 15. §. 23.) ſuum certè ex Iſraële ortum non ducens, ſed concivem, conſanguineum, *fratrem e fratribus:* non ergo etiam proſelytum, aut ortum e proſelytis, ſed ex vero & Patriarchali ſemine. Immo & 2. Strictius adhuc ex ſemine Jacobi, & ex ipſis his Iſraëlitis a Jacobo ſic denominatis, quos hic alloquitur Moſes, ſub ductu jam ſuo in hiſce Arabiæ deſertis vagabundos. Dicendo ergo, *e fratribus* TUIS, excludit Moſes fratres Patrum ipſorum, Iſaäci puta & ipſius Jacobi, quorum prior Iſmaëlem habebat fratrem, Eſavum poſterior; tanquam ex quorum poſteris nequaquam oriturus eſſet Propheta noſter. Quemadmodum probè hic etiam notavit R. Bechai, eapropter mox adhuc addidiſſe Moſem *ſicut me*, id eſt, ſicut me Moſen, ex medio Iſraëlitarum, ſive Jacobidarum nempe ortum: *ne fortè*, inquit, *intelligeres per vocem*, ex fratribus, *filios Eſavi, aut Iſmaëlis.* Quin & 3. Tertia hic latet reſtrictio, quando Moſes non in prima perſona ait, *ſuſcitabit* JEHOVA *Prophetam e fratribus* NOSTRIS, ſed in ſecunda, *Ex fratribus* TUIS. Alloquitur autem hic Moſes Iſraëlitarum maſſam, a qua jam tribus Levi exemta erat & ſegrega-

ta:

ta in uſum ac peculium Tabernaculi. Quamobrem etiam, quod hic obſervandum eſt, Moſes in hoc ſuo ad Iſraëlem ſermone, ſemper de Levitis loquitur in tertia perſona, tanquam plane ſeparatis ab illo cœtu ad quem loquitur. Vide id non tantùm *Deut.* 12: 12, 18, 19. 14: 27. 16: 11. ſed & hoc ipſo Capite *Deut.* 18: 4. *Primitias* TUI *frumenti, muſti* TUI, *& olei* TUI, & primitias velleris ovium TUARUM, IPSI *dabis.* Cùm ergo Moſes ait; *E fratribus*, non MEIS, immo ne quidem NOSTRIS, ſed præciſe TUIS, non obſcure indicatur, eum Prophetam non oriturum e tribu, qua ortus erat Moſes, i. e. non e tribu *Levi*, quæ hac deſignatione aperte ſatis excluditur; ſed ex alia quadam. Quæ verò in ſpecie illa tribus ſit ex duodecim, quæ fraternitatis nexu copulabantur, in hoc oraculo non determinatur, verùm aliunde innoteſcere debet. Sufficit nunc oſtendiſſe hujus Prophetæ ortum fore e Patriarcharum ſtemmate, & iſto quidem Jacobi, & inter Jacobitas aliô certè quam Levitico, illo forſan, cui Jacobus ipſe prærogativam magnam illuſtris alicujus Pronepotis ex illo orituri addixerat teſtamento ſuo *Gen.* 49: 8 *& ſeqq.* id eſt, *Juda*; ſi modò *Schilo* ille cum hoc noſtro *Propheta* unus forſan eſſet idemque, quod nondum poſſumus determinare.

VIII. Inſuper & 4. Quarta hic adeſt reſtrictio, quando dicitur hic Propheta non modò *e fratribus* proditurus, verùm quoque *ex medio ipſorum.* Id enim duo docere poteſt. A. *Indigenam eum* non modò fore, ſed & *inquilinum*, h. e. in loco aliquo, qui in Iſraëlitarum *medio* ſitus eſſet; in propria ergo ipſorum patria, & non extra ejus limites non tantùm naſciturum eſſe, ſed & educandum: aut ſaltem eo tempore, quo ad functionem Prophetici numeris a Deo admoveretur, in terra Iſraëlis habitaturum, neque aliunde adventurum. Quô & porro non obſcure ſignificari dicere poſſumus, licet iſthoc tempore, quo hujus Prophetæ exhibitio futura erat, diſperſi forſitan tunc eſſent huc illuc Iſraëlitæ per varias mundi habitabilis plagas quaquaverſum, eum nihilominus proditurum *e medio eorum*, id eſt, ex loco ubi propriam

5. Loci, ut e fratrum illorum medio: id eſt, terrâ quidem Canaanis, at loco non illuſtri.

haberent patriam, id eſt, ex Paleſtina ipſis promiſſa, & quidem ex ejus interiori: uti etiam hæc vox de intimis viſceribus ſumitur *Exod.* 12: 9. B. Eundem tamen in illa Iſraëlitarum patria proditurum non ex illuſtri familia, aut urbe, ſed citra omnem pompam, aut ſingularem præ Iſraëlitarum pleriſque excellentiam. Non deſunt enim qui hanc phraſin, *in medio alicujus eſſe*, cum hac noſtra, *ex medio eorum*, comparant; adeo ut, quemadmodum per priorem indicatur, *communi cum aliis conditione vivere*, quo ſenſu de Chriſto adhibetur *Luc.* 22: 27. *Ego ſum inter vos ut qui miniſtrat*, hoc eſt, qui communi cum aliis conditione me inter vos gero; ita per poſteriorem deſcribi velint *vilem & dejectum* prorſus hujus Prophetæ *ortum*, nihil præ reliquis humanæ ſortis hominibus, aut vulgo Iſraëlis inſigne habituri. Et ſic quidem hac deſcriptione duo cavit providentia Divina: α. Ne extraneum quempiam, extra Iſraëlis patriam natum, aut extrinſecus prodeuntem pro hoc Propheta promiſſo haberent, qui ſic illis forſan imponeret. β. Ut etiam homo ſic in ipſorum medio ortus, educatus, Propheta factus, tanto melius *ex ipſorum medio* agnoſceretur a ſuis, cùm reſpectu generis & patriæ, tum nativitatis & educationis, conſequenter etiam reſpectu miniſterii, quod ei tanquam Prophetæ inter eos obeundum erat. Et quod probe notandum velim, hæc omnia noſtro Prophetæ ſoli adeo ſingularia ſunt, ut de nemine alio ejusmodi particularis deſcriptio, quod ſcio, quoad omnes circumſtantias occurrat.

6. Scopi, ut ſuſcitandus tibi; id eſt, in Iſraëlis præcipuè utilitatem.

IX. Verùm enim verò, quemadmodum hic noſter foret *ex Iſraële*, ita & *pro Iſraële*. Nam habet Vaticinium: *Deus ſuſcitabit eum Prophetam* לך/ id eſt, TIBI; h. e. propter te, in tui gratiam ac emolumentum: uti ſic ל ſumitur *Gen.* 9: 5. Scilicet ita, quod exclamat Aſaphus *Pſalm.* 73: 1: *Bonus eſt Iſraëli Deus, puris animo*, & hic verum eſſet. Quô tunc notatur eum ſuſcitatum iri Iſraëlitarum cauſâ, & Prophetam fore ad ipſorum inſtitutionem ac ſalutem ſempiternam. Quod non modò memoratæ tantùm ſuadent circumſtantiæ; qui enim *in medio* Iſraëlis naſcitur non tantùm

tùm educaturque; ſed & ad munus inauguratur Propheticum, æquum eſt ut ille *Iſraëli* etiam inſerviat, tanquam eorum proximus & conſanguineus. Sed & idem ſuadet occaſio hujus promiſſionis. Deus nempe fœdus cum illis pepigerat, cujus virtute (prout verbo monuimus §. VI) petierant internuntium, ad verba fœderis iſtius ſibi notificanda, quem Deus ipſis non denegavit, ſed eorum aſſenſus petitioni hunc Prophetam poſt Moſem ſe daturum pollicitus eſt. Qui ergo vi iſtius fœderis Iſraëlitis inſervire debebat & benedictionem afferre. Quæ ipſa Petri ex hac ipſa phraſi ratiocinatio eſt *Actor.* 3: 22, 25. *Moſes*, ait, *ad Patres dixit, Prophetam ſuſcitabit nobis Dominus Deus veſter ex fratribus veſtris ſicut me: audietis eum in omnibus quæ locutus fuerit vobis. Futurum eſt autem, ut quisquis non auſcultarit Prophetam illum, diſperdatur e populo. Sed & omnes Prophetæ a Samuële, & deinceps qui fuerunt, quotquot locuti ſunt, etiam prænuntiarunt dies iſtos.* Quod promiſſum tunc Judæis ita applicat tanquam ipſis jure fœderis proprium *verſ.* 25. *Vos eſtis filii Prophetarum & pacti, quod pepigit Deus erga patres noſtros, dicens ad Abrahamum: Et in ſemine tuo benedictionem conſequentur omnes familiæ terræ.* Atque tandem implementum (de quo nos hic nondum agimus) oſtenſurus, intermiſcet clariorem adhuc Prophetæ hujus obligationem ad Iſraëlitis benefaciendum: *Deus*, ait *verſ.* 26. *primùm vobis ſuſcitatum Filium ſuum Jeſum miſit, qui benediceret vobis, unoquoque* ſeſe *avertente a pravitatibus veſtris.* Patet ergo hunc Prophetam vi fœderis *Iſraëlitis* ſuſcitandum, ad Iſraëlitas primò igitur loco pertinere. *Primo*, inquam, *loco.* Nam cæteroquin hunc Prophetam Gentibus etiam profuturum Petrus ibidem haud obſcure innuit, & per collationem alterius adhuc vaticinii, in quo diſerte dictum erat; *In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*; id eſt, Judæi non modò, ſed & Ethnici: & per oppoſitionem eam *verſ.* 26. ubi diſtincte ſatis dicitur; *Vobis* (Judæis) PRIMO *miſit hunc Prophetam.* Quo docetur hunc Prophetam *deinceps* & aliis ſuſcitatum iri. Verùm nos nunc in noſtro manemus Oraculo.

7. Similitudinis, ut futurus ſicut Moſes: ita enim vertendum eſſe כמוני

X. In quo ejuſdem porro excellentia deſcribitur, eò quod Doctor erit non infimi ſubſellii, ſed cum ipſo Moſe (& perpende, quæſo, quantus ille Vir) jure conferendus. Id uno quidem verbo כמני / *ſicut ego*, effertur, ſed quod multa certè & magna quæque complectitur. Variè autem id redditur a variis. Salomo Jarchus interpretatur תחתי / *loco mei*: ut ſenſus ſit; conſtituet tibi Prophetam *loco mei*, *de Propheta ad Prophetam.* Sic tota comparatio ſublata eſt, & mera ſucceſſio indicatur. At violenta eſt ea explanatio, cùm כמני nullibi, quod ſciam, ea notione veniat; paſſim vero כמו comparative uſurpetur, cum aperta ad aliam quandam perſonam relatione, quæ tum per affixum indigitatur. Conf. 1 *Reg.* 22: 4. 2 *Reg.* 3: 7. 2 *Chron.* 18: 3. Vel inter Chriſtianos comparativum ſenſum retinentes, tamen nec prorſus convenit. Nonnulli reddunt; *Prophetam* SICUT ME *ſuſcitabit Dominus.* Aliis, qui ſubaudiunt אשר / ac ſi legeretur אשר כמני / *qui eſt ſicut ego*, placet, SICUT EGO SUM: quod & nobis arridet, ne exiſtimemus Moſem & hunc Prophetam inter ſe comparari ratione *ſuſcitationis* duntaxat, hoc ſenſu; *Prophetam ſuſcitabit, ſicut me ſuſcitavit*; ſed reſpectu aliarum etiam qualitatum. Etenim, licet in ipſa re non ſit harum verſionum diſcrimen, cùm & Petrus & Stephanus in Accuſativo reddiderint ὡς ἐμέ. *Actor.* 3: 22. & 7: 37. nihilominus comparationis latitudo in hac poſteriori magis pellucet. Cui etiam accentuationem favere, quæ τὸ כמני non proximo verbo יקים / *ſuſcitabit*, ſed prioribus & remotioribus, id eſt, τοῖς נביא מקרבך מאחיך / *Propheta ex medio tui, ex fratribus tuis* adjungit, Hebraice callentibus liquidò conſtat.

Similitudo ea a variis variè aſſignatur. Duo Auctoris præmonita, ſive canones.

XI. Quæritur nunc qua in re ergo noſtri *Prophetæ* cum Moſe comparatio iſta conſiſtat? Multa hic multi pro ſuo quiſque captu tradunt, & mirum ſane in modum hic ſe fatigant Interpretes, cùm Judæi, tum Chriſtiani, tam Veteres, quàm Recentiores, ut tales quique forment interpretationes, quibus in mille ſe formas vertant, & ſuis inſerviant hypotheſibus. Plauſtra iſtius generis commentationum

num in medium adduci poſſent, quarum plurimis, dum iſtud כמני explanare ſe putant viri docti, Textus hic obſcurior redditus eſt quàm clarior. Rabbinorum nonnulli ita interpretantur iſtud, SICUT ME per: *ſicut ego ſum e medio tui è fratribus tuis.* Alii; *qui ſicut ego ſum Propheta Domini, non Divinator.* Quidam; *qui ſicut ego fidelis ſit.* Hi omnes verum dicunt, ſed omnem rei efficaciam non exprimunt. Melius eam pleniuſque explanant Chriſtiani, convenientiam hanc reſpectu variarum *qualitatum* aſſignantes. Ex quibus antequam & ego nonnullas ſelectiores huc afferam, præmonendum duxi, ne incidamus hic in opinionum monſtra, quibus aut nimium typo, & nimis parum antitypo, aut etiam antitypo alienum aliquid, etſi forſan in typo exiſtens attribueretur; non ergo omnimodam hic paritatem, ſed convenientiam duntaxat aliqualem quærendam eſſe. Neque etiam inſuper convenientiam hanc reſpectu omnium qualitatum aut actionum *Prophetarum*, id eſt, doctrinæ, aut *Miraculorum* quærendam, ſed reſpectu multarum. Si enim certè quis dicitur Orator velut Cicero, Poëta velut Virgilius &c. comparatio tantùm reſpectu quarundam qualitatum, Oratoriam præciſe aut Poëſin ſpectantium, non reſpectu omnium etiam aliarum facta eſſe cenſetur. Ita, ut ſpeciale aliquod exemplum huc adducamus, malè omnino hæc convenientia inſtitueretur quoad particulares nimis circumſtantias doctrinæ, aut miraculorum Moſis; uti ex. gr. inter Moſen, quà Legis prorſus novæ latorem, & inter hunc Prophetam. Inde enim ſequeretur hunc Prophetam, velut novum induci Legiſlatorem, aliam novam, & ab illa Moſis diverſam Legem laturum. Quod etiamſi reſpectu nonnullarum circumſtantiarum (de quibus in ſequentibus dicendi locus commodior erit) aliquatenus dici poſſit, in genere tamen falſiſſimum eſt, & contra Socinianos ac Pontificios negandum, uti horum eam ſententiam erroneam pluribus refutavit Joan. Gerhardus *Locor. Commun. Tom. 3. Cap. de Euangelio* §. 67. At operoſe magis Sebaſt. Schmidius *Coll. Bibl. Part.* 1. *Loc.* XI. *Diſſ.* 2. *p. m.* 284. Poteſt non ſine ingenti fructu conferri Clar. Jac. Altin-

tingius, cujus in hoc noſtrum Vaticinium eruditiſſima exſtat Diſſertatio *Hept. V. Diſſert.* 7. §. 8. *Operum Tom.* 5. *p.* 150. qua ille lucem profectò multam huic loco fœneratus eſt. Malè porro etiam convenientia ea hic exigeretur, ut Propheta hic eadem præciſe Miracula faceret, quæ Moſes, uti Iſraëlitas per mare rubrum ducere, dare ipſis manna de cœlo, & ſimilia. Hæc Judæorum abſurda erat petitio *Joan.* 6: 30, 31. *Quod tu ſignum edis, ut videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres noſtri ederunt illud manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt; panem de cœlo dedit eis, quem ederent.* Sufficit hunc Prophetam facturum miracula non minora, de quo plura dicemus infra §. XIV. Eadem moderatio comparationis reſpectu perſonæ, nativitatis, educationis, vitæ, mortiſque Moſis & hujus Prophetæ obſervanda eſt. Uno verbo: convenientia hæc quærenda eſt generaliori modô reſpectu eorum, quæ in Moſe tanquam Propheta ſpectato excelluerunt præ aliis Prophetis. Etiamſi enim Prophetæ quidam in nonnullis Moſe majores fuiſſe videantur, & quod exſtiterint qui mortuos excitaverint, quale factum nullibi de Moſe memoratur; Moſes tamen *Prophetarum pater* & *princeps* nuncupari poteſt; quandoquidem omnibus unà ſupputatis, hoc Spiritus S. de Moſe teſtimonium ſemper firmum perſtat & inconcuſſum *Deut.* 34: 10. *Nullus unquam Propheta ſurrexit in Iſraële ſicut Moſes:* quo eum titulo Maimonides inſignit de *Fundam. Leg. Cap.* VII. §. 6. Hujus proinde ſingulares præ aliis prærogativæ multæ recenſeri poſſunt: quarum ſpecimen videre eſt penes Guil. Mommam *Oecon. Lib.* 2. *Cap.* 13. §. 26. *ſeqq.* Nec non in Georg. Meinhardi *Diſſert.* in *h. l. Cap.* 2. Nos ergo hic verborum ſimplicitatem ſequentes, quô modo etiam aſſequemur facile, ut opinor, eorum ſenſum, hoc quidem ordine procedemus: Primò, ut indagemus, quid de Moſis præeminentia ſupra reliquos Prophetas cùm ipſa Scriptura S. ſtatuat: tum etiam quid de hac re in hujus vaticinii connexione a nobis concludi poſſit. Secundò vero oſtendamus per partes, quì hæc cuncta promiſſo Prophetæ noſtro competant.

Moſis excellentia ex S. XII. Duo ſunt potiſſimum quæ Spiritus S. de Moſis præro-

rogativis præ cæteris Prophetis tradit, quibus tertium ex ipſa connexione accedet. *Primum* eſt, eum tali præditum fuiſſe docendi facultate, quali Prophetarum præter eum ſolum nemo: quod tribus præſertim variis documentis ex S. Scriptura manifeſtum eſt; reſpectu nempe *materiæ*, *quam*; *fontis*, ex *quo*; *potentiæ*, *quâ* ille docebat. ℵ. Primò ergo perhibet Spiritus S. teſtimonium Moſi *Pſalm.* 103: 7. *Deum ei notificaſſe vias ſuas*. Quales? Illaſne, per quas tanquam populi Dux ſupremus Iſraëlem ducere debebat in terram Canaänis promiſſam? Minime. Hæ enim nec nomine *viarum Dei* dignæ ſunt; nec cum antecedentibus & conſequentibus Pſalmi iſtius elogiis conveniunt. Ex his videbis *vias* haſce *Dei* non tantùm eſſe ejus *opera* in genere, quæ in mundi vel creatione, vel conſervatione exhibuit; ſed præſertim, quod majus eſt, ejus *in Chriſto molitiones*, quibus modô Deum & hominem decente fieri ipſe poſſit peccatoris Deus, per ſuam ei, ſalva juſtitia ac ſanctitate, miſericordiam peccata remittens. Hæ *Dei* illæ ſunt *viæ* adeo, & in Pſalmo illo 103. & paſſim ubique in Sacris celebratæ, ad ejus omniſufficientiam ac decentiam quàm maxime pertinentes. Et has Deus vias *notas fecit Moſi*, non ſolùm generatim in exſtructione Tabernaculi omnique ejus ſupellectile, nec non ceremoniis reliquis, quæ tanquam umbræ ad Meſſiam earum corpus ſpectabant; verùm modô plane peculiari, quando ad Moſis petitionem *Exod.* 33: 13. *Oſtende mihi vias tuas, ut te cognoſcam*; ſolenniter adeo *Nomen* ſuum coram eo proclamavit *Cap.* 34: 6. 7. JEHOVA, JEHOVA, *Deus fortis, miſericors & gratioſus, longanimis &c. condonans iniquitatem, &c.* In qua proclamatione *viarum Dei* ſumma comprehenditur. Verùm particulariores præterea circumſtantiarum eò pertinentium explicationes Deum Moſi in particularibus colloquiis alio tempore dediſſe, ſatis patet ex teſtimonio, quod nunc afferam. Nempe ב. Secundò *fontem*, ex *quo* Moſes ſuam eam hauriebat doctrinam: S. Scriptura eum laudat: *Alloquebatur Deus Moſem de facie ad faciem, quemadmodum alloqui ſolet quis amicum ſuum*, *Exod.* 33: 11. Quod plenius enarra-

Scriptura, reſpecta I. Prophetiæ: *in hujuſce A. Materia. B. Fonte. C. Abundantia. D. communicabilitate.*

ratur, & unà cum modo quo id fiebat, *Num.* 12:6–8. Ubi Deus ipse Mosis hac in re præcellentiam, in oppositione ad alios Prophetas, validè exaggerat: *Si est Propheta ex vobis, per visionem me ipsum* JEHOVAM *notum ei facio, aut alloquor eum per somnium. Non sic servus meus Moses, qui in tota mea domo fidelis est. In os alloquor eum, adeo ut speciem & similitudinem* JEHOVÆ *intueatur, & non per ænigmata.* Quod maximam illam denotat familiaritatem, qua Divina Majestas ἀμέσως, absque nuntii interventu, clarissimis verbis locuta est cum Mose.]. Denique *Tertio* loco, ad doctrinæ hujus *potentiam* & hoc pertinet, Deum liberaliter adeo & copiose de Spiritu suo Mosi elargitum fuisse, ut eum sibi non modò habuerit abundè sufficientem soli, verùm & potestatem de eo pariter aliis impartiendi. Non enim Deus Mosi tantùm dixit, *Seponam de Spiritu, qui est super te, & ponam eum in septuaginta viris senioribus*, quemadmodum & fecit *Num.* 11: 17 & 25. verum & Moses ipse dicitur *de sua gloria impertitus esse Josuæ*, vim illam sui Spiritus re ipsa in hunc transferendo: *ibid. Cap.* 27: 20.

Quibus & alia adduntur Mosis encomia, & in specie quinque excellentiæ propheticæ ex Judæis, Philone, Josepho, Maimonide: at juxta doctissimorum Christianorum de his judicia non omnia æque vera.

XIII. Et uti ista quidem habet S. Scriptura, ita Judæi etiam Mosen summis quibuscunque exornant elogiis; quibus tum in genere Mosen omnibus aliis Prophetis tanquam absolutissimum, principalem, & infallibilem maximè præferunt; tum etiam in specie differentias prophetiæ Mosis ab illa reliquorum assignant. Ita Philo de *Vita Mosis*, in initio, in genere eum vocat ἄνδρα τὰ πάντα μέγιστον καὶ τελειότατον, *Virum omnibus modis maximum & absolutissimum.* Flav. Josephus Historicus de eodem ita scribit *Antiq. Judaic. L.* III. *Cap. ult.* Θαυμαστὸς δὲ τῆς ἀρετῆς ὁ ἀνὴρ, καὶ τῆς ἰσχύος τῆς ἐκ τῆς πιστεύεσθαι περὶ ὧν ἂν εἴποιε &c. Quæ ex interpretatione Sigism. Gelenii ita se habent: *Vir ille* (de Mose loquitur) *etiam dignissimus est admiratione, tum ob singularem virtutem, tum ob fidem non tantum a seculi sui hominibus, sed a posteris etiam impetratam: quandoquidem hodie nemo quoque est Hebræorum, quin etiamsi latere possit, quasi præsentem revereatur, & quasi pœnas exacturum, si quid præter decorum ab ipso præscriptum gesserit.*

ſerit. Auctoritatis ejus pluſquam humanæ argumenta ſunt plurima &c. Et poſtquam quædam adduxerat, ex quibus conſtaret Ethnicos etiam ex regionibus ultra Euphratem *maluiſſe Moſis legibus, quàm ſuo propoſito obſequi, idque nemine redarguente niſi propria conſcientia*; ita pergit: *Tantum valet ſemel concepta de hoc viro opinio, ut major homine habeatur, qui leges a Deo acceptas hominibus tradidiſſe creditur.* Et poſt quædam interjecta: *Quare non eſt cur aliquis miretur, quæ illo tempore ſunt geſta: quandoquidem etiam ſcripta poſteris ab illo relicta tantam vim & auctoritatem obtinent, ut vel inimici noſtri fateantur quod talem vivendi rationem Deus per Moſen inſtituerit.* Ita Joſephus. In *Debarim Rabba* fol. 200. vocatur Moſes *Pater in Lege, in Sapientia, & Prophetiis.* Et in *Schemoth Rabba* fol. 98. (de quorum librorum Auctoribus & ſcriptionis tempore videndi ſunt Jo. Buxtorfius *Biblioth. Rabb.* ad titulum בראשית רבא / p. m. 43. & Jo. Chriſt. Wolphius *Biblioth. Hebr. Tom.* 2. ad רבות / p. 1423 & ſeqq.) hæc leguntur: *Unuſquiſque vaticinatus eſt ex fonte prophetiæ Moſis.* Addantur quæ Maimonides in tredecim fidei Judaicæ articulis, quos ille duodecim articulis Chriſtianorum oppoſuit, habet §. VII. אני האמין ולו" / *Ego credo fide integra prophetias Moſis Doctoris, ſuper quem ſit pax, eſſe veras; ipſumque patrem eſſe Sapientium, tum eorum qui præceſſerunt, tum qui ſecuti ſunt.* In eundem ſenſum ſcribit Menaſſe Ben Iſraël in *Conciliat.* in *Exod. Quæſt.* 43. *Lex, aut volumina Moſis, menſura ſunt reliquorum librorum: quemadmodum etiam in cantu tanta eſt dulcedo omnium vocum, quanta reliquarum harmonia cum organo aut infima voce; eodem modo vera aut falſa ſunt reliqua ſcripta, quò magis conveniunt cum Moſaica, aut ab eadem abeunt. Unde ſequitur nos ex Moſaica contra reliqua argumenta petere poſſe; reliquorum verò argumenta nullam vim habere ad deſtruendam vel minimam doctrinæ Moſaicæ partem.* Differentias porro inter Prophetiam Moſis & reliquorum Prophetarum illas faciunt, quos ex Magiſtrorum

ſcriptis ſat luculentis in ſummam quandam ad has quatuor breviter referam. *Prima* differentia eis eſt, Deum aliis Prophetis locutum miniſterio Angelorum; Moſi contrà oretenus *de facie ad faciem*. *Secunda*, nulli Prophetarum obveniſſe prophetiam niſi in ſomnio, aut viſione nocturna, aut interdiu poſt ſoporem gravem, adeo ut deſierint omnes eorum ſenſus; Moſi autem ſtanti & vigilanti, eamque accipienti *per vocem, quæ cum ipſo loquebatur e medio Cherubinorum*, *Exod.* 25: 22. *Tertia*, reliquos Prophetas, ſuperveniente in eos influxu Prophetico, valde extremiſcere ſolitos, & ſenſus ceſſaſſe, uti evenit Danieli *Cap.* 10: 7. Moſi verò non item, immo ne minimam quidem debilitatem eum paſſum, ſed contrà eodem plane modo ſe habuiſſe, quo ad ſe invicem loquuntur homines. *Quarta*, nullos Prophetas vaticinatos omni tempore, quô voluerint, ſed Deo jubente duntaxat, & Spiritum Propheticum in eos effundente; at Moſen ajunt omni tempore fuiſſe diſpoſitum, tantâque Spiritus S. copia inſtructum, ut prophetare poſſet cùm ei luberet. En itaque tibi Moſem in ipſius Confeſſionis fidei Judaicæ verbis laudatum tanquam & *immediatum*, & *vigilantem*, & *immotum*, & *perpetuum* Dei internuntium; ex quibus quatuor prærogativis nulla alteri Prophetarum ita obtigerit. Et hanc quidem de Moſe opinionem tam neceſſariam faciunt, ut inter tredecim fidei ſuæ articulos fundamentales hunc ſeptimum enumerarint, & conſtituerint: uti videre eſt denuo apud Maimonidem de *Fundament. Leg. Cap.* 7. & Guil. Vorſtium in *Notis* ibid. & Abarbanelem *de Capite fidei*, in initio. Et ex his apud Carpſovium *in Proœmio* ad Raymundi *Pug. Fid. p. m.* 48. & *Joſ. de Voiſin. p.* 123. Hiſce verò Menaſſe Ben Iſraël *Problem. 6. de Creatione*, *p. m.* 26. *& ſeqq.* adhuc aliam & *Quintam* ſuperaddidit differentiam; ſcilicet alios *rerum* duntaxat revelationes hauſiſſe a Deo, quas ſuis tradiderint verbis, Moſem verò & ipſa a Deo accepiſſe verba. Ita autem de hac re ſcribit Doctor ille Hebræus *loc. cit. Prophetia Moſis*, inquit, *per omnia tanto dignior præſtantiorque fuit cæterorum omnium Prophetarum prophetiâ, quod*

his

bis, quo tempore prophetiam accipiebant, tantummodo ſenſus, ſive res prophetia comprehenſa revelabatur; iſtam autem rem, ſive ſenſum propriis ſuis verbis enarrabant. Atque ea de cauſa uſurpabant hanc loquendi formulam: Et locutus eſt Dominus mihi; & dixit Dominus mihi. *Quaſi dicerent; ea quæ dicimus, licet noſtris verbis exprimamus, ſenſum tamen habent, quem a Deo ipſo accepimus. At verò Moſi non tantum res prophetice revelabatur, ſed etiam ſimul propria, quibus efferenda erat, verba dictabantur. Atque hæc cauſa eſt, quod Moſes, quando revelationes iſtas narrat, non loquatur aliter, quam ſi tertia perſona loqueretur, recenſendo ea, quæ Deus præceperat, & quæ Moſes ipſe fecerat. Unde ſunt iſtæ loquendi formulæ:* Et locutus eſt Dominus Moſi; & dixit Dominus Moſi &c. Et hæc quidem Judæi de Moſe ſuo: non tamen omnia pleno cum Chriſtianorum Doctorum eruditiſſimorum conſenſu. Vide quæ contra hæc oppoſuit Jo. Hoornbeekius noſter de *Convertendis Judæis*, in *Prolegom. p.* 44. *& ſeqq.* Pergimus ad alia.

XIV. *Alterum*, quô cæteris Prophetis præluxit Moſes, eſt, ingenti eum auctoritate valuiſſe, ea quæ per *doctrinam* tradiderat, per *miracula* inſuper confirmandi. Horum enim poſterius priori, ceu altera pars præcellentiæ Mosäicæ, conjungitur in ipſa S. Scriptura *Deut.* 34: 10, 11. *Non ſurrexit Propheta inſuper in Iſraële par Moſi, quem cognoverit* JEHOVA *in os; tum omnibus ſignis & prodigiis, quæ miſerit eum* JEHOVA *facturum in terra Ægypti, contra Pharaonem, & contra omnes ſervos ejus, totamque ejus terram: tum omnibus operibus manus fortis, & omnibus operibus maximis, quæ fecit Moſes ante oculos totius Iſraëlis.* Quod elogium uti obſignat atque claudit totius Pentateuchi deſcriptionem, ita & nemini, ut opinor, negabitur Moſen ſuam Doctrinam miraculis adeo variis ac ſtupendis confirmaſſe, ut per illa ea evaſerit Iſraëli commendatiſſima, ac omni prorſus exceptione major. Solent inde Judæi adeo extollere hæc Moſis miracula, ut hæc cunctis aliis poſt ejus exceſſum per ſequentia ſecula ab omnibus Prophetis patratis non

11. *Reſpectu* Miraculorum. *Et quidem*

modò æquiparent, ſed & magnitudine & numero præponant. Videamus de his duobus diſtincte.

Ratione 1. Magnitudinis. Ubi objectioni de Joſua & Eliſa reſpondetur a Moſen, etſi miraculis minor fuiſſet; gradu tamen prophetiæ omnibus aliis majorem eſſe potuiſſe, ex Abarbanele & Maimonide.

XV. Primò quidem quod ad *Magnitudinem* attinet, ſi quis objiciat Joſuam quidem deinceps ſolis inhibuiſſe curſum, Eliam & Eliſam mortuos eos reſuſcitaſſe, quæ nequaquam à Moſe peracta literis prodantur; ita ſe expediunt Hebræorum Sapientes, dicendo primò in genere, (quod etiam ad *Multitudinem* miraculorum pertinet) Moſen, etiamſi minora aliis miracula feciſſet, tamen omnibus majorem poſſe eſſe Prophetam. Deinde in ſpecie tamen negando Moſen minora aliis feciſſe. Quoad prius illud, non poſſum quin hoc unum ex Abarbanele adſcribam, quod ille in *Expoſitione Legis*, & in ſuo opere *Miphalôth Elohim Lib.* 10. *Cap.* 9. citato a Menaſſe Ben Iſraël *Conciliat. Quæſt.* 11. in *Deut.* §. 4. de hac re univerſa ingenioſe differens, inter alia hunc in modum commentatur; *Ratio*, inquit, *cur auctorum alii deprimere reliquorum Prophetarum miracula, alii vero Moſaica extollere tentaverunt, eſt, quod exiſtimarent, quò quis majora edat miracula, eò & majorem Prophetam eſſe. Cum tamen excellentia Prophetæ non ſita ſit in miraculorum magnitudine, ſed gradu Prophetiæ. Etenim miracula fiunt à Prophetis pro neceſſitate temporis, quo vivunt; & fieri poſſit, ut qui Prophetiam altioris gradus habeat, nulla tamen edat miracula, quia nulla neceſſitas ea exigit. Abraham ſublimis Propheta, & major Eliſæo, non tamen tot & tanta edidit miracula: ipſe etiam Eliſæus præceptorem ſuum Eliam numero vicit. Eandem ob cauſam Iſaacus, Jacobus & Samuël, uno tantum miraculo inclyti ſunt. At Nathan, Gad, Ahia Silonites, Jehu, Hazariahu, Semajah, Hoſeas, Amos, Joël, Obadias, Jeremias, Ezechiël, Micha, Nahum, Habacuc, Sephania, Haggæus, Zacharias, Malachias, nullum prorſus miraculum edidiſſe leguntur. Ut mirum non ſit inhibitum à Joſua ſolis curſum, ab Elia & Eliſæo mortuos in vitam redactos, à Moſe non item; nam occaſio & cauſa faciendi nulla erat. Temporibus enim Moſis non pugnavit Iſrael ad noctem uſque; quo itaque ſine ſolis curſus ſiſteretur? Si nullus queſtum venit ſuper morte filii, quid opus*

erat

erat illum in vitam revocari? cum non niſi urgente neceſſitate naturæ ordo immutari ſoleat. Cæterùm & hæc ſequentia legimus apud eundem Menaſſen *loc. cit. Unde ait R. Moſes*, (*in magno opere* Jad a-hazaqua) *Iſraëlitas non credidiſſe Moſi propter miracula; quia illi qui eam ob cauſam credant, ſemper aliquam ſuſpicionem necromantiæ & præſtigiarum retineant. Ideoque nunquam niſi neceſſitate urgente edita ab eo miracula.* Ex. gr. *Neceſſarium erat ſubmergi Ægyptios, diſcidit mare: indigebant alimento Iſraëlitæ, fecit deſcendere manna: ſitiebant, eduxit aquas è petra: inſurgebant in eum Corachus aliique, terra eos abſorbuit: eadem in cæteris ratio. Quæ oſtendunt*, inquit, *miracula non pependiſſe a ſublimi gradu prophetiæ.* Adeo ut ergo Moſes, etiamſi miraculis minor, gradu tamen prophetiæ omnibus aliis major eſſe potuerit.

XVI. Quorum tamen illud Judæi non concedunt. Nam ad objecta ſuprà Joſuæ & Eliæ miracula reſpondent, Moſen tamen non minora feciſſe quàm modò recenſiti. Conferendam enim eſſe ſolis ſtationem tempore Joſuæ cum iſthoc Moſis miraculo, quô per triduum tenebris in univerſa Ægypto continuatis, Iſraëlitas nihilominus ſuis in habitationibus fecerit abundare ſolis lumine: quod illô Joſuæ miraculum eò ducunt majus, quia ibi quidem in ſolis motu, hic verò in ipſo ſolis corpore mutatio ea accidit, ut eodem tempore, eoque trium dierum, idem Ægyptiis tenebræ, Iſraëli lux exſtiterit. Pariter conferendas eſſe mortuorum eas reſuſcitationes cum Moſis miraculo, quô unâ eademque nocte cunctis Ægyptiorum primogenitis occiſis, Iſraëliticis verò in iſthac communi clade ad unum omnibus conſervatis, non tantùm erga hos tantumdem fecit, ac ſi ex morte certiſſima eos reſuſcitaſſet, neque unum aut alterum, ſed tot millia ſimul; verùm & erga illos id fecit, quod Elias & Eliſa non fecerunt, ut miraculoſa cæde tot illorum millia ſimul occideret.

b. Neque tamen Joſuæ aut Eliſæ miracula Moſis miraculis majora fuiſſe.

XVII. Neque tantùm ſic Moſen miraculis nemine, ne Elia quidem Eliſaque inferiorem eſſe contendunt Judæi, ſed & omnibus ſuperiorem in notabili aliqua circumſtantia, eâ

Et inſuper in ſingulari quadam circumſtantia

Moſis miracula reliquis omnibus præſtantiora fuiſſe, quod Moſes ſua fecerit non præviis ſemper precibus, uti reliqui.

eâ ſcilicet, quod illi ante ſuorum miraculorum patrationem Deum orare neceſſe haberent, cujus rei documenta plura exſtant. At tanta, inquiunt, Moſi erat & in promittendo, & faciendo, confidentia, ut abſque precum interventu conficeret cuncta, perinde ac ſi totam naturam ſuo haberet arbitrio imperioque ſubjectam. Hæc ex modò memoratis verbis *Deut.* 34: 10, 11. facilè ſuo more deduci poſſe ac confirmari opinantur. Exiſtimant enim, quod dicitur JEHOVA *miſiſſe Moſem facturum ſigna & prodigia*, iis ſignificari, reliquos Prophetas ſua miracula non tam ſolo juſſu Divino, quàm quidem proprio ſuo affectu, vel irâ zelove, vel pietate impulſos patrare conatos eſſe: quapropter & precibus eis opus habuiſſe, ut ſuo iſti deſiderio humano Deus vires requiſitas accommodare vellet, & ſic per eas iſta edere illi valerent: Moſi verò, cuncta ad Divinum unice mandatum patranti, ſponte ſua divinum auxilium adfuiſſe. Quam rationem Iſaäcus Abarbanel ita effert: *Miracula per preces edere, eſt opus viri ſancti, cujus ſupplicationem exaudit Deus; at ea ſine precibus edere vere Divinum eſt, & maximæ perfectionis in Propheta argumentum, cujus excellentia dependeat a copulatione Divina.* Quam copulationem Moſi prorſus faciunt propriam. Plura id genus Lector talium avidus congeſta reperire poteſt apud Menaſſe Ben Iſraël *Conciliat: Quæſt.* 11. ad *Deut.* 34: 10.

11. Numeri. *Ille major fuit penes ſolum Moſen, quam penes reliquos Prophetas omnes ſimul ſumtos, ſpatio annorum 3358 ex Menaſſe & Abarbanele.*

XVIII. 11. Quod ad *Numerum* miraculorum Moſaicorum *Secundo* loco attinet, idem ille Doctor Menaſſe multum ſe fatigavit, ut inquirat anxie & multa cum cura in numerum miraculorum Moſaicorum, quæ vel patraverit ipſe, vel quæ ejus causâ edita ſint, eaque conferat cum miraculis omnibus, quæ in Sacris vel ab ipſis omnibus omnis ævi Prophetis ſequentibus patrata, ſaltem causâ eorum facta eſſe loquuntur, quæ cuncta poſtquam diſtinctis columnis recenſuit, ad calculum ſedens invenit miraculorum numerum ad Moſem ſolum ſpectantium eſſe *ſeptuaginta ſex*; cùm illa ad reliquos omnes Prophetas pertinentia, & ab ipſis patrata jam inde a mundi initio, uſque ad primi Templi excidium,

alium, ſpatio (juxta illum) *ter mille trecentorum & viginti octo annorum*, omnia ſimul tantùm conficiant numerum *ſeptuaginta quatuor*. Longum nimis foret hæc deſcribere ac recenſere cuncta, quæ ſatis accuratè Doctor ille Hebræus facit ipſe *loc. cit.* p. 238. *& ſeqq.* Habeat tamen Lector ſpeciminis locô hæc pauca. Ita propter Moſen arſit rubus, & non conſumtus eſt: & virga Moſis in ſerpentem converſa &c. Patravit ipſe decem plagas in Ægyptum: eduxit aquam ex petra &c. Reſpectu Prophetarum reliquorum, propter Noachum venit diluvium, etiam arcus fœderis. Propter Abrahamum plagis affecit Deus Pharaonem &c. Jacobus verò luctatus eſt cum Angelo & ſuperavit. Joſua Jordanem fluvium diviſit, ſolem inhibuit &c. Ex quo tandem concludit, *Moſem non modo excellentia & ſublimitate Prophetiæ, verum & miraculorum multitudine omnes Prophetas ſuperaſſe; quippe qui non in elementis modo & mixtis, in mineralibus, plantis, animalibus ratione expertibus, in hominibus, cœlis & Angelis, miracula edidit, ſed & ipſam Divinitatem deorſum attraxit, facie ad faciem cum Deo locutus, ut inquit Abarbanel ſub finem expoſitionis in Legem.* Neque aliter idem ille Abarbanel in fine Tractatus *Miphalôth Elohim*, ſive *Operum Dei* (in quo *creationem* contra Ariſtotelem alioſque aſſerit) *Serm.* 10. *Cap.* 13. quamvis ſupputationem paulò aliter inſtituat. Ille enim a condito mundo uſque ad prioris Templi excidium, miraculorum editorum ſummam facit 151. Ex quibus 76 ſoli Moſi, 75 verò reliquis Patriarchis & Prophetis tribuit.

Exinde de Moſe ait: "שהוא ע"ה בזמן וכו / *Quod ipſius b. m. operâ*, ſeu *manu*, *tempore* 40 *annorum plura edita ſint miracula, quam omnis ætatis Prophetæ ſpatio* (juxta eum) 3358. *annorum patrarunt.* Hactenus illi. Atque hæc ſatis dicta ſunto de præſtantia & *Prophetiæ*, & *Miraculorum* Moſis præ reliquis, quotquot unquam ab ævo fuerunt, Prophetis.

XIX. Nunc ordine indagandum ſupereſt *in ſpecie*, *Tertium* aliquod Moſis privilegium, quod in noſtri Textus connexione nobis porro de Moſis præ cæteris Prophetis excellentiâ

XXI. Dignitatis muneris: *quod ſcilicet Dei*

ad populum Iſraëliticum fuerit internuntius, *uti ex Sacris oſtenditur.*

ſingulare occurrit, Moſem ſcilicet *Dei* ipſius fuiſſe *Interpretem*, ſeu *Internuntium* penes populum Iſraëliticum, qui verba Dei ex Deo hauſerit ἀμέσως, eaque populo renuntiarit. Hoc quippe *Internuntii*, ſeu *Interpretis* eſt munus, ut loquentis, ſive legantis verba ad alium referat, cui ſic ipſo intermedio ea innoteſcant, etiamſi legantem ipſum nec præſentem videnti, nec loquentem audienti. Moſen autem ceu talem hic deſcribi, ut eò clarius pateſcat, non abs re fore putem, ut aliquanto altius rei geſtæ hiſtoriam repetamus, quæ promiſſioni de ſuſcitando Propheta inſtar Moſis occaſionem præbuit. Ea verò recitatur *verſ.* 16, 17. *Suſcitabit tibi Prophetam Deus* &c. *Secundum omnia quæ petiiſti a* JEHOVA *Deo tuo in Horebo die congregationis, dicendo; ne pergam audire vocem* JEHOVÆ *Dei, & ignem iſtum magnum ne videam amplius, ne moriar. Quamobrem dixit* JEHOVA *mihi; bene locuti ſunt quod locuti ſunt: Prophetam ſuſcitabo eis ſicut tu es* &c. Moſes itaque hic ea, quæ ei revelata fuerant dudum jam antea, anno nempe primo poſt exitum ex Ægypto, ea nunc demum anno quadrageſimo non diu ante mortem ſuam, Legem totamque vitæ ſuæ hiſtoriam repetens (conf. *Deut.* 1: 3.) evulgat populoque exponit. Nimirum, tempore Legislationis, Deo ipſo e nube loquente, comitantibus tot Divinæ Majeſtatis ſignis & oſtentis, populus univerſus pavore ingenti perpulſus, & ad ultimam redactus anguſtiam, ſedulò rogat, ut placeat Deo per alium, Moſem puta, eos alloqui, Dei penes ipſos Internuntium futurum. Pluribus hæc traduntur *Exod.* 20: 18. *& ſeqq. Ipſe autem populus totus percipiebant illos ſonos & fulgetra, & ſonum tubæ, montemque ipſum fumantem, percipienſque populus commoti ſunt loco, & ſteterunt procul; dixerunt itaque Moſi, loquere tu nobiſcum, & audiemus, ſed ne loquatur nobiſcum Deus, ut non moriamur. Edixit vero Moſis populo ipſi, ne timeatis, nam ut tentaret vos venit Deus ipſe, & ut ſit timor ejus ante faciem veſtram, ne peccetis. Stabat ergo populus ipſe procul; Moſe vero acceſſit ad illam caliginem, ubi erat Deus.* Et *Deut.* 5: 22–27. poſt repetitum Decalogum hæc leguntur: *Hæc verba edixit* JE-

HO-

HOVA *toti congregationi veſtræ in ipſo monte, e medio ignis nubis & caliginis, voce magna, neque ulterius perrexit, ſed inſcripſit illa duabus tabulis lapideis quas dedit mihi. Fuit enim quum audiſſetis vocem illam e medio tenebrarum illarum & montis ardentis igne, ut accederetis ad me, omnes primores tribuum veſtrarum, & ſeniores veſtri: & dixiſtis; en oſtendit nobis* JEHOVA *Deus noſter gloriam ſuam, & vocem ejus audivimus ex medio ignis; hodierno die vidimus, quando Deus cum homine locutus eſt, hominem etiam vivere. Nunc itaque quare moreremur? nam abſumeret nos ignis ille magnus, ſi pergeremus deinceps audire vocem Dei noſtri, utique moreremur. Nam quæ eſt ulla caro, quæ audita voce Dei loquentis e medio ignis ſicut nos, deinde vixerit? Accede tu* (Moſe puta) *& audi quæcunque dicturus eſt* JEHOVA *Deus noſter: deinde tu eloquitor nobis quæcunque edixerit* JEHOVA *Deus noſter tibi, ut audiamus faciamuſque.* Quam petitionem ipſorum ratam fecit Deus. Ita quippe pergit hiſtoria Sacra *vers.* 28. *ſeqq. Audiens itaque* JEHOVA *vocem verborum veſtrorum, quum alloqueremini me, dixit* JEHOVA *mihi: audivi vocem verborum populi hujus, quibus allocuti ſunt te; quæcunque locuti ſunt, bene ſunt locuti. O ſi eſſet hic eorum animus illis, ad timendum me, & obſervanda omnia præcepta mea omnibus diebus, ut bene eſſet eis & filiis eorum in ſæculum. I, edic illis, revertimini ad tentoria veſtra. Tu autem conſiſte hic apud me, & edicam tibi omnia præcepta ſtatutaque, & judicia illa quæ docebis eos; ut exerceant illa in ea terra, quam ego do eis poſſidendam hæreditario jure.* Quibus verbis ſi adjicias verba noſtro hoc Textu comprehenſa, a Moſe ibi *Cap.* 5. reſervata, & hic demum *Cap.* 18. prolata, ſequetur duos a Deo Iſraëli addictos fuiſſe Internuntios, Moſem quidem alterum; alterum verò Prophetam illum hic promiſſum: Moſi ergo reſpectu hujus muneris parem, non vulgarem, ſed eximium quendam: ſive jam Iſraël petierit tantùm unicum Internuntium, Moſen ſcilicet, Deus verò eâ occaſione & alterum hunc melioremque adjecerit, quod ſimplicitas hiſtoriæ videtur ſuadere; ſive etiam Iſraël directè Meſſiam ipſum etiam efflagi-

taverit, qualia jam olim putavit Conr. Pellicanus in *h. l.* *Hunc*, ait, *ab initio poſtulaverunt & deſideraverunt electi omnes, maxime autem in monte Horeb, quum pro horribili voce eos alloquente oraverunt, ut humaniore ſpecie & tolerabiliore adſpectu loqueretur Dominus, quo ferri poſſet ſuavius verbum Domini.* Quin & ipſe inter Judæos Abarbanel hic ita commentatur: *Conſenſit*, inquit, *Dominus Benedictus verbo ipſorum, dicens; bene fecerunt in eo quod locuti ſunt, ut eſſet mediator inter ſe & ipſos: hic enim eſt Propheta, quem excitabit ipſis.* Poteſt in hanc rem quoque conſuli Clar. Jac. Altingius, in laudata ante *Diſſertation.* VII. *Heptad.* V. §. 7. ex cujus eruditiſſimis Obſervationibus in *h. l.*me hæc, quod ad ſummam rei, addidiciſſe candidè agnoſco.

Qualis ergo etiam foret Propheta ille Moſi par futurus; non tamen eorundem verborum: uti rationibus oſtenditur variis ex Altingio.

XX. Ex hoc vero fundamento tum porro idem Vir Doctiſſimus infert, *Moſem* & noſtrum *Prophetam* a Deo quidem voluntatis ſuæ deſignatos fuiſſe Interpretes, non autem *eorundem* plane *verborum.* Quod ita ſe habere demonſtrare aggreditur his fere argumentis, quæ ſummatim ad hæc capita reducam. 1. Si *eorundem verborum* forent Interpretes, tunc ſuffeciſſet prior, & poſteriore neutiquam fuiſſet opus. 2. Singulari enim tali & extraordinario præter ſe Interprete non indigebat Moſes, cùm clare ſatis & diſtincte omnia ſuis ſcriptis explanaverit. 3. Quia hic promittitur Propheta, ipſius Dei futurus interpres. Si verò ad verba Moſaica is adſtrictus ita foret, ut eadem tantùm loqueretur, tum ſane non tam verborum Dei, quam verborum Moſis eſſet interpres, quales omnes reliqui revera exſtiterunt Prophetæ ſequentes: juxta præceptum illud *Mal.* 4: 4. *Recordamini Legis Moſis ſervi mei, cui præcepi, in Horebo* perferenda *ad totum Iſraëlem ſtatuta & jura.* Quo ipſo canon clauditur Veteris Teſt. atque ita nihil haberet hic Noſter peculiare, quô vel illos ſuperet, vel Moſi æquiparetur. Ex quibus proin non male colligitur, huic Prophetæ, tanquam ipſius Dei futuro internuntio, non minus quàm Moſes fuerat, uti Moſes novas Iſraëli leges & ſtatuta Dei nomine propoſuerat antehac nondum lata; itidem Deum

aliam

aliam committere velle doctrinam, ab illa Moſaica prorſus diſtinctam, Eccleſiæ ſuæ proponendam. Quod ſane evincunt ſequentia *vers.* 18. *Indam verba mea* (non *verba Moſis*, aut verba mea *per Moſen* olim dicta, ſed verba etiamnum inmediate *mea*) *ori ejus, ut eloquatur eis quicquid præcepero eis.* Et *vers.* 19. *Erit autem, ut quiſquis non auſcultaverit verbis meis, quæ locuturus eſt in nomine meo, ego repoſcam ab illo.* Quô ſignificatur eum locuturum verba Iſraëli hucuſque non audita, ad quæ nova denuo efflagitaretur *Audientia.* Accedit, quod Iſraëlitæ petierunt internuntium inter Deum & ſe ipſos, non *ratione eorum quæ jam à Deo ipſo audierant*, & per quæ fuerant conterriti, *ſed* ratione eorum, *quæ deinceps adhuc audienda ſupererant. Atque hoc indulſerat illis Deus, ut partim Moſem, partim futurum illum Prophetam audirent, in iis quæ poſtmodum iis revelanda haberet.* Quô ipſo *audienda* illa in duplex genus verborum diſpeſcuntur. Aliàs enim, ut dictum eſt ſuprà, duplici internuntio nihil opus fuiſſet, neque duplici revelationis tempore. Cur enim dimidia pars ejuſdem ſyſtematis per Moſen nunc, altera pars poſt ſecula multa per alium Prophetam enuntiabitur, ſi pars hæc poſterior non comprehendat nova, & alterius generis verba?

Etiam ex Coccejo.

XXI. Non poſſum quin hic appingam conſenſum Celeb. Joan. Cocceji, jam longe ante in *h. l.* ſimilia, quod ad rem ipſam, commentati *Conſiderat. ad Ultim. Moſis* §. 988. Etenim, poſtquam citaſſet Textus noſtri verba, *parem tibi* (i. e. *neutiquam minorem te*) *& loquetur verba mea*, ſic ſcribit: *In eo major eſt Moſe, quod Moſes* e terra locutus eſt, *ut omnes alii viri Dei, ſine auctoritate inſita: hic autem* verba Dei loquitur, *Joan.* 3: 31. 34. *h. e. hoc loquitur, quod Deum decet loqui, cum auctoritate & ἐξουσίᾳ: quale eſt illud verbum:* Reſpicite ad me, & ſalvamini omnes fines terra, *Eſai.* 45: 22. *quod Moſes loqui non potuit; ſed hic Propheta loquetur, & Deus ei hoc loquenti atteſtabitur. Quod non tantum experientia, ſed & prophetia demonſtrat (ut ex omnibus teſtimoniis colligere eſt) & ipſa emphaſis iſtius dicti. Si enim nihil amplius debuit dici, quam quod Moſes dixerat (quod quidem, quoad rem, veriſſimum*

eſt) neque alio modo debuit dici, quam quo Moſes id dixerat; quid opus erat Prophetam promitti, qui loqueretur verba Dei, & hac ipſa differentia à Moſe diſtingueretur? Imo, quum Moſes dixerit, Deum habere verba quæ ſuo tempore locuturus eſſet ad populum, (*de quo Deut.* 30: 12. Propinquum erit hoc verbum in ore tuo, & in corde tuo) *& hic dicat, ea locuturum Prophetam ex fratribus excitatum parem Moſi, utique intelligitur, eum locuturum ut* teſtem, principem & præceptorem, *quod dicit Eſai.* 55: 4. *ut* legem ſuam *Eſai.* 42: 4. *Hæc ſunt verba, quibus prædicatur annus gratiæ, libertas & conſolatio omnibus lugentibus, Eſai.* 61: *vers.* 1. *&* 2.

3. Iſraëlis erga illum illuſtrem Virum officium exigitur, quod audiendus *foret, non minus quàm Moſes auditus fuit.*

XXII. Atque ſic quidem hujus Prophetæ cum Moſe *paritatem* perluſtravimus. Reſtat examinandum Iſraëlitarum erga hunc Prophetam *Officium*, quod ita effertur אליו תשמעון / *ipſum audietis. Audiendi* etiam erant Moſes & omnes Prophetæ, in credendis iis, quæ dicebant, & faciendis, quæ mandabant: conf. *Luc.* 16: 23. Hic quippe unicus erat miſſionis eorum finis: proinde non minus audiendus foret noſter Propheta eo ipſo, quia foret Propheta. Veruntamen id generale nimis videtur, quàm ut emphaſin præcepti tam expreſſe dati, *iſtum audietis*, plane exhauriat. Revocandum hic itaque in memoriam, Prophetam hunc a Deo Iſraëli promiſſum eſſe, ubi Iſraël deprecabatur, ne Deus ipſe terribili illa ratione amplius ad ſeſe loqueretur. Unde ergo ſequitur, quod æque ac Deus pergens loquendo audiendus fuiſſet cum ſubjectione plane omnimoda, ita & eundem in modum hic Propheta audiendus foret, ac ſi ipſe eſſet Deus adhuc loquens; uti diſerte dicitur: *Indam verba mea ori ipſius*, locuturi locô ipſius Dei. Quamobrem adeo ſevera etiam additur ſanctio exterminii pœnam duriſſimam complexa *vers.* 19. *Erit enim ut quiſquis non auſcultaverit verbis meis, quæ locuturus eſt in nomine meo, ego repoſcam ab eo.* Ita enim intellectum fuiſſe hoc ultimum dictum de graviori pœna inter Judæos priſcos, ſatis perſpicuum eſt ex *Actor.* 3: 23. ubi Petrus idem allegans explicat per *diſperdetur*, ſive *exterminabitur e populo ſuo.*

XXIII.

XXIII. Eſt tamen præterea aliud quid phraſi illa, *Ego indam verba mea ori ejus*, ſignificatum. *Primùm* ſcilicet, nondum omnia Dei verba hucuſque per Moſem eſſe pronunciata, ſed reſervari adhuc quædam ſuo demum tempore per hunc Prophetam dicenda. Et ea quidem, *Secundò*, talia Dei verba, quæ a Deo non tantùm profecta ſunt, ſed & quæ nemini, quæ non ipſe ſit Deus, eloquenda tradi poſſunt: qualia ſunt ex gr. *Reſpicite ad me, & ſalvemini omnes fines terræ, Eſai.* 45: 22. h. e. credite mihi, & in me, quod in me ſit juſtitia, ſalus, victoria. Quæ profectò quærere in non-Deo, injurium Deo vero eſſet & blaſphemum. Hic verò ipſe dicit Deus: *Ponam verba mea in ore ejus.* Non ergo ipſe ea ſibi blaſpheme arrogabit, ſed loquetur verba mea velut ſua, quia ego JEHOVA promittens, & Propheta ille promiſſus erimus unum. Adeoque non fuerit ille nudus duntaxat Moſaicæ Legis interpres, ſed verus Legis Dominus. Quæ animadverſiones tantò magis arguunt eum idcirco quàm maxime *audiendum* fore.

Quin potius magis, quod Deus ſua verba ejus ori inderet.

XXIV. Quod neque ipſi inficiantur Judæi: quorum ideo Magiſtri hujus præcepti vim ponderantes, de noſtro Propheta tradunt magnifica prorſus & excellentia. Horum nonnulla huc adſcripſiſſe non pigebit. Notatu dignum eſt quod citat Cel. Witzius noſter *de Principiis fidei Judaicæ* pag. m. 90. ex *Maſſech.* יבמות *Cap.* 10. בא שמע אליו וכו׳ *Veni, audi, eum audietis* (hunc ſcil. qui *Deut.* 18. promittitur) *etiamſi tibi dicat, transgredere aliquod ex præceptis Legis, quod & Elias fecit in monte Carmel, omnia pro re nata, audias illum.* Quod & Maimonides pluribus habet *de Fundamentis Legis Cap.* 9. §. 5, 6. Ita enim habet §. 5. אם יאמר לנו הנביא שנודע וכו׳ / Quæ ex verſione Guil. Vorſtii ſic ſonant: *Si dixerit nobis Propheta, de quo conſtat nobis eum eſſe Prophetam, violandum eſſe unum ex omnibus præceptis, quæ recenſentur in Lege, vel præcepta multa, tam levia, quam gravia, pro brevi tempore tum mandatum eſt, ut ei auſcultemus.* Et §. 6. וכן למדנו מחכמים ראשונים מפי השמועה וכו׳ / *Atque ſic didicimus per*

Quod per notabilia dicta Judæorum confirmatur ex Maſſecheth, Jarcho, Seldeno, Vorſtio.

per traditionem à priſcis ſapientibus: in qualibet re cum dixerit tibi Propheta; tranſgredere verba Legis, ſicut Elihu fecit in monte Carmel, audi eum, præterquam in idololatria: *cum vid. aliquid pro certo tempore futurum eſt; ſic Elihu obtulit holocauſtum in extraneo* (loco) *licet Jeruſalem ad hoc electa eſſet; qui autem offerebat in alieno loco, is reus evadebat exterminii; ſed quia erat Propheta, præceptum nobis fuit, ut ei auſcultaremus. Atque hinc etiam dicitur;* Audietis eum. Ad quæ porro in *Notis* ſuis idem Vorſtius ad *loc. cit. Poſſunt*, inquit, *huic addi 2 Chron.* 29: 15. *de celebritate paſchatis ſecundo menſe peragenda, contra inſtitutum de quarto menſe celebrando iſtud feſtum 2 Par.* 20: 2. *uti* & *illud 2 Sam.* 21. *de viris per ſeptem menſes ſuſpenſis, contra expreſſam legem Deut.* 21: 23. quia hæc tulerat eodem die, quô ſuſpenſum fuerat funus, terræ mandandum eſſe. Et Wagenſeilius ad hæc ipſa Maimonidis verba eleganti ratiocinatione rem præſentem illuſtrante obſervat in *Confutat. Carm. Lipmanni p.* 549. *Quod ſi igitur quibuſounque Prophetis promiſcue fas eſt, ad tempus aliquod Moſaicis legibus contraria agere, & agenda imperare, cujus rei veniam, præter antiquam traditionem, Judæi amplius, etiamſi gratis fortaſſe ex illo Pſalm.* 119: 126. *probare ſatagunt* עת לעשות ליהוה הפרו תורתך / *hoc eſt; ut ipſi explicant:* Nunc tempus eſt Deo operari (*ejusque honori veliſicari*) itaque violarunt Legem tuam. v. *lib. Halich. Olam Cap.* 1. *debet proinde amplior facultas Meſſiæ competere, quatenus ipſum Moſen*, qui אדון הנביאים / Dominus Prophetarum *Judæis vulgo audit, dignitate longe eſt ſuperaturus. Et vero, nec diſſimulat ipſe Deus in verbis modo allatis diverſa ab iis, quæ ſuo nomine Moſes promulgaſſet, allaturum Meſſiam, uſque obſequium præſtare jubet ſub comminatione graviſſima.* Addiderim his Sal. Jarchum in *Deut.* 18: 22. quem dabo ex verſione Breithaupti: *Ex ore Dei ego dico, jam antea præceptum iis datum eſt, ſi venerit* (*Propheta*) *ut te abſtrahat ab una ex omnibus præceptis, ei non obtemperare debeas, niſi adeo excellens tibi ſit iſte* (*Propheta*) *at perfecte juſtus ſit, veluti Elias*

in

in monte Carmel, qui obtulit (ſacrificium) in excelſo eo tempore, quo excelſa erant prohibita, ut is ſepem obduceret Iſraëlitis, omnia pro neceſſaria temporis ratione, & ut rupturam reficeret; idcirco dicitur: Ei auſcultabis. In quæ Jarchi verba ita eleganter video commentatum Jo. Seldenum *de Synedriis* L. 3. *C.* 6. §. 2. ut vix videam quid ſuperaddi queat.

B. Specialior Subjecti inquiſitio ex Prædicatis: ubi ex variantibus opiniombus quæritur de Propheta illo Moſi pari.

XXV. Ex his videmus quanto conſenſu veteres Judæi ſingularia, extraordinaria & nova dogmata ab hoc Propheta exſpectaverint, eò ſcilicet uſque, ut ipſam forſan Legem ceremonialem aboliturus eſſet; certè, ſi eam aboleret, tamen *audiendus* eſſet. Quæ omnia multò illuſtriora erunt, ubi verum horum prædicatorum ſubjectum invenerimus. De hoc vero *Subjecto* multa offeruntur cùm a Judæis, tum a Chriſtianis, in quæ prædicata hæc convenire poſſe putent: quorum tamen ſingulas recenſere ſententias & majoris eſſet operæ, & minoris neceſſitatis. Potiſſima igitur ſeligentes, principes hic illic memorabimus Commentatores, penes quos hæc plenius diducta, ſi ita lubet, videri poſſunt.

R. An per eum deſignetur totus Prophetarum chorus poſt Moſem? ut Judæi multi & Chriſtiani; non Pontificii tantùm, ſed & cum Calvino multi Reformati.

XXVI. Non deſunt inter Judæos pariter & Chriſtianos multi, per *Prophetam* hic intelligentes omnes Veteris Teſt. Prophetas, quos Deus ſucceſſive poſt Moſem Hebræis ſubmiſit, ad iis annuntiandum verbum ſuum. Adeo ut *Prophetа* hic loci per enallagen numeri ſumatur pro *Prophetis*, Moſi auctoritate & fide paribus, & quorum perpetuum inter ipſos omnibus ſeculis ordinem fuiſſe, continuatam ſemper ſeriem, ac ſucceſſionem non interruptam, gloriantur Judæi, non minus ac illam Sacerdotum, quæ penes ipſos manſerit ad minimum uſque ad tempora Antiochi Epiphanis. Huc collimat Paraphraſis Jonathanis in *h. l. Quoniam populi iſti, quos poſſeſſuri eſtis, præſtigiis & divinationibus auſcultant; vos autem non ſimiles illis eritis, ſed ſacerdotes interrogabunt per Urim & Thummim,* ונביא תריצייא / *nam Prophetam rectitudinum dabit vobis Dominus Deus veſter.* R. Salomo Jarchus ita argumentatur: *Conſtituet tibi Deus Prophetam loco mei, atque ita de Propheta ad Prophetam*; h. e. de uno Propheta ad alium ſucceſſive. Cum quo faciunt Nachmanides, Lipmannus,

nus, R. Iſaäcus, Auctor Libri Nizzachon, alii complures, præcipue Recentiores. Ex quibus unum indictum hic præterire nolui, cùm quia eruditiſſimus fuit, & nonnullos tractatus conſcripſit; Ex. gr. in *Eſaiæ Caput* 53. quod totum de afflictionibus Iſraëliticæ genti immiſſis explicuit; tum etiam, quia notabilem de eo memorare poſſum hiſtoriam, nullibi, quantum ſcio, publicis typis legendam, ſed mecum a Viro Reverendo ejus gnaro communicatam. Erat is nomine Iſaäcus Orobio de Caſtro, Amſtelædami, dum juvenis eram, Medicinam faciens, & mihi ipſi ægrotanti opitulatus, ſocer R. Davidis Sarphati Pinæ, celebris in Synagoga Judaica dictæ urbis Rabbinus, quo in Hebraicis ego Doctore uſus fui: cum quo poſteriore etiam illas per epiſtolarum commercium exercuit de Religione Chriſtiana Diſputationes, (rariſſimo ſane inter tanti faſtigii Viros, eoque tanto magis apud poſteros admirando exemplo) ¡Ampliſſimus Conr. a Beuningen, urbis Amſtelædamenſis, dum viveret, Conſul, quæ typis Belgicis exſtant. Hujus ergo Pinæ ſocer qui Inquiſitionis duram paſſus eſt crucem, quam hiſtoriam pluribus enarrat Phil Limburgius *Hiſtor. Inquiſitionis* p. 323. & à Judaiſmo apoſtata factus, non Chriſtiani tantùm nominis perſonam, ſed & Chriſtiani Profeſſoris publicum, Tholoſæ in Gallia, ſuſtinuerat munus. Ibi verò a Judæo ſibi obviam facto agnitus, dum cum toga ad prælectiones publicas in Academiam tendit, & admonitus Deum apoſtaſiam eam ei fortè remiſſurum, nequaquam verò, quod publicas Chriſtianam religionem docendi partes obiret, remiſſurum ei vel in hoc, vel futuro ſeculo, adeo expavit, ut ilico ſe clam fugâ inde ſubduxerit, & Amſtelædamum tandem delatus in illa urbe Medicinæ artem Judæus obduratus ad finem uſque vitæ exercuerit. Poſtquam hæc ante multos annos ſcripſeram, incidi nunc in verſionem Belgicam iſtius *Amicæ Collationis* mox memorandæ, editam Amſtelædami Ao. 1723. in cujus Præfatione brevis vitæ dicti Orobionis hiſtoria exhibetur; non autem video hujus caſus mentionem fieri, quem certiſſimum tamen contigiſſe traditione accepi. Eſtque hic ipſe ille, cum quo *Amicam illam de veritate Religionis*

nis Chriſtianæ collationem habuit Phil. a Limborch, quæ exſtat ſub hoc ipſo titulo impreſſa Goudæ, Ao. 1687. Is verò in primo ſuo ſcripto hæc habet p. 1. ad verba Textus noſtri: *Vel loquitur de Joſua*, inquit, *vel de ſucceſſuris Prophetis*: & tunc in ſententiæ ſuæ ſubſidium vocat Calvinum, addens: *ut explicat Joannes Calvinus ad orationem Stephani Martyris.* Neque, quod ad ſummam rei, abit Limborchius in reſponſo ſuo p. 4. *Verba Moſis Deut.* 18. *non de Joſua, ſed de Prophetis Moſem ſecuturis, recte explicat Calvinus.* Inter Pontificios ſunt Nic. Lyranus, Alphonſus Toſtatus, Paulus Burgenſis, Corn. a Lapide, pluresque. Si Noſtros conſulamus Theologos, agmen hic ducat magnus Jo. Calvinus, qui ſuo *Comment.* ad *Act.* 3: 22. hæc habet: *Quæſtio hic occurrit, quod ſcilicet Petrus ad Chriſti perſonam accommodat, quod in genere dixerat Moſes de Prophetis. Tametſi enim Prophetam nominat ſingulari numero, contextus tamen clare indicat, non de uno tantum haberi ſermonem, ſed indefinite nomen hoc poni. Poſtquam enim vetuit Moſes, ne populus gentium ſuperſtitionibus ſe dedat, declinando ad magos & ariolos, ſimul remedium oſtendit quo ſibi ab omni vanitate caveat: nempe, ſi totus pendeat ab unico verbo Dei. Hac ratione promittit Deo curæ futurum, ut Prophetas ſemper habeat, qui rite eum doceant. Ac ſi diceret, Deus nunquam vos Prophetis deſtituet, a quibus diſcatis quicquid erit vobis utile cognitu. Et nominatim dicit Moſes,* Ex fratribus tuis: *ut ſciant Judæi non aliunde petenda eſſe Dei oracula, quum Deus ex genere Abrahæ doctores illis deſtinaſſet. Addit præterea,* ſicut me: *ut ſciant non uno duntaxat tempore, nec per os unius hominis audiendum eſſe Deum; ſed quemadmodum continua ætatum ſerie per varios miniſtros Deus nos docere pergit, ita in obedientia verbi pergendum nobis eſſe. Jam ad Moſis reverentiam aſſueti erant Judæi: itaque Prophetis eundem honorem conciliat.* Tunc pergit: *Scio quoſdam multum laborare ut ad Chriſtum reſtringant. Arripiunt verbum iſtud, quod Moſes Prophetam ſimilem ſibi fore teſtatur: quum tamen ſcriptum ſit nullum talem reſurrexiſſe. Fateor eandem ſimilitudinis notam utroque loco poni; ſed diverſo ſenſu.*

Nam ſecundo loco paritas vel æqualitas exprimitur, quemadmodum clare apparet. Arripiunt etiam aliud, quod Moſe futurus ſit excellentior Propheta, cui ille teſtimonium tanquam præco reddit. Sed hoc nihilo magis eſt validum, quia ſimpliciter fidem verbo Dei aſſerere vult Moſes, per quoſcunque afferatur. Non eſt ergo cur nos Judæis ridendos propinemus, violenter torquentes Moſis verba, quaſi ſolum Chriſtum hic deſignet. Tunc magnus Interpres hanc nihilominus Prophetiam quoque Chriſto accommodaturus, *videndum eſt tamen*, inquit, *an apte adductum ſit teſtimonium a Petro, cujus auctoritas pro ſolida ratione nobis eſſe debet. Dico, in Petri ſermone nihil eſſe quod non optime conveniat. Vidit enim quod inter omnes confeſſum eſſe decet, ſic pertinere hoc elogium ad alios Prophetas, ut tamen præcipue Chriſtum commendet: non modo quia omnium Prophetarum eſt princeps, ſed quod in ipſum dirigebantur omnes ſuperiores prophetiæ, & quod tandem Deus per os ejus abſolute locutus eſt* &c. Similiter ferme ad *Actor.* 7: 37. quem Calvini locum ab Orobione tactum ſuprà dicebam: *Prophetam vobis ſuſcitabit* &c. *His verbis*, inquit, *non dubium eſt quin probare velit Stephanus, Chriſtum eſſe finem Legis* &c. *Porro ſupra Capite tertio diximus ſic rite hoc teſtimonium aptari Chriſto, ut tamen aliis quoque Prophetis conveniat. Poſtquam enim Moſes populum vetuit huc illuc pravis Gentium ſuperſtitionibus jactari, quidnam ſequi debeat, oſtendit. Non eſt, inquit, quod magos tibi vel ariolos appetas: Deus enim nunquam te Prophetis deſtituet, qui te fideliter erudiant. Jam vero certum eſt temporale fuiſſe Prophetarum miniſterium, ſicuti Legis; donec Chriſtus plenam ſapientiæ perfectionem mundo afferret* &c. Vides, Lector, quomodo primo loco intelligat Prophetarum ſucceſſionem, verùm, ut recte quoque Limborgius ipſe obſervavit *loc. cit. Ita tamen*, inquit, *ut etiam præcipue Meſſiam, tanquam omnium Prophetarum finem ac complementum expreſſe intelligi voluerit. Et ratio id ſuadens evidens eſt: quia verba hæc, ſi vis earum rectè attendatur, ſuadent Prophetam majorem etiam intelligendum eſſe: quia inter Veteris Teſtamenti Prophetas nemo fuit ſimilis Moſi.* In hac quoque ſententia eſt

Sim.

Sim. Epiſcopius, cui noſtra verba *videntur omnino arguere Deum non de uno aliquo ſingulari Propheta aliquando mittendo, ſed de variis Prophetis ſubinde vel ſucceſſive mittendis locutum eſſe. Attamen*, (inquit) *ſi proprius ac penitius introſpiciantur verba, ea omnino videntur arguere Dei ſcopum & propoſitum fuiſſe, indicare, ſe certum & ſingularem aliquem Prophetam, Moſi quoad Legislationem parem, aliquando ſuſcitaturum eſſe, ſic tamen ut etiam non obſcure indicet ſe & alios interim miſſurum eſſe* &c. Quod pluribus proſequitur *Inſtitut. Theol. L. 3. C. 8.* Magna autem Calvini auctoritas fecit, ut plurimi ex Noſtris ejus ſententiæ ſubſcripſerint: uti & inter Anglos Joan. Ligtfootus in *Chron. Temp.* ſive *Ord. Textum N. T. Sect. 53. Oper. Tom. 2. p. 33. Prophetam*, i. e. *ſucceſſionem Prophetarum, uſque dum venerit* magnus ille Propheta, *qui viſionem & prophetiam obſignaret.* Nec diſſentit ejus conterraneus Reverendiſſ. Præſul Eduard. Stillingfleetus *de Originib. Sacr. L. 2. C. 4. in initio*; ubi non modò Commentatores alios præteritorum nuper ſeculorum citat, Calvinum, Fagium, Martyrem; verùm & inter Patres Origenem *Lib. 1. contra Celſum:* cujus verba poſt eum adducta quoque video a Clar. Jo. Clerico, ab hac etiam ſententia non alieno, & non tantùm Illuſtr. Grotium hic ſequente, ſed, quod vel maxime mirandum, in hujus ſententiæ ſubſidium vocante ipſos Judæos, & Paraphraſten Jonathanem, quos alias tanquam nugatores flocci pendere ſolet; de quo egi ante *Lib. 1. p. 199, 200.* Alium præterea & longè uberiorem catalogum eorum, qui in hac verſantur ſententia, adductis etiam ipſis Commentatorum verbis, poſt has Diſputationes Ao. 1711. a me editas, exhibuit Collega meus Clar. Marckius in ſua in *h. l.* Diſſertatione, in *Sylloge Diſſertat. ad Select. Text. Vet. T. Diſſert. 14. p. 468. & ſeqq.* Et inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos (qui vel maxime aliàs hoc nomine Noſtros convitioſe exagitare ſolent tanquam Calvinianos) video Theod. Hackſpanium, in *Notis Philol.* in hujus Capitis *verſ. 18. qui non audierit verbis meis, quæ loquetur in nomine meo, ego ab ipſo requiram*, ita ſcribentem: *Cum exſecutio hujus comminationis etiam*

locum habuerit in aliis quibuſcunque Prophetis, (vid. exempla in Saulo, quia Samueli Prophetæ non paruit, pœnam divinitus dante, conf. *Sam.* 10: 8. 15: 3. 13: 13. 15: 16–27. & in illo Propheta 1 Reg. 20: 35. *& ſeqq.*) *nil cauſæ invenio, cur eos excludam. Accedit, quod hac ratione vel promiſſione Deus ſubvenire voluit Iſraëlitis jugiter atque conſtanter, ne eſſet cur ad hariolos diverterent; unde, cum Saulo Numen per Prophetas non reſponderet amplius, Pythoniſſam conſuluit* 1 *Sam.* 28: 6. *& ſeqq. Proinde collectu proclive eſt non notari ſolum Meſſiam, quò pollicitationi reſpondeat finis & intentio.* Hactenus de illis, qui Prophetarum chorum hic intelligi etiam volunt.

Quorum argumenta recenſentur.

XXVII. Horum verò rationes præcipuas ego hic examinabo, quæ iſtæ ſint potiſſimum. I. Ex *Antecedentibus*; ubi admonuerat Iſraëlitas Moſes, *ne conſulerent augures:* atque pro ratione addiderat, quia *Deus ipſis erat excitaturus Prophetam*, quem conſulere poſſent: adeo ut haud opus foret, neque deceret ipſos conſulere illos augures, cùm ad manum haberent Prophetam meliorem a Deo ipſis datum. Atque *ille* Propheta, inquiunt, non poteſt eſſe unus aliquis Propheta: tum enim ratio illa a Moſe addita parum firma eſſet, quandoquidem eô non exſtante amplius, neminem porro alium, quem conſulere poſſent, haberent. Neque ille etiam Meſſias ſolus eſſe poteſt; quoniam Iſraëlitæ illi, quibus Moſes id proponit, neque tunc temporis, neque ſeculis ſecuturis multis Meſſiam conſulere valerent; utpote qui poſt hanc promiſſionem Iſraëlitis datam, demum eſt ſuſcitatus diu, & quidem poſt interventum fere bis mille annorum. Capiunt itaque de toto Prophetarum Moſem ſecuturorum choro, quorum aliquos ad nutum ſuum paratos habere, atque conſulere poſſent, ubi neceſſe haberent. II. Eſt inſuper ratio alia, quam & urget laudatus modò Stillingfleetius, eamque arceſſit ex ſequenti *verſ.* 20 & 21. *hujus Cap.* ubi talia proponuntur ſigna, ex quibus omnes *falſi* Prophetæ a *veris* diſcerni per Iſraëlitas poſſent ac deberent: & quæ proinde ſigna non adeo ad rem factura viderentur, ſi in modo præſenti *verſ.* 18 & 19. per *Prophetam a Deo ſuſcitandum*, intelli-

ligendus fuiſſet unus Meſſias, & non potius totus Prophetarum ſurrecturorum ordo. III. Addunt porro, ut hanc explicationem magis adhuc probabilem faciant, quod τῦ נביא/ *Prophetæ*, in ſingulari hic mentio fiat, & non τῶν נביאים/ *Prophetarum*, tanquam plurium, id nemini debere mirum videri, quoniam vel Proteſtantium plurimi in eo conveniunt, quod in Sacris per τὸν Ἀντίχριστον, ſimili modo loquendi, non una adeo intelligenda ſit perſona, quàm quidem plurium ordo ac ſucceſſio, ſe invicem eodem in munere excipientium: itaque eodem modo per *Prophetam* hic quoque perpetuam Prophetarum ad Meſſiam uſque in Eccleſia Iſraëlitica ſucceſſionem intelligi poſſe. Quod vel ipſa experientia confirmatum fuerit, cùm ſemper vel Prophetas, vel Judices ſuo Spiritu actos Deus hac in gente ſuſcitaverit, quos in rebus dubiis conſulere poſſent. Meretur conferri Eruditus Præſul *loc. cit.*

XXVIII. Ad nos quod attinet, ultro damus hanc ſententiam fidei analogiæ nequaquam eſſe adverſam: quin & poſſe itidem hæc verba ad Prophetarum, Moſis tempora ſubſecuturorum, ſeriem, quos in rebus dubiis tutius conſulere poſſent, quàm vel aruſpices, vel ariolos, quodammodo per accommodationem applicari. Veruntamen ut dicamus, quod res eſt, non arbitramur nos de toto illo Prophetarum choro Moſem hic loqui, at verò de *uno* duntaxat *Propheta*, qui talis ſit κατ' ἐξοχήν, & hoc nomine & munere revera præomnibus aliis digniſſimus. Atque ſic arbitrandum putamus ob ſequentes rationes. 1. Ob formam ſingularem τῦ נביא/ *unum* ſignificantis *Prophetam*, non verò *totam ſeriem*, de qua dicitur 2 *Reg.* 17: 23. *Omnes Prophetæ*. Quod enim Illuſtr. Stillingfleetus ait de voce *Antichriſti*, per eam non unam, at plures intelligi perſonas ſibi invicem ſuccedentes, id, ſi quid judico, ad rem præſentem nihil quicquam facit. Etenim circumſtantiae locorum, in quibus vox *Antichriſti* ita accipienda eſt, valde differunt ab hoc Moſis loco. Loquitur nempe Joannes Apoſtolus de *Antichriſto* in genere, ſine perſonæ ſingularis in ſpecie deſignatione. Atque hoc evi-

Oſtenditur verò non poſſe Deut. 18. totum Prophetarum chorum deſignari: quia a. in Singulari promittitur Propheta.

dentiſſime patet ex eo, quod addat aliquod, non ſingulare, ſed generale criterium, unde ille ipſi nominatus Antichriſtus dignoſci poſſit. Ait *eum eſſe Antichriſtum, qui negat Jeſum veniſſe in carnem*, 2 *Epiſt. vers.* 7. id eſt, qui non quidem ἀυτολέξει, & totidem verbis id negat, ſed qui talia docet ac profitetur, quibus fundamentalis hæc ſubvertitur veritas *Jeſum in carnem veniſſe*. Iſtud autem facit non *una* modò *perſona* certa, at omnes illi, qui Papalem ſequuntur ac defendunt doctrinam, ac proinde illi omnes ſunt Antichriſti, & unuſquiſque ex ipſis *Antichriſtus* eſt, id eſt, Chriſti adverſarius & hoſtis. Contrà autem hic loci prædicatum aliquod, ſive criterium additur, non generale, & quod pluribus commune fuit, aut eſſe potuit; ſed prorſus ſingulare, & quod nemini, præterquam uni huic Prophetæ hic promiſſo competere poſſit. De tali enim *Propheta* loquitur Moſes, qui *ei ſimilis* fore prædicatur. Jam verò quæſiverim vel ex Judæis, vel Chriſtianorum ullo, an in tota iſthac Prophetarum ſibi mutuò ſuccedentium ſerie, omnes & ſinguli *Moſi pares* exſtiterint? quod cùm nemo affirmaverit unquam, patet ergo ex ipſis circumſtantiis horum locorum, quod non debeant inter ſeſe comparari. Novi equidem hic dici, Prophetas a Deo poſt Moſem miſſos *Moſi* & auctoritate & fidelitate *pares* dici poſſe; utpote qui æquè ac Moſes verba Dei viventis a Deo in mandatis accepta ad populum fideliter retulerint, & alias præterea cum illo convenientias habuerint, quarum & multas ſolent inter hos ſubſequentes Prophetas & Moſem quærere, eaſque connectere. Verùm & iſtud novi, tanti eas & ſingulas, omneſque ſimul ſumtas nequaquam eſſe, ut divini promiſſi, quod nobis ad manum eſt, vim & magnitudinem exhauriant. Talis quippe *paritas* hic innuitur, a qua tota ſecuturorum Prophetarum ſeries diſertiſſime excluditur. Illis enim verbis, ut mihi videtur, nihil reponi jure poteſt, quæ de Moſe perhibentur *Deut.* 34: 10. *Non ſurrexit amplius in Iſraële Propheta par Moſi, quem cognovit JEHOVA in os.* Audiamus verò quid ad hæc Orobio? Dicam propriis ipſius verbis ex *Amica Collatione* p. 9.

9. cujus ante feci mentionem: *Certum quidem eſt*, ait, *quod non ſurrexerit ſicut Moſes Propheta, qui loquutus fuerit Dominum facie ad faciem. Fuerunt tamen omnes ſimiles Moſi in officio Prophetico; quamvis non gradu revelationis, qui Moſi fuit omnibus excellentior.* Hic verò rogatum vellem Judæum doctiſſimum, quomodo ipſe audeat Scriptori ſacro ita palam in os contradicere, ut cùm hìc dicat, *Prophetam ſicut me*, ille hoc explicet, *Prophetas, non ſicut me, ſed me inferiores*; & tantummodo reſpectu certo *mihi ſimiles*? Hoccine non eſt pervertere verba Dei viventis? Si Scriptor ſacer tenuem hunc ſenſum in animo habuit, cùm verbis tam emphaticis utitur, cur non loquitur prudentius, ne lector ſuus erret? Nemo enim ſine præjudicio legens iſtud SICUT ME, aliter accipiet in iſtis promiſſionis datæ circumſtantiis, quàm quod notet realem paritatem.

XXIX. De uno hic agi Propheta arbitramur II. Quia prædicata talia adduntur, quæ, ſi *Propheta* hic ſit totus Prophetarum chorus, aut ſine emphaſi addita ſint, aut etiam falſa. Primùm enim rogatos velim, ſi Prophetarum hic chorus indigitetur, quid igitur opus tam repetita deſignatione, *Suſcitabo Prophetam e medio tui, e fratribus tuis?* Reſpondent Judæi, quia ſolius Iſraëlis eſt prærogativa, ut ex eo excitentur Prophetæ. Quaſi nempe augures, a quibus audiendis Moſes Iſraëlem dehortabatur, eſſent ex ſolis Ethnicis, aut Canaänæis. Sed verò augures & falſi Prophetæ ex ipſo Iſraële ſurrexerunt; adeoque hæc non eò pertinet; ſed aliam habet emphaſin, eò pertinentem, ut magnus hic Iſraëlitis promittatur honor & gloria, quatenus tantus *Propheta par Moſi* futurus, *ex medio ipſorum prodituruseſſet*, & quæ plura ſuo loco dicturi ſumus de his phraſibus.

β. *Quia additæ prædicata partim fruſtraneæ forent, partim falſæ.*

XXX. Sed & III. Pro valida ratione id accedit, jactatam illam Prophetarum ſucceſſionem, quæ hic loci indigitata ſupponitur, nequaquam ſemper perpetuam fuiſſe; quod de temporibus Judicum adeo Moſi propinquis ex S. Scriptura ſatis conſtat. Fertur quippe 1 *Sam.* 3: 1. tempore Heli Pontificis *ſermonem* JEHOVÆ *rarum fuiſſe*, *neque viſionem apertam.*

γ. *Quia non interruptum fuiſſe talem chorum Prophetarum falsò etiam ſupponitur.*

tam. Et quid miri? A Moſis namque morte uſque ad Samuëlem nulla fit ullius Prophetæ mentio: & hoc tamen ad minimum trecentorum annorum eſt intervallum. Legantur itidem quæ exſtant 2 *Chron.* 15: 3. ubi Azarias Spiritu Dei actus, Regi Azæ prædicit, & omni Jehudæ & Benjamini, fore, ut *Iſraëlitæ per dies multos ſedeant ſine vero Deo, & Sacerdote docente, & abſque Lege*. Quod certe comprobatum fuit ipſa rerum & temporum experientiâ. Ubi, quæſo, perpetua iſthæc & haud interrupta Prophetarum ſucceſſio poſt captivitatem Babylonicam, cùm jam tempore Antiochi Epiphanis non tantùm, verùm & antè, illi ceſſare cœperint? Inde Joſephus *contra Appionem L. 1. p. m.* 1036. *Edit. Gelen. Poſt tempora Artaxerxis longimani minus exacta fuit ſucceſſio Prophetarum.* Conf. & 1 *Macch.* 4: 46 & 9: 27. Uti ad unum omnes ferme Magiſtri tradunt *Spiritum S.* ſive prophetandi donum, inter quinque eas res fuiſſe, quas ſecundo Templo defuiſſe ajunt, neque eum *Spiritum* reverſurum niſi diebus demum Meſſiæ. Et nota eſt conſtans eorum traditio, poſt Malachiam nullum alium in Iſraële ſurrexiſſe Prophetam; quem idcirco חותם הנביאים/ והאחרון הנביאים/ *Prophetarum ultimum*, & *ſigillum Prophetarum* vocare ſolent. Quod quo ſenſu intelligendum ſit, de eo impræſens non diſputamus. Cui lubet poteſt conſulere Clar. Camp. Vitringæ *Obſervat. Sacr. l. 6. C. 6. & ſeqq.* Id ſaltem conſtat, hunc Malachiam ſuam occluſiſſe prophetiam eum in modum, ut Iſraëlem amandarit *ad Legem Moſis, cui obedire debeant, donec veniat Elias, converſurus corda filiorum ad corda patrum*, Cap. 4: 4. 6. qui *Angelus iſte foret mittendus ante faciem Meſſiæ paraturus vias ejus*, Cap. 3: 1. ubi ego exiſtimem *Moſis* adeo diſertam fieri mentionem, quem *audire*, id eſt, cujus fœderis gratiæ œconomiam tamdiu ut ſatis ſufficientem retinere debeant, uſque dum hic venturus eſſet Propheta, muneris dignitate pariter & auctoritate legiſlatoria Moſi plane ſimilis, cui tum deinceps obtemperare deberent Iſraëlitæ. Quamobrem etiam finis prophetiæ Malachiæ initium eſt Euangelii Marci, Cap. 1: 1. 3. *Principium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei, ut ſcriptum*

ptum eſt in Prophetis: Ecce ego mitto Angelum illum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te &c. Et hoc quidem intervallum, inde a Malachiæ temporibus uſque ad noſtrum Chriſtum, quingentorum circiter eſt annorum. Inde verò (quod contra Judæos in ſpecie valet) a Chriſti noſtri tempore ad hæc ce noſtra, ſeptendecim præterlapſa ſunt ſecula, quibus nullius Prophetæ alloquio Judæos dignatus eſt Deus. Adeo ut, ſi attente ad calculos ſedeamus, plura certe fuerint ſecula, quibus Judæi Prophetis fuere deſtituti, quàm quibus eos præſentes habuerint. Tantum itaque abeſt, vel experientiâ teſte, ut hic per Prophetam non interrupta Prohetarum ſeries intelligi poſſit.

XXXI. Et ne plura coacervem, audiant qui Chriſtiani ſunt, quàm longè methodus hæc interpretandi Prophetias diſtet ab illa Apoſtolorum per Spiritum S. actorum. Etenim Petrus verba noſtra citans *Actor.* 3: 22, 25. ſedulo cavit, ne per enallagen numeri ea ad omnes ſequentes referamus Prophetas, ubi adhibito pronomine demonſtrativo loquitur de προφήτῃ ἐκείνῳ, *Propheta illo* per excellentiam. Magis adhuc emphatice Paulus, non quidem verba ea citans, ſed tamen ad hoc ipſum oraculum evidenter ſatis alludens, hunc Prophetam primò generatim ſupra omnes Prophetas Veteris Teſt. *Hebr.* 1: 1. & deinceps *Cap.* 3: 1-6. nominatim ſupra Moſem, tanquam Filium & ipſum Dominum effert. Et quid plura? uti hi Apoſtoli apud temporis ſui Judæos abſque omni contradictionis metu ſupponebant hunc Prophetam eſſe unum aliquem, ita & eadem veritas, apud alios ſerioris temporis non prorſus exulavit, quemadmodum mox dicenda oſtendent. Vix ergo ferenda in Chriſtianis tanta oraculi enervatio; quam ex parte ſaltem evitare ſtuduerunt quidam conciliationem aliquam inire ſatagentes, dicenteſque de uno Propheta & quidem Meſſia agi *Deut.* 18: 18. at *vers.* 15. de Prophetarum ſerie. Sed pace eorum dixerim evidentem etiam hanc eſſe Textus depravationem. Nonne enim eadem in utroque verſu occurrit promiſſio, & eisdem concepta verbis? Ea tantùm mutatione, út Moſes ea, quæ *verſ.* 15. ſuis verbis enuntiavit, mutatâ duntaxat perſona, *verſ.* 18.

5. Quia etiam interpretationi Petri & Pauli, ab ipſis Judæis etiam agnitæ, palam contradicitur.

Deum ipſum, majoris auctoritatis ergo loquentem faciat eadem, ſimul indicata occaſione quâ hanc promiſſionem inſtituit Deus. Melius ergo cum hujus diſtinctionis omiſſione in *Gloſſa ordinaria* legimus: *Licet hiſtorialiter de Prophetis accipi poſſit, qui poſt Moſen in populo Dei repleti ſunt Spiritu Dei, melius tamen de Domino Prophetarum accipitur, de quo turbæ ab ipſo ſatiatæ dixerunt: Hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum: & alibi, Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Quæ porro Cl. Clericus in ſpecie hic commentatur, ea video refutari a Clar. Sal. Deilingio *Obſerv. Sacr. Part.* 2. *Obſerv.* 16. Hiſce ita diſputatis, cùm ex Diſſertationibus in *h. l.* ante editis An. 1711. tum ex additamentis non nullis poſtea, prout in relegendo mihi mos eſt, ad marginem adſcriptis, incido rurſus in Diſſertationem Cl. Marckii etiam ſupra §. XXVI. allegatam, in qua eandem hanc, quam oppugnavi ſententiam, adeo ſolidè video confutatam, ut mihi, Lectore illuc ablegato, ad alia tranſire liceat.

2. *An per illum Prophetam deſignetur una quæpiam perſona, & quidem A. Joſua? ut Judæorum plures, & Pontificiorum nonnulli.*

XXXII. Nempe, ſi hic נביא uti evici, una ſit perſona, novus inſtat labor diſcernendi, quænam illa ſit perſona? Aben Ezra ſcilicet, & R. Bechai opinati ſunt de Joſua hic ſermonem fieri. Hic quidem in commentario ſuo in תורה ſcribit: *De Joſua loquitur; itaque hoc eſt quod ait*, & illum audietis. *Atque de eodem dictum invenimus Deut.* 34: 9. *Et audiverunt eum* (Joſuam np) *filii Iſraël.* Ita ſe tandem determinat, quamvis ante ambiguè ſcripſiſſet; *Aut erit Propheta nomen multitudinis.* Similiter Aben Ezra, qui licet in *h. l.* ſcripſerit: *Etiam rectum eſt, ut ſit hoc generale de omni Prophetâ ſurgente poſt Moſem*; tamen opinatur intelligi in textu Joſuam, præter rationem, quam dedit Bechai, & aliam adjiciens: *Quia non deprehendimus*, inquit, *ullum Prophetam in terram cum Iſraële ingreſſum niſi Joſuam.* Neque hi duo ſoli ita ſentiunt, ſed & longè plures Judæorum, quam ſententiam Bonfrerius indefinite adſcribit Judæis dicens: *Quis iſte Propheta? Joſue volunt Rabbini, qui immediate ſucceſſit Moyſi.* Uti & inter ipſos Pontificios ſic opinatus eſt Eman. Sa, *Prophetam, ſive Joſue*, inquit, *in typo.*

XXXIII.

XXXIII. Verùm tamen neque iſti interpretationi aſſentior. I. Generale illud argumentum jam ante recitatum ex *Deut.* 34: 9, 10. *Non ſurrexit amplius in Iſraële Propheta ſicut Moſes, qui ipſi par fuit*; quod Menaſſe Ben Iſraël pluribus confirmat in *Conciliat. Quæſt. ult. in Deuteron.* nec non Maimonides *More Neboch. Part.* 2. *Cap.* 35. omnem alium veteris OEconomiæ Prophetam ab oraculo noſtro excludit; & ſic ipſum quoque Joſuam. Immo vel maxime Joſuam. Nam, quod 1. Probè notandum, iſthæc verba *Deut.* 34. tali rerum nexu & ordine occurrunt, ut Interpretibus nonnullis haud male obſervatum fuerit, hæc datâ quaſi opera à Spiritu S. eſſe adjecta, ne putaret fortaſſe quiſpiam Joſuam ipſo illo *Cap. Deut.* 34: 9. tantopere laudatum, eſſe Prophetam illum magnum *Deut.* 18 antea populo tanquam Moſis ſucceſſorem promiſſum: a qua ſuſpicione Lectorem ſuum vocat ſacer Scriptor, commendationi illi Joſuæ uno fere ſubjungens halitu: *Propheta Moſi ſimilis non ſurrexit amplius in Iſraële.* 11. Joſua etiam Moſis quidem ſucceſſor, at non item *Propheta* fuit, nullibi, ſi mea me memoria non fallat, ſingulariter & διακριτικῶς hoc titulo inſignitus: nedum Propheta *Moſi par*, id eſt, omnibus ſuperior. Uti & ipſa oſtendit experientia. Neque enim per Joſuam ita locutus eſt Deus, quemadmodum per Moſem. Nec opus eſt plura addere. Audiamus quid pro Joſua hic afferant. Rabbini Bechai & Aben Ezra de Joſua ſcriptum eſſe ajunt, quod *ei auſcultarint Iſraëlitæ, & fecerint uti Deus Moſi mandaverat.* Atqui de Propheta illo *Deut.* 18. illud ipſum Moſi mandatum fuiſſe, ut ſcilicet *auſcultarent iſti Prophetæ in omnibus.* Quod argumentum ſpecioſum ſatis eſſet, ſi mandatum iſtud *auſcultandi* aut *obediendi* de ſolo illo Propheta *Deut.* 18. datum fuiſſet à Deo. Atqui jam de ipſo Joſua id mandatum diſertiſſime extat eodem loco, quo *impoſitio manuum* Moſis, hic *Deut.* 34. rememorata tantùm, narrata primùm fuerat, id eſt *Numer.* 27: 21. Cujus ergo loci implementum hic intelligendum, ſi ſimplicitatem ames, non verò huc trahendum illud oraculum *Deut.* 18. quod, uti antea diximus, non tantùm de Joſua non loquitur, ſed nequidem de ipſo intel-

Quorum opinio & argumenta refutantur.

ligi poteſt. Neque majorem habet efficaciam quod addit AbenEzra, *Joſuam unicum fuiſſe Prophetam, qui cum Iſraëlitis ingreſſus ſit in terram Canaänis.* Etenim de Propheta illo *Deut.* 18. non dicitur ipſum cum Iſraële iturum in Canaänem, aut ſuſcitatum iri dum adhuc in deſerto erant. Tempus & locus ſuſcitationis ejus indefinita manent. Et inſuper, quodcunque Joſua cum Iſraële fecit, id non tam fecit ceu Propheta, quàm ceu dux populi: uti etiam obſervavimus ſupra, nullibi Joſuam Prophetam diſerte audire. Sed quid opus operoſius refellere opinionem, quam ipſi hi Auctores firmam nequaquam habuerunt? quod ex hæſitatione utriuſque in verbis ſuprà adductis ſufficienter liquet.

B. An Jeremia? *ut Abarbanel & Paal Hatturim.*

XXXIV. Alii autem Joſuam linquentes majus ſententiæ ſuæ præſidium in *Jeremia* ſe reperire rati, eum per hunc noſtrum *Prophetam* deſignatum aſſeverant. Quem ſane Jeremiam plurimi inter Judæos ab antiquiſſimis jam temporibus æſtimatum eſſe ex ipſo Euangelio in confeſſo eſt; conf. *Matth.* 16: 14. de quo loco mox plura notabimus. Præ aliis autem in eo multus eſt Abarbanel in præfatione Commentarii ſui in *Jeremiam*, ut omnia conquirat undequaque, in quibus Moſem inter & Jeremiam oſtendat miras caſuum & rerum convenientias, quæ ad quatuordecim nonnunquam capita referuntur, citans etiam quædam ex *Peſikta magna.* Speciminis ergo quædam excerpemus, è quibus de cæteris judicium eſto: *Quicquid de Moſe ſcriptum eſt, etiam de Jeremia invenies. Moſes quadraginta annis vaticinatus eſt, etiam Jeremias totidem prohetavit. Hic prophetavit de Juda & Iſraële, & ille de utroque prophetavit. Huic ſe oppoſuerunt ex eadem tribu oriundi, & illi ſe oppoſuerunt tribules ſui. Hic projectus eſt in fluvium, & ille projectus fuit in foveam. Hic per enanum ancillæ ereptus fuit, ille ſervi opera. Hic venit cum objurgatione, & ille cum eadem venit* &c. Porro: *Uterque fuit ex tribu Levi: uterque detrectavit miſſionem: uterque Prophetæ munere quadraginta annos functus* &c. Atqui inde colligitur, *hoc comprobare gradum Jeremiæ in Prophetia fuiſſe admodum excellentem, & propiorem gradui Moſis Domini noſtri,*

quam

quam gradai reliquorum Prophetarum. Hactenus Abarbanel. Adjungamus his quæ itidem in *Baal Hatturim* hunc ad locum notantur, ex Cabbalæ Judaicæ myſteriis petita. Exſtat ibi: נביא אקים במנט"ר יא זהו ירמיהו / quo indicatur, hæc verba נביא אקים / (*Prophetam ſuſcitabo*) *per Gematriam his æquipollere* (ILLE EST JEREMIAS) Atque ita more ſuo concludunt hic denotari Jeremiam.

XXXV. Quid nos ad hæc? Ad poſterius iſtud plane nihil, utpote Cabbaliſticum, id eſt, figmentum inane. Quas porro celebris ille Hebræorum Doctor convenientias nectit inter Moſem & Jeremiam, tales illæ revera ſunt, ut ab externis modò circumſtantiis & eventibus, reliquis Prophetis communibus, ſint petitæ, cùm paritas illa Moſis & noſtri Prophetæ in eſſentialibus muneris Prophetici partibus quærenda ſit, in quibus ſane 1. Magna Jeremiæ & Moſis diſparitas. Etenim, *a.* Ubi locutus eſt Deus Jeremiæ *ore ad os? b.* Quando vidit hic, quæ Moſis eſt prærogativa, *ſimilitudinem Dei? c.* Jeremias Moſis modò penes populum internuntius exſtitit, cujus ille paſſim doctrinam inculcat *Cap.* 11. & 34. & alibi; nequaquam verò ipſius Dei internuntius ἀμέσως, qualis exſtitit Moſes. *d.* Et dic, ſodes, fuitne Jeremiæ miniſterium adeo *miraculis* inſigne ac illud Moſis? Accedit 11. Quod aſſerat Moſes, magnum illum Prophetam fore *ex fratribus* EORUM, non SUIS, adeoque non e tribu Levitica, prout obſervavimus §. VII. At Jeremias Sacerdos fuit, adeoque Levita, ſpeciatim Aaronida *Jerem.* 1: 1. Plura non afferam, cùm poſt dudum jam hæc a me ſcripta viderim Gotl. Wilh. Kelleri Diſſertationem integram, quam ventilavit in Academia Jenenſi, *de Convenientia diſconveniente R. Abarbanelis, quam Moſen inter atque Jeremiam occaſione loci Deut.* 18: 15–18. *inſtituit.* Et quid plura? Opponamus 111. Abarbaneli Abarbanelem ipſum, ſibi hac in cauſa maxime diſſimilem. Etenim, ſi Jeremias noſter ille *Propheta ſicut Moſes ſit*, in gradus Prophetici excellentia proximus ille a Moſe eſſe debuit. Verùm hic idem Magiſter, quaſi oblitus ſui, in Præfa-

Quorum argumentatio etiam refutatur.

fatione Commentarii in Eſaiam multis contendit, Eſaiam Prophetici gradus excellentiam proximam a Moſe habuiſſe, cui itaque Jeremiam poſtponit: cujus & ſermonis ruditatem & orthographiam minorem (unde multiplicatio קרי & כתיב) perſtringit, eumque eloquio etiam Ezechiele inferiorem facit. Plura hic etiam adduxerunt Jac. Altringius in *Schilon. L. 5. C.* 12. & Jo. Mejerus in *Annotat.* in *Seder Olam Cap.* 20. *p.* 975. *& ſeqq.*

C. An ullus ex Prophetis Vet. Teſtamenti? ſed negatur omnibus iſtis tantus honos.

XXXVI. Quæ in ſpecie ita de Joſua & Jeremia diſputavimus, & cæteris generatim Prophetis applicanda ſunt, qui vel ad unum omnes, quales demum illi fuerint, hinc excluduntur. Etenim illi omnes eandem, quam Moſes, docuerunt Legem, eadem judicia ſtatutaque. De noſtro autem Propheta perhibentur plane ſingularia: qualia ſunt, *Deum verbum ſuum poſiturum in ore ejus*; ipſum *Dei nomine locuturum ad Iſraëlitas*; Deum ipſum *requiſiturum a tali, qui hunc Prophetam non audierit.* Quæ dicta illius eſſe emphaſeos antea oſtendi §. XII–XXIV. ut Moſes ipſe per ea Iſraëlitas ad hunc Prophetam tanquam a ſe diſtinctum, & ſe majorem, audiendum a ſe amandet. Quô non obſcurè indicatur, aliud hunc Prophetam verbum prædicaturum ab illo Moſis diſtinctum (cujus modò aſſertores exſtiterunt omnes Prophetæ ſequentes) & hactenus non promulgatum, ſumma tamen cum cura & animi ſubjectione, tanquam verbum ipſius Dei, ab ejuſdem Internuncio, Moſe nequaquam minore pronuntiatum, audiendum recipiendumque.

An ergo tantùm per illum Prophetam deſignetur ipſe Meſſias? uti plurimi omnis ævi & ſectæ Chriſtiani,

XXXVII. Cùm ergo Moſe & omnibus Prophetis major Propheta hicce requiratur, nemo reſtat, nemo prorſus, niſi unus Meſſias, in quem hic oculos figamus. Et præeunt hic nobis magna nomina, quorum longum catalogum texere in promtu foret. Inter Patres Chriſtianos eſt Juſtinus Martyr, in *Dialogo* cum *Tryphone Judæo.* Lactantius *Inſtitut. L.* 4. *C.* 17. Euſebius *Demonſtr. Euangel. L.* 9. *C.* 9. Auguſtinus *contra Fauſtum L.* 16. *C.* 15. ne alios commemorem, quos citavit Clar. Marckius in ſua in *h. l. Diſſertat.* Inter Pon-

Pontificios ſunt Bellarminus, Stapletonus, Lorinus, Sanctius, Eſtius, alii. Inter Reformatos Junius, Druſius, Piſcator &c. Nec non præteriti ſeculi Theologi ſummi, omnes hic non recenſendi. Immo verò ſi quidem Prophetas Moſem ſecutos hic intelligendos cenſeant, vaticinii tamen majeſtate convicti ultro largiuntur iſtud in Meſſiam præprimis quadrare; uti ex Pontificiis a Lapide, Marius &c. Quod neque inficiabitur Clar. Jo. Clericus inter alia ſic ſcribens: *Quamvis dilutiori ſenſu hæc de omnibus Prophetis, qui poſt Moſen vixere, intelligi queant, multo potiore tamen de Jeſu Chriſto prædicari poſſunt.* Nos ergo qui ſenſus Scripturæ ſectamur pleniſſimos, ſine ulla ambage cuncta Meſſiæ ſoli vendicare volumus: idque ob rationes graviſſimas.

XXXVIII. Quarum 1. Prima peti poſſet ex plenario conſenſu quorumdam Judæorum, per hunc Prophetam Moſi parem ipſum Meſſiam intelligentium; quorum teſtimonia hic allegare poſſem. Verumtamen quia conſenſus ille non eſt omnium Judæorum, ut jam modò vidimus; & etiamſi eſſet, nondum tamen conſcientiæ ſatiſfacit Chriſtianæ, idcirco hic reſervabo ea teſtimonia, & infrà ea adducam, ubi *de paritate* ea cum Moſe expreſſe dicendum eſt. Nunc pergo ad alia argumenta, quæ magis adhuc ſolidè ad conſcientiam noſtram demonſtrent veriſſimum eſſe, quod Judæi ita opinati ſunt. In hanc verò ſententiam omnino nos cogit I. Cùm Petri auctoritas, tum Stephani conſenſus, *Act.* 3: 21. & 7: 37. qui uterque oraculum hoc ad Jeſum Nazarenum Judæis ſui temporis maximè commendandum, adhibent. Et adhibent, quod notabile eſt, abſque ulla contradictionis metu, aut curâ demonſtrandi eo in oraculo de Meſſia ſermonem fieri. Unde meritô colligitur apud eccleſiam Iſraëliticam, etſi jam corruptiſſimam, verum tamen ſubjectum hujus loci fuiſſe extra controverſiam. Quam receptam expoſitionem Viri Dei ſecuti, ex datis ceu confeſſis, quæ & vero ſimul erant conſentanea, palam argumentati ſunt. Nec dici poteſt eam Eccleſiam tunc erraſſe; veluti vult Clar. Clericus in *Deut.* 18. *Petrum, ut ſolent Apoſtoli,*

Immo verò Meſſias hic deſignatur, & ſolus: uti oſtenditur per rationes conſcientiæ Chriſtianæ ſatisfacientes, uti ſunt A. Petri & Stephani auctoritas conſenſum Judaicæ Eccleſiæ palam ſupponens.

apud Judæos ex admiſſis opinionibus ratiocinantem hic verba Jeſu Nazareno, vero Meſſiæ, & Novi fœderis Prophetæ, aptaſſe. Prius enim non patitur præſentia Spiritus S. Apoſtolos hoſce *inducturi in omnem veritatem Joan.* 16: 13. Poſterius verò alieniſſimum eſt ab hominibus non ludentibus, aut credulitate aliorum ſophiſtico aſtu abutentibus, ſed *veritatis demonſtrationem conſcientiis hominum commendantibus* ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *coram Deo*, ſeu *in ejus conſpectu* 2 *Cor.* 4: 2. Sed vide quæ contra pernicioſas ſimiles poſitiones diſputavimus *Lib.* de *Melchiſedeco* p. 141–150.

B. Alia etiam per Euangelium ſparſa loca eundem ſuppenentes conſenſum.

XXXIX. Addo ſecundo loco, non aliunde quàm ex noſtro oraculo (neque enim in ullo alio tam diſerta exſtat promiſſio) paſſim per Euangelia pro veritate indubia habitum fuiſſe, non tantùm unà cum Meſſia affore magnum aliquem *Prophetam*, ſed & ipſum Meſſiam tanquam Prophetam eximium exſpectandum eſſe. Prior ea opinio occaſionem præbuit iſti quæſtioni, quam Joanni Baptiſtæ rogato primùm an eſſet *Meſſias*? mox, an ergo eſſet *Elias*? & utrumque Neganti, demum tertio proponebant loco *Joan.* 1: 20.21. ὁ προφήτης εἶ σύ; *Esne Propheta ille?* cum articulo nempe demonſtrativo; quem ad Prophetam hic promiſſum reſpectum habere liquidum eſt. Et denuo *vs.* 25. *Cur ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus ille, neque Elias, neque Propheta ille?* nimirum promiſſus *Deut.* 18. Exiſtimarunt nonnulli per hunc *Prophetam* à Meſſia diſtinctum ibi Judæos indigitare *Jeremiam*, pro quo *Matth.* 16: 14. referuntur quidam inter Judæos Jeſum habuiſſe. Aliis tamen magis placet eos per illum *Prophetam*, indiſcriminatim indigitare aliquem ex Prophetis Vet. Teſt. ex morte reſuſcitatum, uti & *Matth.* 16: 14. dicitur, Jeſum habitum fuiſſe pro *Jeremia*, *aut* pro *uno Prophetarum*, ex ea nempe Judæorum hypotheſi ac traditione, quâ in Meſſiæ adventu reſuſcitandos Prophetas opinabantur; quod multis Veterum teſtimoniis comprobat Joan. Lightfootus *Hor. Hebr.* ad *Joan.* 1: 20, 21. Non vacat autem ad loci iſtius enarrationem ſingularem divertere. Magis ad rem noſtram pertinebit attendere, præter priorem hanc opinionem & aliam & veriorem viguiſ-

ſe

ſe inter Judæos, quâ *Meſſiam* & hunc *Prophetam* unum eundemque fore credebant. Locus nobis ad manum eſt diſertiſſimus, & in negotio præſenti omni exceptione major, qui exſtat *Joan.* 6: 14, 15. ubi Judæi videntes ſignum multiplicatorum panum, quod ediderat Jeſus, dicebant: *Hic eſt vere Propheta ille, qui venturus erat in mundum. Et veniebant ut Jeſum abriperent, eumque facerent Regem.* Cur verò *Regem* facerent *Prophetam*, quem non ſimul pro *Meſſia* habebant? Meſſias enim unicus Judæorum erat Rex. Hanc verò de *Meſſia Propheta* futuro opinionem aliunde derivare non poterant, niſi ex ſubjecto noſtro loco *Deut.* 18.

C. Ipſius Moſis ſcopus & argumentatio Deut. 18.

XL. Ipſum tandem III. Moſis conſilium & argumentatio in hoc capite flagitat, ut per Prophetam ipſe Meſſias hic intelligatur. Id quod ego duplici adſtruam, aut triplici conſideratione, petita & ex loco, in quo Oraculi hujus mentionem reſervavit Moſes; & ex circumſtantia temporis, quo illud protulit; & ex occaſione, per quam illud à Deo ſibi editum fuiſſe diſerte enarrat. Primam proponam verbis Lutheri: Secundam Dan. Crameri: Tertiam meis. Ita ergo Lutherus in *h. l. Hic eſt princeps locus*, ait, *totius hujus libri, & plane expreſſa Prophetia de Chriſto novo Doctore, unde & Apoſtoli eum locum fortiter allegant: & aptiſſime ponit hic Moſes eundem in fine, ubi de ſacerdotio, de regno, de magiſtratibus, & omni cultu Dei, ſermonem finierat, ut oſtenderet aliud fore impoſterum ſacerdotium, aliud regnum, alium cultum Dei, aliud verbum, quo abrogaretur totus Moſes. Et hic plane Moſes finem ſui deſcribit, & cedit magiſterium ſuum futuro Prophetæ.* Cramerus autem in *Schol. Prophet. Claſſ.* 1. *Explicat.* 3. iſta habet, ac ſi diceret Moſes: *Inſtat mihi hinc abeundi terminus, & accelerat mortis meæ hora, imo vero ſicut ego nunc pro mea perſona ſuccumbo, ſic veniet olim tempus ut totum meum Legale miniſterium, quod hactenus inſtitui, & pluribus repeti, & inculcari hucuſque audiviſtis, ſuccumbat, & quaſi commoriatur, & exſpectandus erit alius vobis Propheta omnium Prophetarum, & Doctor omnium Doctorum Meſſias, in quo acquieſcent omnes Prophetæ, quique eſt, eritque ſcopus, ad quem omnes Ceremo-*

niæ & Prophetiæ collimabunt, quem ſuſcitabit, quem mittet, quem progredi faciet, non humana aut Angelica vocatio, ſed immediate ipſe Deus tuus. His nunc adde proximam Oraculi editi occaſionem a Moſe allegatam *Deut.* 18: 16. nempe, cùm non poſſet populus Deum Vet. Teſtamenti leges promulgaturum, coram loquentem ferre, idcirco conceſſus ipſis fuerat Interpres ad ipſorum petitionem, Moſes, Dei nomine ad populum elocuturus omnia ad eam OEconomiam pertinentia. Quid ergo fieret, ubi loco veteris OEconomiæ introducenda a Deo foret nova illa & melior, quam Moſes obſcure quidem & magis implicite promiſerat, prædicens *omnes familias terræ* olim *in Abrahami ſemine benedicendas*, *Gen.* 12: 3. 18: 18. 22: 18. *gentes Schiloni obedituras*, *Gen.* 49: 10. & *jubilaturas cum populo* JEHOVÆ, *Deut.* 32: 43. ſequentes verò Prophetæ, Moſis commentatores clarius expoſuerant? An Deus ipſe in gloria ſua conſpectus tunc iterum loqueretur? Id verò deprecati nunc fuerant Iſraëlitæ. An ergo per interpretem tunc loqueretur, uti nunc? Immo hunc ſub nomine *Prophetæ* ipſis hic promittit Deus. At qualem *Interpretem* aut *Prophetam?* Non certè Moſem ipſum: nam ille non ſemper manſurus, ſed propediem nunc moriturus erat: & inſuper Moſes, qui miniſter & interpres fuerat veteris œconomiæ, vix videbatur idoneus ad miniſterium œconomiæ præſtantioris multo glorioſius. Vid. 2 *Cor.* 3: 7. & *ſeqq.* *Prophetam* aliquem vulgarem, ipſo Moſe minorem multo? longe adhuc minus id decebat. Idcirco hanc difficultatem præoccupans Moſes alium hic promittit *Prophetam* ſe majorem, & ab ipſo ſuſcitandum Deo, *cujus ort Deus erat inditurus verba ſua*, & qui *audiendus* foret. Iſte verò nullus alius eſſe poteſt niſi Meſſias. Meretur & hic conſuli Franc. Junii *Parall. L.* 1. *Parall.* 89.

D. Ipſa Prædicata Prophetæ illi hic tributa omnia Meſſiæ competunt uti R. Se-

XLI. Nunc IV. Accedimus ad *Prædicata*, quæ noſtrum Oraculum de hoc *Propheta* effert, comparanda etiam cum parallelis aliorum Vatum teſtimoniis, ut ita ex iis pateſcat ſubjectum nullum hic eſſe alium quàm Meſſiam. Faciamus periculum, & primum in ipſo nomine. Qui hic promitti-

tur.

tur foret נביא / Atqui Meſſias verè eſt נביא / *Propheta*, in omni vocis emphaſi, utpote in quo obtinent omnia illa, quæ ſub notione vocis τῦ נביא comprehendi antè obſervavimus §. IV. & *ſeqq.* Namque I. Revera Meſſias Deo apprime familiaris eſt atque amicus, *quem poſſedit* JEHOVA *principium viæ ſuæ, ante molitiones ſuas, ab omni æternitate. Prov.* 8: 22. de quo loco jam actum eſt, *Lib.* 1. *Diſſert.* 2. Qui porro *ibid. verſ.* 30. dicitur *fuiſſe apud Deum ab æterno*; & quidem *ejus nutritius & deliciæ quotidianæ*. Cui proinde Deus א. Patefacit conſilii arcana ſua: qui inde audit יועץ / quo & *paſſive* ſignificatur *conſilium accipiens*, a Deo ſcilicet tanquam Mediator; conf. *Pſalm.* 16:7. & *active*, *conſilium dans*, peccatori nimirum, uti mox videbimus in loco *Job.* 33: 24. Vir *proximus Dei*, vel *cum ipſo*, id eſt, ejus ſocius *Zach.* 13: 7. cum quo idcirco JEHOVA עצת שלום / *conſilium iſtud pacis* communicavit non modò, verùm etiam pepigit, quod erat *inter illos ambos*, de quo pluribus ſumus acturi infra ad *Zach.* 6: 12, 13. ב. Qui familiarem in modum quoque loquitur cum Deo, in precibus & gratiarum actionibus; quarum ceu ex ore Meſſiæ prodeuntium, pleni ſunt omnes Pſalmi, plena tota Scriptura. Lege, ſi placet, *Pſalm.* 16. 22. 69. 102. &c. *Eſai.* 49. & ex Novo Teſt. ubi ad implementum venero, loca proferam præclara. Nunc unum hunc paululum exponam, np. *Job.* 33: 23. Deſcribitur ibi Meſſias tanquam מליץ / *interpres*, in diſtinctione ad τὸ מלאך / *Angeli*: quæ duo ibi epitheta Elihu Meſſiæ adſcribit. Ubi notum ſatis eſt, Meſſiam vocari *Angelum*, quatenus tanquam Propheta Dei nomine ad nos mittitur, ut Divinam voluntatem nobis pandat. Eo enim ſenſu ei ſæpius *Angeli* nomen in Sacris & a Rabbinis vendicatur; quemadmodum & nomen מימרא דיי / λόγος, *verbi Dei*, a Paraphraſte Chaldæo. Et non æque clarum eſt epitheton alterum מליץ / quô inſignitur inſuper. Poteſt quidem reddi *Interpres*; quatenus Meſſias *interpretatur voluntatem Divinam*; at verò tunc reapſe à priori מלאך / *Angelo*, nequaquam differt. Ne itaque idem bis dici exiſti-

ptem illa (1) נביא / Propheta. *Atqui Meſſiæ is titulus in omni emphaſi competit.*

memus, ita ſentio: מלאך / *Angelus*, denotat potius illud Meſſiæ officium, quo *Dei nomine* fungitur apud nos, interpretando ejus nobis voluntatem; מליץ verò iſtud, quod obit *pro nobis apud Deum*, ubi apud eum intercedit pro nobis. Poſſumus idcirco vertere per *Advocatum*, ſive, uti Græci etiam efferunt, per παράκλητον; cum quo & convenit Chaldæus, hoc loco vertens פרקליטא / (*peraclita*) adeo ut ſuis precibus pro nobis coram Deo, tanquam advocatus & interpres noſter, intercedat. Quod ipſum ſatis arguit, quàm amicè utatur Deo.

Uti & res ipſa titulo ea ſignificata. Nam prædicit ille nomine Dei præterita *non tantùm & præſentia;*

XLII. Cæterum & 11. Meſſias ceu Propheta nobis etiam arcana Divina Dei nomine annuntiat, cùm *præterita*, tum *præſentia*, præcipue itidem *futura*. Paſſim quippe tanquam talis deſcribitur in volumine Libri. Ita enim ſe inſignit ipſe, ubi per Spiritum S. loquens inducitur *Eſai.* 52: 6. אני / המדבר / *ego ſum, qui loquitur*, vel, *qui loquor*: vel ſtrictè, *ego loquens ille*; ſive *locutor ille*, κατ' ἐξοχήν. Nam revera ſoli demum Meſſiæ proprium eſt *loqui*: id eſt, dicere aliquid, & quidem jure ſummo, & cum ἐξουσίᾳ, *poteſtate* eminente. Sic etenim Meſſias *locutus* dudum multumque fuit, non per omnes modò, quotquot unquam fuerunt, Prophetas, 2 *Sam.* 23: 2. coll. 2 *Petr.* 1: 11. ſed & ipſe ἀμέσως ſæpenumero olim locutus eſt variis modis Patribus. Quemadmodum inſigniter Meſſias ipſe dicit *Eſai.* 48: 16. *A principio ſum locutus, a tempore quo res evenit, ibi eram; & nunc Dominus Dominus miſit me & Spiritum ejus.* Ubi triplex temporis loquentis Meſſiæ notatur circumſtantia: I. *Ab initio:* quod vel de iſthoc initio primo intelligi poteſt, quo in Paradiſo data fuit prima promiſſio Euangelica, quam non adeo JEHOVA Deus Pater, quàm Meſſias ipſe primis parentibus videtur elocutus; quod pluribus *Lib.* 1. *Diſſert.* 111. de *Proteuangel. Cap.* 2. §. 52. & *ſeqq.* adſtruximus. 11. *A tempore quo res evenit*; id eſt, quo Proteuangelium iſtud ſuum incipiebat habere implementum ſub Vet. Teſt. inimicitiâ eâ inter ſemen ſerpentis & mulieris magis

gis magisque conſpicua. III. *Nunc*, cum in carne manifeſtatus loqueretur coram, & a JEHOVA *miſſus* in mundum, populo ſuo prope oculis videndus diceret: *Ego ſum loquens*, & הנני / *ecce me*, *Eſai.* 52: 6. & *ſeqq.* Immo & quando *omnis caro viſura eſſet os Domini* reapſe *loqui*, *Ibid.* 40: 5. In quæ Eſaiæ loca conferri merentur Clar. Vitringæ commentarii. Atque ſic quidem, ut opinor, evicimus Meſſiam jam inde ab initio, & ſemper ceu Prophetam locutum & *præterita*, & *præſentia*. Poſſunt & hic conferri *Pſalm.* 45: 2 — 6. *Eſai.* 49: 2. 50: 4. & 61: 1. 3.

Sed vel maximè futura: unde & varii ipſius tituli.

XLIII. Sed neque hic ſubſiſtit Meſſiæ Prophetia. Addendum enim præter ea omnia, quod vel maxime *futura* etiam prædicet. Hæc utique ejus erat ſupra omnes Gentilium Deos, eorumque jactata adeo oracula, gloriatio & prærogativa ſumma; quam apud Eſaiam, ubi Meſſias Ethnicis commendatur tanquam loco ſuorum idolorum pro Deo adoptandus, toties deprædicatam vides, *Cap.* 41: 22, 28. 42: 9 &c. adeo ut tandem exclamet *Cap.* 46: 10. 21. *Ego annuntio ab exordio noviſſimum* (ultimum) *& ab initio quæ nondum facta ſunt; dicens conſilium meum ſtabit, & omnem voluntatem meam faciam. Locutus ſum, & adducam iſtud: formavi, & faciam iſtud.* Et ab hoc muneris Prophetici parte varia epitheta ſortitur Meſſias. Vocatur יפח *Hab.* 2: 3. *teſtis*, *præco*, *loquens*, *mentiri neſcius*, qui erit *ſub finem*, ſive, ut alibi dicitur; *in ultimo dierum*, *Eſai.* 2: 1. quando ſcilicet venturus erat in carnem. Ita namque Ludov. de Dieu in *Animadverſ. Crit.* in *h. l.* Coccejus, aliique vocem יפח potius Nomen, quàm Verbum eſſe putant. Nonnunquam vocatur עד ומצוה לאמים / *Teſtis & Præceptor populorum Eſai.* 55: 4. Ita & המורה לצדקה / *Doctor ille juſtitiæ*, *Joël.* 2: 23. Adſcribitur ei לשון למודים / *lingua eruditorum*, *ut ſciat cum laſſo* (tam ob peccatum, quàm Legis onus, conf. *Eſai.* 28: 12.) *loqui verbum tempore opportuno*, *ibid.* 50: 4. ſcilicet, *anno illo gratiæ*, ſeu *beneplaciti* JEHOVÆ, de quo *ibid.* 61: 2. quapropter etiam חן / *gratia* dicitur *effuſa in labiis ejus Pſ.* 45: 3. Quæ omnia ſanè ad Meſſiæ ſpectant officium Propheticum,

non

non inficiantibus Judæorum Magiſtris ſanioribus ad unum omnibus.

Ab ipſis etiam Judæis agniti.

XLIV. Operæ autem pretium erit adduxiſſe in re momentoſa ipſa Judæorum verba, non de omnibus quidem vaticiniis adductis, quod nimis foret operoſum, ſed ex uno alterove de cæteris judicium eſto. Ita R. Sal. Jarchus ad *Eſai.* 11: 1. *Et prodibit virgula* &c. *Tandem veniet Rex Meſſias noſter, eoſque liberabit.* Cui Meſſiæ omnia ibi epitheta recenſita applicat, adeo ut ad *vers.* 3. notet, tali eum præditum fore *ſapientia, ut ſciat & intelligat quis juſtus* (& abſolvendus) *& quis reus* (& condemnandus) *ſit.* Et Bechai in Legem, *fol.* 59. col. 1. & ſeqq. verba *vers.* 2. ejusdem vaticinii adducens, *Et quieſcet ſuper eo Spiritus Domini* &c. hæc habet: *Hæc eſt illa ipſa proprietas Regis Meſſiæ.* Et tunc recitat verba Prophetiæ, datque rationem hanc שהרי בזמנו של מלך המשיח יהיה שפע הנבואה והחכמה וכו" / *Quoniam tempore Regis Meſſiæ erit abundantia prophetiæ, & ſapientiæ, & cognitionis, ſicut aquæ mare operiunt.* Et Abarbanel ad *Eſai.* 42: 1. paſſim de Meſſia interpretatur; & ubi dicitur *vers.* 4. *Et Legem ejus inſulæ ſperantes exſpectabunt*; hæc ſcribit: *Non eſt intentio* "שמלך המשיח יעשה תורה חדשה וכו / *Regem Meſſiam conditurum novam legem &c.* Ad *Eſai.* 55: 4. citat Mart. Raimundus *Pug. Fid. Part.* 3. *Diſt.* 3. C. 16. §. 22. ex Moſe Haddarſchan dictum R. Chaninæ: *Rex Meſſias non venturus eſt niſi ad dandum præcepta gentibus ſeculi. Dixit R. Rachmon, & ſic dicit Eſai.* 55: 4. *Ecce teſtem populo dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus.* Ad *Hab.* 2: 3. ſcribitur in *Chelek*: *Si tardat Rex Meſſias, exſpecta eum:* qui proinde ille *teſtis* eſt ac *præco*, cujus ibi fit mentio, & qui *venturus eſt.* Ad *Joel.* 2: 23. Abarbanel והוא מלך המשיח שיורה את הדרך אשר ילכו בה ואת המעשה אשר יעשון: *Ille* (doctor ad Juſtitiam) *eſt Rex Meſſias, qui docebit viam, in qua ibunt, & opus, quod facient.* Et Kimchius ad *Eſai.* 2: 3. *Et docebit nos vias ſuas*, ita ſcribit: המורה הוא מלך המשיח / *Doctor hic eſt Rex Meſſias.* Hæc ſufficiant.

XLV.

XLV. Hic porro *Propheta* Messias, etiamsi exstiterit, uti dixi §. XLII. fueritque locutus ab omnis ævi initio, Mosis tamen tempore prædicebatur tanquam *suscitandus*, & quidem *a Deo*. Variis hac in causa utitur Spiritus S. phrasibus, prout vel de Deo Patre sermo fit, vel de ipso Dei Filio. De illo dicitur *Dare Joël.* 2: 23. & *Es.* 49: 6. *Mittere ibid.* 48: 16 & 61: 1. De hoc verò *Exire*, *Mich.* 5: 1. *Oriri*, *Mal.* 4: 2. *Adesse*, *Jer.* 30: 21. Immo etiam *Venire Psalm.* 40: 1. Hic loci verò dicitur *suscitari*, & quidem *a Deo*. Per quam *suscitationem* intelligitur ejus in carne manifestatio, prout sub *finem visionis*, ex *Hab.* 2: 3. adesse deberet, mittendus a Deo in mundum, & homo futurus assumtione humanæ naturæ. Verbo; Deus *faceret eum stare* per nativitatem ex muliere. Conf. *Esai.* 9: 5. 7: 14. Uti autem notavimus porro suprà §. V. hanc *suscitationem*, & ad *naturam* hujus *Prophetæ*, & ad *muneris* susceptionem esse referendam, ita respectu prioris Messiæ quoque ortus *extraordinariæ suscitationi* adscribitur. Quò facit Oraculum Davidi factum 2 *Sam.* 7: 11. ubi in ipsis, ut ajunt, terminis hanc Messiæ suscitationem memorat Deus, & sibi ipsi tanquam auctori immediato adscribit: *Quando cubaveris*, ait, *cum patribus tuis* והקימותי/ SUSCITABO (*faciam prodire*) *semen tuum post te* &c. Conf. *Ezech.* 34: 23. Quamobrem etiam nativitas hæcce confertur cum *egressu virgæ ex trunco succiso Isaï*, & *surculo e radicibus ejus fructus ferente*, *Esai.* 11: 1. Nam sicut supra naturæ cursum est ordinarium, ut truncus succisus evadat in virgam fructus ferentem; ita & ortus Messiæ juxta naturam humanam suscitationi omni modo extraordinariæ, & prorsus supernaturali adscribendus foret. Nec aliter respectu posterioris prædictum est a Prophetis, Messiam *Prophetæ munus* haud capessiturum nisi legitime vocatum & ordinatum ab ipso Deo: adeoque sponte sua non *surrecturum*. Ita enim hoc Deus sibi vendicasse legimus *Esai.* 55: 4. *Constituo eum testem nationum* &c. Et ipsum Messiam audivimus dicentem *Ibid.* 48: 16. *Dominus Dominus misit me*, & *Spiritum ejus*.

(2) *Quod suscitandus foret, & per miraculosam nativitatem, & per expressam ordinationem ad munus propheticum.*

XLVI. Unde & simul patet, quod ceu tertium prædi- (3) *Et qui-*

 catum

Item ab ipſo Deo Patre immediatè.

catum de Viro hic promiſſo conſiderabamus ſupra §. VI. Meſſiam dicto modo ſuſcitandum eſſe non ab alio quovis, ſed immediate ab ipſo Deo. Quin & addo jam, ita Deo patri ſuſcitationem hanc Meſſiæ competere, ut pars ſit atque promiſſio ipſius fœderis gratiæ, quod pepigit JEHOVA cum Iſraële & Patribus eorum, unde prima & unica Meſſiæ origo eſt arceſſenda. Ad hoc enim ſuum fœdus Deus provocat, *Pſalm* 89: 4 & 5. *Pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi ſervo meo, uſque in ſeculum me ſtabiliturum tuum ſemen, & ædificaturum in quamque generationem ſolium tuum ſumme.* Enimverò fatendum eſt certo reſpectu dici poſſe, & dici, quod ipſe ſe *ſuſcitet* Meſſias, tanquam *Vir Germen*, *qui* מתחתיו / *deſubter ſe*, id eſt, ex ſe ipſo & propria virtute, *germinaret*, de quo acturi ſumus infra ad *Zach.* 6: 12. Conſideratione tamen habita OEconomiæ, quæ inter Divinas intercedit perſonas, hæc Meſſiæ ſuſcitatio ipſi JEHOVÆ primariò competit, utpote qui diſertiſſime dicitur Meſſiæ & corpus ipſius adaptaſſe, & eum conſtituiſſe Prophetam, ſine ullo hominum, vel ipſius Iſraëlis interventu. Quam in rem præter teſtimonium modò citatum *Eſ.* 55: 4. & aliud inſigne hac in cauſa occurrit *Ibid. cap.* 42: 1. *& ſeqq.* ubi ipſe JEHOVA ita inducitur loquens: *Ecce ſervus meus, quem ſuſtento, electus meus, quem benigne accipit anima mea, indam ſpiritum meum ipſi, judicium gentibus proferet* &c. Pergit deinceps *verſ.* 6. *Ego* JEHOVA *vocavi te in juſtitia, & apprehendam manum tuam, & cuſtodiam te, & dabo te in fœdus populi, in lucem gentium, ad aperiendum oculos cæcis, & educendum e carcere ſedentes in tenebris.* Ex quibus ſimilibuſque Oraculis cum *Deut.* 18. comparatis, videntur Judæorum primores circa tempora Chriſti in ea fuiſſe opinione, a Moſe promiſſum illum Prophetam ἀμέσως ab ipſo Deo excitatum iri. Hujus enim opinionis manifeſta nobis in Euangelio veſtigia occurrunt, *Joan.* 1: 19 & *ſeqq.* ubi legatos ad Joannem Baptiſtam mittunt Judæi rogantque; *An eſſet Propheta ille? Ille* nempe κατ' ἐξοχὴν ſic dictus Moſi, ex cujus hoc oraculo *titulum* illum per Nov. Teſt. Scripturam adeo eſſe frequentem notabam ſupra

§.

§. XLII. & *ſeqq.* Qua verò ratione Joannes ille Baptiſta à nemine mortali, non à Rabbinis, non à Sanhedrin, miſſionem ullam habens, ſponte verò ſua ad Dei vocantis vocem prodiens, & præconis munus ſuſcipiens, *Propheta* ille Moſaicus eſſe poſſet, niſi *Propheta* ille ab omni humana ordinatione liber, & juxta ipſam Judæorum ſententiam, ſolius Dei immediata vocatione excitandus eſſet?

XLVII. Originem porro *ſuſcitandi a Deo Meſſiæ*, S. Scripturæ repetunt, ſecundum diſputata de Propheta Moſaico §. VII. E *Fratribus Iſraëlis*: id eſt, non fore eum alienigenam; ſed (1) Ex Abrahamo, cui promiſſum fuit ſemen benedictum. (2) Omnes porro reliqui Abrahæ filii & nepotes ab ea promiſſione excluſi ſunt, benedictione ad Iſaäcum primò, dein ad Jacobum determinata, *Gen.* 17: 18–21. 27: 29, 33. 28: 13. tribu tamen in incerto relicta. At moribundus (3) Jacobus Patriarcha ulterius progreſſus hanc tribui Judæ prærogativam aſſignavit, prædixitque fore, ut ex ea ſuſcitaretur *Schilo*, *cui eſſet obedientia populorum*, *Gen.* 49: 10. Poſterioribus demum ſeculis eouſque procedere Divinæ providentiæ viſum, ut definiverit eum e Davidis familia proditurum, 2 *Sam.* 7: 12.

(4) *Nec ex alienigenis, ſed ex* fratribus *Iſraëlitis.*

XLVIII. Et quidem proditurum *ex medio fratrum eorum*: id eſt (1) Ex media Iſraëlitarum patria, extra cujus limites Meſſias naſciturus non erat, etiamſi futurum eſſet, ut ob peccata per varias orbis habitabilis oras diſpergendi aliquando eſſent Judæi. Quod præ primis evenit poſt captivitates Aſſyriacam & Babylonicam: ita ut ibidem, & alibi per Aſiam minorem ſuas haberent ſedes: quæ itaque omnes in diſperſione hærentes familiæ a ſpe producendi Meſſiam, ſi bene attendiſſent, ſeſe excluſas vidiſſent. Terra enim Judaica *terra* foret *Immanuelis Eſai.* 8: 8. Sed de hac phraſi plura dicam ad *Jer.* 30: 21. ubi eadem repetitur. Addo hic modò (2.) Ex eadem ſequi, Meſſiam naſciturum non in illuſtri aliqua urbe, ſed quaſi *in medio* vulgarium Iſraëlitarum per pagos, ſive oppidula viliora habitantium: qualis vel maxime erat *Bethlehem* ea contemta *Mich.* 5: 1.

(5) *Et horum quidem ex medio, loco tamen non illuſtri.*

XLIX. Ubicunque verò natus *Iſraëli* tamen, (TIBI aje-

(6) Iſraëlita

verò præ primis ſuſcitandus.

bat Moſes) naſceretur. Iſraëli namque in ſpecie tanquam *Doctor Juſtitiæ* promittitur *Joël.* 2: 23. Iſraëli præcipue & primo loco erat *annunciaturus annum illum beneplaciti* JEHOVÆ *Eſai.* 61: 1. *ſeqq.* Ita tamen, ut & aliarum gentium Doctor eſſet futurus, prout ipſe Deus affatur Meſſiam *Eſai.* 49: 6. *Levius eſt, quam ut mihi ſis ſervus ad erigendum tribus Jacobi, & cuſtoditos Iſraëlitas reducendum; ego conſtituo te in lucem gentium* (quorum intellectum obcœcatum Verbo & Spiritu tuo vera ea luce *Pſalm.* 119: 15. tanquam Propheta illumines) *ut ſis ſalus mea uſque ad extremitates terræ.* Quomodo jam dictum erat *Eſai.* 42: 1. *& ſeqq. Judicium gentibus proferet*; & additur porro *verſ.* 4. *In doctrina*, ſeu *lege ejus*, *regiones exſpectationem habebunt.* Immo Meſſias ipſe cum manifeſta muneris ſui Prophetici commendatione ita exclamans inducitur *ibid. Cap.* 49: 1. *Auſcultate inſulæ mihi, & attendite nationes e longinquo:* JEHOVA *inde ab utero vocavit me, e viſceribus matris meæ memoriam conſtituit nominis mei. Et diſpoſuit os meum ſicuti gladium acutum &c.* Quæ commentarii inſtar explicant carmen jam olim per Davidis os a Meſſia decantatum *Pſalm* 40: 10. *Annuntio juſtitiam in cœtu magno*; id eſt, non Judæorum duntaxat, verùm & Gentium.

(7) *Moſi etiam par futurus; immo & ſuperior. Quod oſtenditur A. In genere, ex præclaris Judæorum teſtimoniis, ut Maimonidis & Joſephi Albi.*

L. Nec minus de Meſſia veriſſimum foret, eum ceu Prophetam *Moſi parem* fore, immo & *ſuperiorem*: quod ℵ. In genere oſtendam ex luculentis Judæorum de hac re teſtimoniis. Poſtea ב. In ſpecie ex ipſa etiam Scriptura S. firmabo, eò quod de Meſſia prædixerunt Oracula ea omnia, quæ eum Moſi *parem* facerent tribus ſuis prærogativis *Prophetiæ*, *miraculorum*, & *muneris*, diſtinctè a me recenſitis §. XII. & *ſeqq.* Quoad ℵ. In genere, *teſtimonia* ea *Judæorum*, hac in parte ipſos audire lubet Hebræorum Magiſtros, neque eos ultimi ordinis. Et quidem primùm reſpectu *gradus Prophetiæ*; deinde etiam *miraculorum*. Et quoad prius, Moſes quidem Maimonides, doctiſſimus, uti ſatis notum eſt, Rabbinorum, & nugari non ſolitus, quique natus eſt Cordubæ anno Chriſti 1131. adeoque claruit ſeculo duodecimo, mortuus in Ægypto Anno 1201. (Vid. de ejus vita, doctrina, ſcri-

ſcriptis &c. Bartoloccii *Biblioth. Rabb. Part.* 4. p. 84 & *ſeqq.* quæ contraxit in ſua *Biblioth. Hebræa* Jo. Chriſt. Wolfius *Tom.* 1. p. 834. Poteſt addi Jo. Buxtorfius in *Præfat.* ad *More Nebochim.*) Hic ergo in *Tractatu* תשובה/ de *Pœnitentia*, *C.* 9. §. 4. ubi agit de Meſſia, hæc habet: "אותו המלך שיעמוד מזרע דוד וכו *Rex ille qui exiſtet de ſemine Davidis*, (Meſſias np.) *præditus erit ſapientia magis quam Salomo*, *eritque magnus Propheta proximus Moſi Magiſtro noſtro*, *& propterea docebit omnem populum*, *& inſtituet eos de via Domini*, *venientque omnes gentes ad audiendum ipſum*: *ſicut dicitur Mich* 4: 7. Integrum locum exhibui *Diſſ.* ad *Gen.* 15: 1–6. *Chriſtol. Noach.* & *Abrah.* p. 312. qui conferri meretur. Et quamvis ibi nonnullis poſſet Doctor iſte videri, quod Meſſiam, utut Salomone majorem, per illa verba, *Propheta proximus Moſi*, Moſi inferiorem faciat; diſertiſſime tamen R. Joſephus Albo, celebris etiam ſatis inter ſuos, & qui Hiſpanus gente, patria Sorianus, floruit ſeculo decimo quinto in initio (Vid. Wolphii *Bibliotheca Hebr.* p. 503. & Bartolocii *Biblioth. Rabb. Tom.* 3. p. 796. col. 2.) eundem palam profert; ubi exponens verba, *Deut.* 34: 10. *Non ſurrexit Propheta in Iſraele par Moſi*; hæc habet *Lib.* 3. *Ikkarim Cap.* 20. /נאי אפשר שלא יקום כמוהו לעולם או גדול ממנו שהרי מלך המשיח יהיה כמוהו /או גדול ממנו *Fieri nequit*, *quin ſurgat aliquando ſimilis Propheta Moſi aut major eo*; *Rex enim Meſſias erit ei ſimilis*, *aut eô major.* Pergit porro hunc in modum: אבל פירוש לא קם כמוהו אינו שלא יקום כמוהו לעולם אלא שלא קם כמוהו בתואר מה יחידי או רצה לומר שבכל אותו זמן שנמשכו הנביאים אחרים עד שנפסקה הנבואה מהם לא קם כמוהו_אבל בעתיר כבר ימצא דמיהו או גדול ממנו:

Sic autem explicari debent hæc verba (*Deut.* 34: 10.) *Non ſurrexit ſicut ille. Non quaſi nullus in æternum ſimilis illi futurus ſit*, *ſed quod nullus ſimilis illi futurus ſit ſecundum particularem aliquam qualitatem*; *vel quod toto illo tempore*, *quo ipſum deinde ſecuti ſunt Prophetæ*, *uſque ad ceſſationem Pro-*

phetæ, nullus ſurrexerit ſimilis Moſi: verum poſthac quidem inveniетur, ſive *exiſtet, ſimilis*, vel potius *major illo Moſe.* Hæc Joſ. Albo.

Et Abarbanelis.

LI. Hiſce addam verba valde notabilia Iſaäci Abarbanelis illius celeberrimi, qui circa annum 1437. in Luſitania natus, doctrina & auctoritate, nec non ex Regia proſapia Davidica, ut ferunt, ortus, inter Judæos maxime floruit; de quo & alibi dixi: vide quæ habent Bartoloccius *Biblioth. Rabbin. Tom.* 3. p. 874. & *ſeqq.* & Wolfius *Biblioth. Hebr.* p. 627. & *ſeqq.* Is ergo in *Comment.* ad *Prophetas Poſter. p.* 78. *C.* 1. ubi Dei verba de Meſſia conſiderans, quæ referuntur *Eſai.* 52: 13. : הנה ישכיל עבדי ורום ונשא וגבה מאד / *Ecce prudenter aget ſervus meus, exaltabitur, & ſublimis erit valde*, ea ſic explicantur: ורום מאברהם ונשא ממשה וגבה ממלאכי השרת / h. e. *Erit exaltatus præ Abrahamo; & elatus præ Moſe; & ſublimis præ Angelis miniſterii.* Quod ita plenius interpretatur; *Hoc eſt*, inquit, *major erit Abrahamo amore & cultu Dei; major Moſe liberatione & redemtione populi ſui; major Angelis miniſterii dominio in eos.* Addit porro: *Harum trium excellentiarum, ſeu perfectionum, primam Meſſiæ fore naturalem, alteram uſu acquiſitam, tertiam Divinam.* Quæ ſingula pluribus idem diducit, & variis S. Scripturæ teſtimoniis confirmat in *Comment. ad Eſai.* 11. ubi Meſſiæ iſtic promiſſi qualitates explicans inter alia ſcribit: *Quoad Prophetiam, eam in Meſſia obtenturam in ſupremo graduum Prophetiæ.* Id multis comprobat, uti ex *Eſai.* 42: 1. ita ſpeciatim ex eo, *quia requieſcet ſuper ipſo Spiritus JEHOVÆ.* Ex quo & porro derivatur fore Meſſiam καρδιογνώσην. Et ad hoc, & ſimilia teſtimonia forſan reſpexit Conr. Pellicanus, cùm ſcripſit Judæos Meſſiam per omnia ſecula ipſis exſpectatum confiteri ſanctiorem Moſe futurum.

Et antiquiſſimorum Judæorum, uti oſtenditur ex Midraſch Tanchuma traditione notabili.

LII. Ut autem Lector meus videat ipſas veterum Judæorum hac de re traditiones, adſcribam ipſa verba ex *Midraſch Tanchuma*, ad *Paraſcha Tholdoth fol.* 11. *Col.* 1. Qui liber cujus ſit antiquitatis & auctoritatis apud Judæos cognoſcere eſt ex Bartoloccio *Biblioth. Rabb. Tom.* 4. *p.* 447. *Wolfio p.* 1159. aliis.

Bux-

Buxtorfius *Bibli. Rab.* p.m. 154. ait *commentarium esse in quinque Libros Mosis satis celebrem*, ubi post allegata verba *Zach.* 4: 7. *Quis es ô mons magne!* additur זה המשיח בן דוד / *Hic est Messias, Filius David.* Et ad quæstionem למה יקרא שמו הר הגדול *Cur vocatur nomen ejus* (Messiæ) *mons magnus?* Respondetur שהוא גדול מן האבות / *Quia ille magnus est præ Patribus, adeoque & ipso major Mose.* Id autem suo modo ita probant; הני ישכיל עבדי ורום / *Quia scriptum*, vel *dictum* (*Esai.* 52: 13.) ונשא וגבה מאד: *Ecce prosperabitur servus meus* (Messias) *extolletur, & altus erit valde.* De quo ita commentantur זה מלך המשיח ירום מאברהם נשא ממשה וגבה ממלאכי השרת: *Hic est Rex Messias: Extolletur supra Abrahamum, ut dictum est* (*Gen.* 14:22.) *sustuli manus meas ad Dominum. Altior erit supra Mosem, quia dictum est* (*Numer.* 11: 12.) *cum dicas mihi, exporta eum in sinu tuo. Et elatus erit supra Angelos ministerii &c.*

Quam ceu Christianis nimis faventem enervare conantur Judæi recentiores.

LIII. De hujus vero traditionis sensu maxime solliciti sunt Judæi, quia ejus se vident valde premi auctoritate. Ne itaque Christiani quicquam in ea subsidii habeant ad magnitudinem Messiæ prophetæ præ Mose demonstrandam, varia excogitarunt effugia. R. Alsche ita scribit: Messiam a majoribus dici 1. MAJOREM ABRAHAMO *ratione imperii in gentes*, quod Abrahamo datum subtiliter admodum excudunt Talmudici ex *Gen.* 14: 17. quod & memoravimus *Lib. de Melchisedeco Cap.* VI. §. 3. ut sensus sit; etiamsi Abrahamus ad tam sublime imperium fuerit tunc evectus, extolletur tamen supra eum Messias. 2. MAJOREM MOSE, non ratione sapientiæ, seu Prophetiæ (ita quippe neminem cum Mose comparandum esse) sed ratione *imperii in astra.* Hoc autem ejus imperium colligunt ex *Exod.* 9: 22. ubi jubetur Moses *manum suam cœlum versus extendere, ut sit grando in tota terra.* Ut sensus non sit, fore Messiam absolute in omnibus Mose majorem, sed in eo, quod tempore Messiæ ejus in astra & regiones cœlestes imperium majus sit futurum, quam suo tempore habuit Moses. 3. MAJO-

JOREM ANGELIS MINISTERII ratione *placidæ acquieſcentiæ*. Huc referunt quod de Angelis dicitur *Ezech.* 1: 18. *quod* גובה להם / *altitudo ipſis ſit*. Putant autem Angelos, quia tam alti, nihil a Deo petere, eique ſolum acquieſcere: & tamen, quia Dei dilecti ſunt, omnia impetrare; quod tum applicant Meſſiæ, eum hoc reſpectu *Angelis altiorem* fore, quibus tamen tanta eſt גובה / *altitudo*. Abarbanel rem aliter inſtituit, ita ſcribens, eſſe 1. MAJOREM ABRAHAMO *reſpectu cultus divini*. Ut ſenſus ſit, etiamſi Abrahamus valde pius exſtiterit, dicens; *Suſtuli manus meas ad Deum*, cum partæ a ſe victoriæ gloriam Deo adſcriberet, *Gen.* 14: 22. Meſſias tamen extolletur ſupra eum, id eſt, majori gaudebit pietate, magiſque manus ſuas attollet, cùm dicatur *ſuper ipſo quieſcere Spiritum* Domini, *ſpiritum ſapientiæ, timoris Dei &c.* 2 MAJOREM MOSE, ratione *liberationis ex captivitate*: ut ſenſus ſit, Moſem quidem populum *portaſſe* (vid. *Num.* 11: 12.) atque ex Ægypto eduxiſſe, ſed Meſſiam educturum ex omnibus mundi regionibus. 3. MAJOREM ANGELIS MINISTERII reſpectu *victoriæ ſuæ contra gentes*: ut ſenſus ſit; *Etiamſi gentium principes ſuperni eximiam ipſis potentiam inſtillent*, (ſunt verba Abarbanelis) *prævalebit tamen manus Meſſiæ, donec ſupernæ acies coram eo deficiant*. Vide ex hiſce, Lector, in quot & quàm contrarias ſe formas vertant Judæi, ut Meſſiam Moſe majorem faciant, non abſolute, ſed certo tantùm reſpectu. Quicquid autem fingant, ex hoc tamen teſtimonio perſpicuè liquet, Meſſiam maximis in Eccleſia viris Abrahamo, immo Moſe, quid? vel ipſis Angelis miniſterii jure majorem ſtatui, vel ne minima quidem facta reſtrictione. Reſtringant itaque quantum velint poſſintque recentioris ævi Doctores, non ad Prophetiam hæc referentes, ſive legiſlationem, ſed vel ad imperium in aſtra, vel Iſraëlitici populi liberationem ex hodierna, in qua degunt, captivitate, qua Moſe major foret Meſſias; novi tamen perperam eos ſic agere, & manifeſtiſſimum eſſe deſperatæ cauſæ indicium, cùm ex antecedentibus cuique ad oculum pateat, priſcos eorum Magiſtros

Magiſtros iſtud ad Prophetiam pariter & Miracula, immo univerſim ad omnia, quibus major Moſe Meſſias, abſque ulla exceptione retuliſſe.

LIV. Ut autem pateat quàm longè a tali reſtrictione excellentiæ Meſſiæ abfuerint Judæi veteres, adſcribam unum adhuc teſtimonium, quod etiamſi allegatum apud Jo. Cramerum de *Ara Exteriore*, *Cap.* 12. §. 3. dignum tamen eſt, ut hic locum habeat. Allegatur idem in *Jalkuth* Simeonis ad *Eſai.* 60. qui Francofurtenſis, & vulgò dictus per excellentiam ראש הדרשנים / *Princeps Concionatorum*, floruit anno 1310. continetque hic liber *Peram*, ſeu collectionem interpretationum variarum in totum codicem ſacrum juxta ordinem librorum Biblicorum, ex libris Midraſchicis variis, non ad literalem, ſed allegoricum magis textum. Vid. *Biblioth. Rabb.* Buxtorfii p. m. 70. & Wolfii p. 1129. Iſtud autem teſtimonium petitum eſt ex vetuſtiſſimo libro, *Peſikta*, qui eſt commentarius in Legem, aut Leviticum, conſcriptus Anno 1104. Teſtimonium ergo hoc ita ſonat: ישנו רבותינו עתידין אבות העלם לעמוד בנסן וכו' / *Tradunt Magiſtri noſtri: futurum eſt ut Patres mundi* (h. e. tres Patriarchæ) *in menſe Niſan conſiſtant & dicant Meſſiæ: Ephraim Meſſia juſtitia noſtra, quamvis non ſimus Patres tui, tu tamen es* טוב ממנו / *bonus*, id eſt, excellentior, *præ nobis, quia portaſti iniquitates filiorum noſtrorum, & tranſierunt in te calamitates duræ & malæ, quæ non tranſierunt nec in priores, nec in poſteriores, & riſus ludibriumque gentibus fuiſti propter Iſraëlem, & ſediſti in tenebris & caligine, neque oculis tuis lucem vidiſti; & contra eſt cutis tua ſuper te, corpus tuum exaruit ſicut lignum, oculi tui caligarunt præ inedia, & vis tua exaruit ſicut teſta. Atque hæc omnia propter peccata filiorum noſtrorum tuliſti; fac, obſervamus, benigne, ut filii noſtri percipiant bona, quæ Deus benedictus Iſraëli abundanter largitus eſt; Timemus enim, ne ob dolores, quibus vehementiſſimis illorum cauſa obnoxius fuiſti, & quod in carcerem te conjecerunt ligaruntque, animus tuus in eos minus ſit propenſus. Reſpondet Meſſias: Patres mundi, omnia quæ feci, non feci niſi propter vos, & propter*

Contra animadversionem veterum Hebræorum conſentium, qui ex Jalkuth Simeonis demonſtatur.

per filios vestros, ut fruerentur bonis, quæ Deus benedictus abundanter Israeli largitus est. Regesserunt ei Patres mundi: Ephraim Messia justitia nostra, acquiescat nunc animus tuus, nam mentem possessionis tui, & mentem nostram acquiescere fecisti, &c. Plura non describam, quæ & aliorsum magis spectant. Sufficit ex hisce Judæorum testimoniis patescere Messiæ *excellentiam præ Patribus*, adeoque & nos abunde satis demonstrasse ei olim adscriptum fuisse summum Prophetiæ gradum: cousque etiam ut *cordium cognitio* Messiæ adscribatur, quam Judæorum nullus Angelis adscripserit unquam, multo minus Mosi. Ad quod in specie coronidis loco iis, quæ antè jam *de cordium cognitione* in Messia dixi, nunc adhuc addam, quod citatus R. Abarbanel habet in *Esai.* 11. ubi Dei verba *Esai.* 42: 1. *Dedi spiritum meum super ipsum*, de Messia interpretans hæc habet: עד שמפני נבואתו יהיה יודע סתרי לבות בני אדם *Eo usque ut propter prophetiam suam cogniturus sit secreta cordium filiorum hominis: sicut dictum est Esai.* 11: 3, 4.

Nec non ex locis aliis ex Kabbala petitis.

LV. Et sic quidem simul abundè etiam demonstravimus, ab ipsis Judæis Messiæ eas attribui excellentias, quos oraculum nostrum proprios Prophetæ hic promissi fecerat characteres. Nunc verò adhuc aliam Judæorum observationem addere lubet, ex ipso hoc Mosis oracculo, & per quam in specie evincitur Messiam per *Prophetam* hic memoratum intelligendum esse. Non diffiteor id fieri per Cabbalam, quod doctrinæ genus majorem habet subtilitatem, quàm soliditatem; immo, si recte perpendamus soliditatem, nullam: hactenus tamen pro nobis facit, quod ex conclusione per illam Kabbalam ex textu quovis sacro, jejune adeo & præcario educta, patescat tamen clarissime, quid Judæi de re ipsa opinati fuerint. In quem finem afferam testimonium ex Baal Hatturim, ubi de nostro Textu instituitur sermo, inchoante & finiente cum litera *Nun*, quæ prima est in prima voce נביא / & ultima pariter in postremâ תשמעון / Inde suo tum more hanc depromunt observationem Cabbalisticam: הפסוק מתחיל ומסיים בנון וכו" / *Versus hic incipit & desinit*

cum

cum litera Nun, ut ſignificetur hunc Prophetam noſſe quinquaginta portas intelligentiæ. Hæc autem explicatio hoc fundamento nititur, quod litera *Nun* penes Hebræos numerum quinquagenarium conficit. Conſtat porro Rabbinos tradere, portas intelligentiæ *quadraginta novem* modò patuiſſe Moſi: ſi itaque *quinquaginta* patuerint Meſſiæ, certè hunc Moſe majorem res ipſa ſic ſatis evincit. Immo & aliud quid ex noſtro verſu arceſſunt, idque ex ejus verborum numero concludunt. *Sunt*, ita pergunt *loc. cit. iſto verſu decem dictiones, ut ſignificetur, illi Prophetæ obtemperandum eſſe uti decalogo*: qui, ut notum eſt, ita vocatur, quod decem verbis, ſive præceptis conſtat. Hæc Judæi. Ad quæ nôtat eleganter Jac. Altingius: *Quamvis enim exigua hujus argumentationis vis ſit, liquet tamen hinc quid veteres Caballiſtæ de hoc Propheta ejuſque auctoritate perſuaſum habuerint. Scilicet tribuerunt ei ſummam ſapientiam, ac divinam tum in docendo fidem, tum in mandando poteſtatem.* Vide eum *de Schilone Lib. 5. Cap. 12.* Ubi, & in *Capite ſequente*, plura inſuper hanc ad rem ſpectantia conſuli poſſunt.

LVI. Nunc poſtquam in genere oſtendi, quod §. L. promiſeram, ſecundo loco ב. In ſpecie oſtendendum eſt, Meſſiam in tribus prærogativis ibi recenſitis Moſe nequaquam eſſe minorem. Et quidem 1. Ratione *Prophetiæ*, triplex iterum Moſis excellentia in *materia, fonte & communicabilitate* ejuſdem, Meſſiæ abunde competit. Nam (1) Quod ad *materiam*, ſi *Deus Moſi notum facit vias ſuas Pſalm. 103: 5. Nomenque ſuum coram eo proclamavit Exod. 34: 6 & 7.* Meſſiæ tanto major eſt prærogativa, utpote cui JEHOVA Deus vias ſuas non modò patefecit, verùm quod longè majus eſt, cum quo de iis ineundis conſuluit, quo nempe potiſſimum modo, qui Deum & hominem deceat, absque ſanctitatis ſuæ læſione vel minima, peccatori in Deum fieri poſſit. Quo etiam ſenſu Meſſias inſignitur titulo ראשית דרכו *principium viæ ejus Proverb. 8: 22.* uti eam phraſin explicui *Lib. 1. Diſſert. 2. Cap. 2. §. XXII.* Neque Meſſiæ Deus tantùm notum fecit *Nomen ſuum*, verùm &, quod longè iterum

B. In ſpecie oſtenditur idem per ipſa documenta in tribus Propheticis excellentiis I. Ratione Prophetiæ ipſius in his quatuor: a. in Materia prophetiæ, quæ eſſent viæ Dei, & nomen ejuſdem, quæ utraque forent in Meſſia; etiam ex Exod: 34: 20, 21.

rum majus eſt, *in medio Meſſiæ nomen ſuum poſuit: Ecce mitto*, ait, *Angelum meum coram facie tua, quique vos introducet in terram Canaanis. Cave tibi ab eo, & auſculta voci ejus, ne exacerbes eum, quia non feret defectionem veſtram: quia*

שמי בקרבו NOMEN MEUM EST IN MEDIO EJUS: *Exod.* 23: 21.

Quem locum & ipſe Maimonides cum Deut. 18: 18. comparat æque ac nos; ſed longè alia, id eſt, jejuna ratione.

LVII. Quod ego hic obſervo, eò, ut vides Lector, tendit, ut gradatim evincam de Meſſia, qui ſit ille ipſe Angelus *Exod.* 23. memoratus, omnia eadem prædicari, quæ de Propheta Moſaico *Deut.* 18. adeoque duo ſubjecta, quorum prædicata adeo eadem ſunt, pro uno etiam eodemque habenda eſſe. Longè autem alia ratione Maimonides *Angelum* illum cum *Propheta* hocce ſociat; cujus verba ex *More Neboch.* L. 2. C. 34. ex verſione Joan. Buxtorfii huc adſcribam, & obiter examinabo: *Quod in Lege ſcriptum eſt*; Ecce, ego mitto Angelum meum ante te &c. *Illius ſenſus elegantiſſime nobis declaratur in repetitione Legis* (h. e. in Deuteronomio) *ubi Deus in narratione ſtationis illius in monte Sinai ita ad Moſem ait:* Prophetam ſuſcitabo illis de medio fratrum ſuorum, ſicut tu &c. *Cujus rei probatio inde petita eſt, quod de illo Angelo dicatur*; Cave tibi a facie ejus, & obtempera voci ejus &c. *Iſtud enim præceptum ſine dubio ſpectat ad promiſcuam hominum multitudinem & communem plebem. Hic autem non apparent Angeli, neque vel mandata, vel admonitiones ipſis dant, ut moneri neceſſe habeant, ne contra eos rebellent. Quocirca ſenſus illius loci eſt; ſe Prophetam ipſis excitaturum, cui Angelus ſit appariturus, locuturus & mandata daturus: ac proinde hortatur nos, ne Angelo illi rebelles fiamus, cujus verba & juſſa Propheta ille ad nos ſit perlaturus; ſicut in Deuteronomio explicatur, quando dicitur*; illum audietis. *Item:* Et erit, qui non auſcultabit verbis meis, quæ loquetur in nomine meo &c. (*vers.* 19.) *Item*, (*quod clariſſimum eſt, Exod.* 23: 21.) quia nomen meum in medio ejus. *Hæc omnia* (ita pergit Rambam) *eò tendunt, ac perinde ſe habent, ac ſi dixiſſet; Sciatis quod eximia illa viſio, quam vidiſtis in monte Sinai, non per-*

petuo

petuo ſit apud vos duratura, & quod illius ſimilis nunquam in æternum futura ſit, quod etiam non in ſempiternum Ignis aut Nubes ſupra Tabernaculum ſint futura, ſicuti nunc ſunt: verum Angelus ille, quem ad Prophetam veſtrum miſſurus ſum, is ſub poteſtatem veſtram Urbes ac Civitates rediget, pacem & quietem in terra vobis efficiet, quæ denique vobis vel facienda, vel intermittenda erunt, oſtendet. Atque ita hoc dicto fundamentum illud, quod tam frequenter urgere ſolco, confirmatur; quod omnibus Prophetis, excepto Moſe, Prophetia per miniſterium Angeli contingat. Ita quidem acutiſſimus ille Judæus, at miſerum in modum, etiam dum ſibi hic maxime ſapit, hallucinans. Durum quippe eſt *Prophetam* fingere, *qui Angeli* alicujus (creati ſcilicet, increatum namque haud agnovit Judæus) *verba & juſſa ad Judæos ſit perlaturus.* Quis enim unquam Prophetarum dixit; *Sic ait Angelus*, vel, *Angelus me miſit ad vos*; vel, *in nomine Angeli loquor?* paſſim verò ea omnia & ſimilia de ipſo JEHOVA dicunt. Durum etiam multo magis eſt Angelo tribuere, quod ille *ſub poteſtatem Judæorum urbes ac civitates redigat; pacem ac quietem in terra iis efficiat; quæ denique ipſis vel facienda vel intermittenda eſſent oſtendat:* quum ea omnia ipſi Deo paſſim tribuat Scriptura, & rei ipſa natura. Duriſſimum verò illud eſt, quod Maimonides *Angelum* aliquem *non-Deum* hic loci ſupponat, ubi tamen de ipſo ipſe dixit Deus: *Ille peccata veſtra non condonabit.* Ea enim ſuppoſitio recentioris hujus Rabbini adverſa fronte contrariatur axiomati antiquiſſimorum Rabbinorum Jeſu peccata condonanti objicientium: *Quis peccata condonare poteſt præterquam ipſe Deus? Marc.* 2: 5. *& ſeqq.* Vide hic, Lector, in ſapientiſſimo Judæo illuſtre ſpecimen inſipientiæ, quam Judæorum ſapientibus poſt Jeſum Meſſiam rejectum comminabatur Eſaias *Cap.* 29: 10 *& ſeqq.*

LVIII. Obvium eſt porro per *Nomen Dei* in Sacris denotari ipſum Deum; tum & divina Deitatis attributa, duo illa in primis, *miſericordiæ*, & *juſtitiæ*, *Exod.* 34: 7. denique glorioſa Dei facta, celebritatemque ex his omnibus ena- *Quo ſenſu Nomen Dei fuerit in Angelo faciei, ſive Meſſia.*

enaſcentem. Si itaque in hoc Angelo ſit *Nomen Dei*, erit ergo in illo ipſa Divinitas, ſive *plenitudo Deitatis*. Erunt & in ipſo perfectiones divinæ. Erit & omnis Dei gloria. Quæ ergo omnia intime, & per ipſam experientiam habebit cognita. Quod autem de *Nomine Dei* dixi, pateſcere poteſt ex recta intelligentia deſcriptionis de arca fœderis uſurpatæ, & 1 *Chron.* 13: 6. ubi dicitur *arca Dei Domini ſedentis ſuper Cherubim*, אשר נקרא שם / & 2 *Sam.* 6: 2. ubi idem latius paulo legitur אשר נקרא שם שם יהוה צבאות ישב הכרובים עליו: / Multam hæc verba difficultatem creant Interpretibus in diverſa abeuntibus. Judæi, nec non hoſtes veræ Deitatis Chriſti, ut enervent argumentum, quod pro eo nomine JEHOVA Chriſto, ceu vero Deo attributo, peti ſolet, vertunt: *Quæ*, arca ſcilicet, *vocatur Nomen*, *Nomen* JEHOVA: ac ſi ſenſus ſit, ipſam arcam nomine JEHOVA vocari: quod & nonnulli ex Noſtris, nimis profectò imprudenter, *Metonymice* factum largiuntur: ſed quos erroris meritò accuſavit Clar. Marckius noſter *Exercitat. Miſcellan*, p. m. 287. *& ſeqq.* Eoſdem validius refutaturi alii, qui ſub priori שם non punctum *Tzere*, ſed *Cametz* ponendum volunt, adeo ut non legeretur (*Scheem*) *nomen*, ſed (*Sohaam*) *ibi:* totaque phraſis אשר נקרא שם / ſimpliciter relativo אשר cum adverbio שם in notionem adverbialem coaleſcente, ſignificaret; *Ubi invocatur.* Hoc ergo totius pericopæ ſenſu: *Ubi* (id eſt, ad quam arcam) *invocatur Nomen Domini exercituum, qui ſuper ipſa habitat inter Cherubim.* Quò & inclinare videtur Clar. Camp. Vitringa *Obſervat. Sacr. L.* 1. *C.* 13. *pag. m.* 171. &c. Celeb. autem Joan. Buxtorfius Fil. in *Anticrit. Part.* 2. C. 13. p. 872 & 996. adverſus *Criticam Sacram* Ludov. Cappelli, jam olim obſervavit, ejuſmodi conjecturâ nova vexari communem ac receptam hactenus Codicum Hebraicorum lectionem; contenditque vulgarem lectionem ſimpliciſſimum pariter & emphaticum fundere ſenſum; hoc modo: *Ad quam*, vel *juxta quam*, vel *ſupra quam*, arcam puta, *invocabatur Nomen*, *Nomen Domi-*

ni

ni exercituum, sedentis inter Cherubinos. Cum quo & consentit Pagninus, aliique. Longè verò aliter, & ad institutum meum accommodatius, præclarus ille Criticus Ludov. de Dieu, eadem verba interpretatur hoc modo: *Arcam Dei,* QUI *vocatur Nomen, Nomen* JEHOVÆ *exercituum sedentis in Cherubim supra eam.* Scribitque porro in *Animadvers.* in *h. l. Egregia hæc est arcæ commendatio, quod sit arca istius Dei, qui cum sit incomprehensibilis & indivisibilis essentiæ, vocatur absolute* NOMEN, *& quidem Nomen* JEHOVÆ *exercituum, quique sedeat in Cherubim supra arcam.* Novi equidem nonnulla contra hanc interpretationem objici posse; verùm & illud novi, cujuscunque ea aliis videantur esse ponderis, non certè præclarissimo Lud. de Dieu talia fuisse visa, cujus ego nunc auctoritatem sequi malo, quàm disputando omittere opportunam mihi notionem ℣ שם / qua notet non sonum vocabuli, sed ipsum Deum sono eo designatum. Sic Hebræis השם est sæpe Deus ipse, uti in phrasi illa usitatissima ipsis passim השם יתברך / i. e. *nomen Dei benedictum.* Quo etiam sensu qui NOMEN profanaverit, lapidandus erat; prout & nonnulli capiunt id quod occurrit *Levit.* 24: 11. & 16. Vid. rursus Lud. de Dieu in *h. l.* Sic ergo, quod *Nomen Dei* sit *in interiori* Messiæ, exprimet tam familiarem Deitatis divinarumque perfectionum in Messia cognitionem, sensum, complexum, ut Mosi *Nomen Dei* non intus intra se habenti, sed extus proclamatum tantùm audienti, non par modò, sed longè superior habendus foret.

LIX. Alterum, quod præ aliis in Prophetiæ gradu singulare habebat Moses, erat, quod ex ipso quasi *fonte* suam hauriret doctrinam, dum Deus ipsum alloqueretur *facie ad faciem, quemadmodum alloqui solet quis amicum suum Exod.* 33: 11. Idem verò & Messiæ competit. Sic enim ipse, si non quod ad phrasin eam, saltem quod ad rem ipsam loquens inducitur *Esai.* 50: 4. *Dominus* JEHOVI *dedit mihi linguam eruditissimam* (vel, eruditorum) *ut sciam tempestive eloqui verbum defesso: excitat unoquoque mane, excitat* (inquam) *mi-*

b. In fonte *prophetiæ, qui erat ut Mosi, sic Messiæ immediatum & familiarissimum cum Deo colloquium foret: unde* Angelus faciei *vocatur,*

mihi aurem ad audiendum, *ut* (audiuntur) *eruditiſſimi* (vel, ut audiam velut eruditi.) Meſſiam ibi loqui, & loqui cum manifeſta alluſione ad ſuum munus Propheticum, ad totum contextum attendenti ilico conſtat. Jam verò repræſentat ſeſe tanquam familiariſſimum ſummi JEHOVÆ diſcipulum, qui ab ipſo per immediatam inſtitutionem eximiam ſapientiam accipiat. *Dedit* namque *ei Deus linguam*, ut loqui queat; & quidem *eruditorum*, ut cum ſapientia & ἐν δυνάμει loquatur; ut & tempore *opportuno* loquatur talia, quæ maxime facerent ad ſolatium *defeſſorum*, longa exſpectatione Meſſiæ, & gravi pariter ſervitute delaſſatorum, quibus annuntiaturus erat *requiem*, conf. *Eſai.* 28: 12. Ipſam autem etiam elocutionis materiam idem Deus ipſi intime inſinuat, dum *ei aurem excitet ad audiendum inſtar eruditorum*, h. e. *quod ſuper ipſo ſit*, (utor verbis Celeb. Cocceji) *Spiritus ſapientiæ*, *ut quæ in Lege ſcripta ſunt ſic intelligat*, *ut qui Deo doctore perdidicerit*. Quid vero? cujus auris ita excitatur ab ipſo Deo, nonne cum ipſo Deus loqueretur *de facie ad faciem?* Id verò facit Deus *unoquoque mane*, præceptoris inſtar diſcipulum ſuum cum ſurgente ſole ad novam ſemper doctrinæ lucem hauriendam excitantis. Sed & alibi ſe ipſum Meſſias exhibet tanquam diſcipulum haud obliviosum, ſed è contrario per ipſas etiam *noctes* meditantem atque ruminantem quæ de die didicit. Ita namque Meſſias *Pſalm.* 16: 7. *Benedicam* JEHOVÆ, *qui dedit conſilium mihi*, me docens quæ mihi dicenda ac facienda ſunt; uti gloriabatur deinceps Jeſus Patrem ipſi dediſſe *mandatum*, *quid dicere deberet*, *Joan.* 12: 49 & 50. & *præmonſtraſſe ipſi quid agere deberet*, *ibid. Cap.* 5: 36. *etiam de nocte* (non modò tenebrarum, ſed præprimis afflictionum) *erudiunt me renes mei*, ne per deſideria vel minima, quorum ſedes renes ſunt, aut cogitationes cordis intimas a Lege recedam. Neque deſunt phraſes, quæ ſatis clarè indicent Deum Meſſiam alloqui de *facie ad faciem*. Dicitur enim Meſſias *in ſinu Dei*, tanquam *nutritius fuiſſe*, *ejuſque delitiæ quotidianæ*, & *lætificans coram eo omni tempore*. *Prov.* 8: 30. Immo vel ipſe audit מלאך פניו / *Angelus faciei ejus*,

ejus, *Esai.* 63: 9. de quo si quis dubitare vellet, convinci a me poterit vel per ipsos Hebræorum Doctores, qui per *Angelum faciei* JEHOVÆ intellexerunt *Schechinam*, sive *Messiam*, quem non modò *Angelum faciei Dei* nuncupari ferunt, verùm & aliquando absolute *Faciem*.

LX. Neque est ut plurium testimoniorum coacervatione id comprobatum dem, cùm hæc passim sint obvia, & in primis apud Galatinum *de Arcanis Catholicæ Veritat. L.* 3. *Cap.* 12. Quod multis etiam ostendit ex priscis monumentis Jac. Altingius in *Deut.* 5: 7. Idem istud asseruit etiam Sal. Tillius noster in *Malachia Illustrato* p. 282. nec non Sal. Deilingius *Observat. Sacr. Part.* 1. *Observ.* 18. in *Psalm.* 42: 3. Et referuntur eò loca *Mal.* 3: 1. *Psalm.* 80: 4. & 17: 15. ubi per *Faciem Dei* Judæorum traditio vetus intelligit Messiam. Huc & facit *Exod.* 20: 3. ubi in Lege ita præcipit Deus: *Non habebis Deos alios* על פני / quod vulgò redditur; *Coram facie mea*, quasi esset לפני / At annotant Linguæ Hebrææ periti etiam verba ea reddi posse, *juxta faciem meam*; ut ita על significet *præter*, prout venit *Gen.* 31: 50. ubi Laban Jacobum adjurans ita inquit: *Si acceperis uxorem* על / *præter filias meas*, ut eam juxta eas uxorem habeas. Quo pacto hunc sensum habebunt verba recitata: *Non erunt tibi Dii alii præter faciem meam.* Si hic *facies Dei* Deum ipsum denotet, uti 2 *Sam.* 17: 11. *Davidis facies* ipsum notat *Davidem*, jam mandatur procul dubio Deum solum pro Deo habendum & colendum. At verò & aliud quid insuper præcipi potest, scil. & Messiam pro Deo habendum, utpote quem *Angelum faciei*, & nonnunquam absolute *Faciem* dici, vel ipsis ex Judæis modò observabam. Insignem locum addere juvabit, qui exstat *Deut.* 4: 37. Ibi Deus celebratur Israëlem eduxisse ex Ægypto בפניו / quod Belgæ nostri & Interpretes plures verterunt; *coram facie sua*: ac si legeretur לפניו / At considerandum particulam ב hic idem notare posse, si non debere, quod mox illa notat in subsequente vocabulo בכחו / quod

Immo & ipsa Facies Dei *juxta ipsorum Judæorum opinionem, quæ firmatur ex locis S. Scripturæ: etiam ex Exod.* 20: 3. & *Deut.* 4: 37. & *Exod.* 33: 25.

Belgæ & plerique reddunt PER *ejus potentiam*. Quid enim, quæſo, cauſæ eſt, cur in eodem ſermonis tenore, & eodem etiam verſu, eadem non eodem etiam modo reddatur in בפניו / ut adeo ſenſus ſit, Deum Iſraëlem eduxiſſe ex Ægypto *per faciem ſuam?* quod & Chaldæus ibidem loci reddit per *verbum ſuum*, Meſſiam puta, qui ipſe *Dei facies* audit, & cujus erat Iſraëlem introducere in terram promiſſam, prout antè citavi ex *Exod.* 23: 21. Neque alio forſan ſenſu etiam Moſes precatur *Exod.* 33: 25. *Ni facies tua unà eat, ne facias nos hinc abire.* Quæ ſi ita ſint, nemo dubitare poterit, quin Meſſias, qui *Angelus faciei Dei*, quin & ipſa audit *Dei facies*, non minus quàm Moſes locutus fuerit cum Deo *facie ad faciem.*

C *In abundantia Spiritus Prophetici maxima; nam uti largus ſuper Moſe Spiritus, ita & ſuper Meſſia, etiam uſque ad* odoratum timoris Domini.

LXI. Quemadmodum ergo Meſſias Moſi par fuit in duabus hiſce excellentiis *facultatis Propheticæ*, ita nec in Tertia erit minor, id eſt, larga ejuſdem *communicabilitate.* Tanta enim Spiritus S. copia præditus foret, ut de eo aliis impertiri potuerit abundantiſſime. Etenim de ſe ipſo teſtatur Meſſias *Eſai.* 61: 1. *Spiritus* JEHOVÆ *Domini eſt ſuper me, quia me unxit* JEHOVA *ad euangelizandum manſuetis* &c. Quod & Judæos de Meſſia capere conſtat ex Kimchio, *Locutus eſt*, ait, *Propheta in nomine Meſſiæ.* Quantâ verò id copia docetur *Eſai.* 11: 1. 3. ubi de *virgula prodeunte ex ſucciſo trunco Iſai, & ſurculo e radicibus efflorescente*, Propheta in hunc modum effert: *Super ipſo quieſcet Spiritus* JEHOVÆ, *Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ; Spiritus conſilii & potentiæ; Spiritus ſcientiæ & reverentiæ* JEHOVÆ; *cujus odoratus erit conjunctus reverentia* JEHOVÆ. De cujus loci ſenſu infra dicturi ſumus diligentius *Diſſertat.* v. ad *Jer.* 23: 5, 6. de *Germine ſuſcitando Davidi.* Nunc id unum obſervabo, poſteriora verba Hebræa והריחו ביראת יהוה / (quæ ita vertit Pagninus; *Et odorari ejus in timore Domini*) jam ab antiquiſſimis temporibus ita ab ipſis fuiſſe Judæis intellecta, ut vetuſtiſſima inde inter Judæos opinio originem traxerit, cenſentes (neque citra rationem) poſſe & debere Meſſiam ad adſpectum cujuspiam pernoſſe ac judicare, quis probus, quis contrà improbus ſit.

ſit. Qui proinde *odoratus* ſignum etiam eſſet certiſſimum, ex quo Meſſias dignoſceretur, veruſne ille eſſet, an ſecus? Inde tradunt Gemariſtæ ſuos Sapientes hoc ſignum in ſuo examine vehut præcipuum a Barcosba dicente, *Ego ſum Rex Meſſias*, petiiſſe, ut iis experientiâ comprobatum daret, אם מורח ודאין / *An odoraretur & judicaret?* h. e. *quod odore* dignoſcere valeret, adeoque certum ferre *judicium*, quis timeret Deum, quis non. Alluſione profectò manifeſta ad Eſaiæ ea verba, de Meſſia prædicentis, quod *odoraretur in timore Domini*, ſive, uti interpretatur Celeb. Joan. Coccejus, *ipſum timorem* JEHOVÆ; quod cùm præſtare non poſſet Barcosba, ſed falleret, agnitum eſt hoc ipſo non verum eſſe eum Meſſiam: adeoque eum occiderunt. Vid. *Cod. Sanhedr.* fol. 43. col. 2. Merentur porro hic conferri quæ eleganter de hac phraſi commentatus eſt eruditiſſimus Camp. Vitringa P. in *Eſai.* 11: 3.

LXII. Sed ex eadem illa hypotheſi lucem affundere poſſumus variis locis Euangelii. Huc ſpectat judicium Phariſæi de muliere illa peccatrice, pedes Chriſti lachrymis ſuis irrigante, madidoſque capillis ſuis abſtergente, dicentis; *Si hic Propheta eſſet, noſſet utique quæ & qualis ea ſit mulier, quæ tangit eum, quod peccatrix ſit*, *Luc.* 7: 38. & 39. Vel enim ille ipſum Meſſiam hic titulo *Prophetæ* intelligit, uti illi *Joan.* 6: 14, 15. ſupra §. XXXIX. allegati; vel errore magis tunc communi, ibidemque notato, magnum aliquem Prophetam a Meſſia diſtinctum, Meſſiaque minorem; cui tamen ſi tantam ſcientiam tribuat, quanto magis eandem ipſi Meſſiæ tribuiſſe putandus eſt? Iſtud certe idem erat argumentum, quo commotus fuit Nathaniel, ut *Jeſum agnoſceret Filium Dei, & Regem Iſraëlis*; quia talia ei indicaverat Jeſus, quæ ipſe clam, nemine præſente, ſub ficu egerat *Joan.* 1: 50. Quò & facit illud mulieris Samaritanæ, quæ ex eo, quod *Jeſus ei dixerat omnia quæ fecerat*, probe concludebat eum revera eſſe *Meſſiam*: *Joan.* 4: 29. Cui quoque veritati teſtimonium perhibent hodierni Judæi, atque

Quem ipſi Judæi characterem Meſſiæ ſtatuunt; uti probatur ex locis Luc. 7: 38. Joan. 1: 50. 4: 29. *item ex Maimonide.*

ipſe Maimonides, qui etiamſi neget Meſſiam dignoſcendum ex miraculis (de quibus mox ſumus acturi diligentius) conſentit nihilominus, omnibus id viribus urgens, tanta fore Meſſiam Spiritus virtute præditum, ut non modò ad adſpectum quemque ſit *judicaturus, ſitne Iſraëlita nec ne*; verùm præterea talis ſi ſit, *e qua ille tribu oriundus.* Locus ipſe meretur adſcribi ex ejus Tractatu *de Regibus Cap.* 12. §. 3. בימי המלך המשיח וכו׳ *In diebus Meſſiæ, cum firmatum erit regnum ejus, & omnes Iſraëlitæ ad ipſum congregabuntur, omnes in genealogiam reducentur ex ore ejus per Spiritum S. qui ſuper eum quieſcet; uti dicitur* (*Mal.* 3: 13.) Et ſedebit purificans & mundans &c. *Et primum puriſicabit filios Levi, ac dicet, ille eſt ex proſapia Sacerdotis, & ille ex genere Levitarum, atque repellet eos, qui non ſunt ex proſapia Iſraëlis. Nam ecce dictum eſt* (Ezræ 2: 63.) Ait Hatirſata illis, uſquedum ſurgat Sacerdos cum Urim & Thummim. *Ecce didiciſti, quod per Spiritum S. genealogiæ accenſebuntur: qui præſumuntur, & qui indicare poſſunt proſapiam. Non autem ille recenſebit proſapiam Iſraëlis, niſi ſecundum ſuas tribus. Nam judicabit, quod hic ſit ex illa tribu, & ille ex iſta tribu. Sed non dicet de iis, qui præſumuntur legitimi, hic eſt ſpurius, & ille eſt ſervus. Nam judicium ejus erit, ut familia, quæ abſcondita eſt, abſcondita maneat.* Hæc Judæi. Et hæc quidem prærogativa ſoli Meſſiæ ſupremo gradu propria. Quorum in eum finem meminimus, ut oſtendamus vel ex ipſa Judæorum veterum & recentiorum opinione, Meſſiam non minori, verùm multo majori Spiritus copia inſignitum fore, quàm olim Moſem: atque adeo, quod Moſes de ſuo Propheta ſibi pari dixit, in unum quadrare Meſſiam.

d. In communicabilitate ſpiritus prophetici, quem æque ac Moſes aliis largiri poſſet.

LXIII. Cæterùm & illud, quod de ſuo Spiritu tam largo aliis etiam largiri poterat Moſes, & noſtro competit Meſſiæ: cujus quidem in diebus apud omnes paſſim Prophetas promittitur futura maxima Spiritus S. affluentia, utpote *quem Spiritum effuſurus erat* JEHOVA 1. *In omnem carnem Joel.* 2: 28. quod ante dies Meſſiæ non ita contigit, quando vere ob-

obtinuit, quod nimis generatim Judæi tradunt pro axiomate, quod omni tempore obtineat, nempe שכינה לא שורה בחוצה לארץ: *Gloria divina non habitat extra terram* Iſraëliticam: uti & *Spiritum Sanctum non donari gentili.* vid. *Ligtfoot. Hor. Hebr.* & *Comment. in Act.* 2. p. 695. a. & 767. a. Et quidem 11. Effuſurus erat JEHOVA illum ſpiritum *inſtar aquarum* & *fluminum* uberrimorum: conf. *Eſai.* 44:3. *Ezech.* 36: 25. 27. & 47: 1. *& ſeqq. Joël.* 2: 28. JEHOVA autem ille effuſurus vel ipſe erat Meſſias, vel ſaltem Deus Pater in, & per Meſſiam, cui certe hujus Spiritus datio apertiſſime vendicatur, qui *adſcendens in altum dona acciperet daturus hominibus Pſalm* 68: 19. ubi acclamatur ipſi: *Tu adſcendiſti in altum, captivam feciſti captivorum multitudinem, accipiens dediſti dona hominibus: etiam rebelles habitando captivos facis, Jah Deus.* Quis enim *adſcendit in cœlum, niſi is qui ante deſcenderat de cœlo in inferiora terræ?* quemadmodum & Paulum, & ipſum Jeſum ratiocinantem de hoc loco Pſalmi audimus *Epheſ.* 4: 10. *& Joan.* 3:13. Quis porro, cum ipſe *Deus* eſſet, uti clare vocatur *Pſalm.* 68: 18. & 19. *dona* poſt adſcenſionem accepit? Non ſane Deus Pater; uti res ipſa docet. Ille enim a nemine dona ulla accipit. Deus ergo Filius, cui a Patre promiſſus erat Spiritus S. quem tunc ipſe effundere poſſet in quoſcunque vellet, & quacunque vellet menſura: de qua re ipſe toties in Euangelio loquitur, uti ex. gr. *Joan.* 7: 37. & 14: 16. Ex quibus omnibus facile eſt concludere, Meſſiam *Moſi* debuiſſe *eſſe parem*, immo multo majorem, *in gradus Prophetiæ & doctrinæ excellentiâ.*

LXIV. Idem porro verum quoque eſt de *Miraculis*, quibus etiam Meſſias ſuam confirmaturus erat doctrinam, in qua etiam parte *Moſi parem* futurum Meſſiam Judæorum certe Eccleſia vetus exſpectavit. Ita namque R. Levi Gerſom, per compendium literarum dictus aliàs רלבג (Ralbag) Magiſter magnæ famæ inter Judæos, qui floruit maxime ſeculo 14. natione Hiſpanus, vel *Provincialis*, ex oppido *Bagnoli.*: unde vulgò dictus *Magiſter Leo de Bagnolo*, celeberrimi Mo-

11. *In miraculorum plurimorum & maximorum præſtantia, quæ à Meſſia exſpectabant Judæi recentiores & antiquiores, non tantùm in genere;*

Moſis Nachmanidis ex filia nepos. Vid. de eo Bartoloccii *Biblioth. Rabbin. Tom.* 4. p. 6. Wolfii *Biblioth. Hebr.* p. 726.

Is verò ſectione בלק ita ſcribit: המשיח יהיה יותר גדול ממשה ויתבאר שנפלאותיו תהיינה למעלה מנפלאות משה: / *Meſſias erit major Moſe, & etiam miracula ejus erunt majora miraculis Moſis.* Inſigne etiam hoc teſtimonium præbet Targum Hieroſolymitanum exponens *Eccl.* 1: 11. *Non erit memoria priorum ſæculorum, etiam poſterorum, quæ futura ſunt, non erit eorum memoria aut comparatio cum iis, quæ fient in diebus Regis Meſſiæ.* Hæc uberius ſic interpretatur Midraſch: *Quot ſigna facta ſunt filiis Iſraëlis, ex quo egreſſi ſunt ex Ægypto?* Et reſpondetur: *De ipſis ait* (Targum np.) *non erit memoria priorum, quæ ante exitum, & poſteriorum, quæ poſt exitum facta ſunt. Non erit eorum memoria cum illis, quæ erunt in futuro ſæculo Meſſiæ, juxtà dictum Jeremiæ* (cap. 23: 7.) *Non dicent ultra, vivit* JEHOVA, *qui eduxit filios Iſraël ex Ægypto.* Hoc reſpectu notandum in Libro *Berachoth Cap.* 1. Meſſiæ miracula dici עיקר / *ſubſtantiam*, in relatione miraculorum a prioribus prophetis editorum, quæ nonnunquam à Judæis vocantur טפלה / *minus principale, acceſſorium, adhærens, quod accidentis* habet rationem, & cujus oppoſitum eſt modò memoratum עיקר / *fundamentum, principium, principale, præcipuum alicujus rei.* Vid. Buxtorfii *Lex. Rabbin.* ad has voces: de עיקר quidem *col.* 1653. de טפלה verò *col.* 902. Ex qua generali obſervatione illud ſaltem ſequitur, Meſſiam, ſi Moſi, qui omnibus ſuperior fuit, *par* ſit futurus in miraculis, ſaltem tunc debere facere, quod Prophetæ Moſe minores fecerunt. Horum verò nonnulli ægros ſanaverunt, famelicos ſaturarunt, mortuos excitarunt, ventos pluviaſque & dederunt, & inhibuerunt, ſolem ſtiterunt lunamque, imperarunt fluminibus, medelam attulerunt aquis, ſimiliaque patrarunt mirabilia, qualia vel ex Eliæ Eliſæque actis in Scriptura recitatis ſatis ſuperque conſtant. Quorum ille etiam, typus in hoc ipſo Meſſiæ, modò adſpectabili in cœlum aſſumtus eſt.

LXV.

LXV. Immo & magis in ſpecie reſpectu miraculorum Moſis & Meſſiæ has inſtituunt cómparationes. Uti Moſes inequitavit aſino *Exod.* 4: 20. ita de Meſſia prædicitur eum aſino inequitaturum *Zach.* 9: 9. Quod & aliquando de Meſſiæ ſtatu obſcuro intelligunt ejuſque humilitate. Conf. Cel. Cocceji *Not.* in *Exerp. Gemar. Sanhedrin Cap.* XI. §. 32. p. m. 363. Moſes aperuit petram, ut aqua inde exiret *Exod.* 17: 6. ita Meſſias aperturus erat fontem *Joël.* 3: 18. coll. *Zach.* 13: 1. Moſes panem de cœlo fecit deſcendere *Exod.* 16. eodem modo Meſſias allaturus erat panem *Pſalm* 72: 16. Plura id genus proferunt hic illic in ſuis ſcriptis; unde tunc colligunt Meſſiam *Moſi ſimilem* futurum. *Sed & in ſpecie magis.*

LXVI. Utque magis pateat non recentiorum eam ſolùm Judæorum exſpectationem fuiſſe, ſed & antiquiſſimorum, ipſa hiſtoria Euangelica docet aliquoties Judæorum principes ad Jeſum veniſſe, & ſignum, quô ſe Meſſiam revera eſſe comprobaret, abs eo petiiſſe *Matth.* 12: 38. 16: 1. *Luc.* 11: 16. *Joan.* 2: 18. 6: 30. Sæpius etiam de Jeſu aliquod edente ſignum, turbam dixiſſe; *Ecce ille eſt Propheta venturus*, *Joan.* 6: 14. 15. Et rogaſſe, *Chriſtus quum venerit, num ſigna plura edet iis, quæ iſte edidit? Joan.* 7: 31. In hac itidem ſententia per multa ſecula, poſt rejectum Jeſum, perſtiterunt Judæi; & quidem adeo univerſaliter, ut vix ullus unquam prodierit Meſſias falſus, quin ab eo ſigna ſemper petere conſueverint. Cujus rei multa nobis documenta refert Maimonides in *Epiſtolis ſuis* de Meſſiis falſis quibuſdam. Nec mirum Judæos a ſuis Meſſiis miracula exegiſſe: communis quippe fuit opinio, inter alias Meſſiæ notas Miraculorum quoque patrationem fore. Sic nempe Maimonides, magiſter ille celeberrimus, cujus tempus & patriam ante §. L. indicavi, in *Commentario* ad *Sanhedrin Cap.* 10. ita ſcribit: *Et ſervient Meſſiæ omnes terræ propter juſtitiam ejus, & miracula, quæ per ipſius manum fient.* Nec ille tantùm, ſed & Abarbanel, Rabbinus paris ferme celebritatis, de quo & aliquid dixi ſupra §. LI. qui unus omnium inſtar in *Eſ.* 11. inter decem, quas recenſet, Meſſiæ proprietates, ſexto loco & hanc collocat, *Quæ exſpectatio Judæorum patet ex ipſo Euangelio.*

הנסים והנפלאות שיעשה מלך המשיח בנגד הטבע: / *ſigna* nimirum, *& miracula*, *quæ Rex Meſſias facturus eſt contra naturam.* Reddit autem hanc rationem: *Quoniam enim Meſſias valide adhæſurus eſt* JEHOVÆ יעשה אותות ומפתים בשמים ובארץ וכ"ל / *faciet ſigna & prodigia in cœlis & in terra. Hoc enim vaticinatus eſt Joël Propheta, quod tempore redemtionis multiplicanda ſint Prophetia & miracula in medio terræ: ſicuti dicitur; poſtea effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem &c. Et dabo prodigia in cœlo & in terra* בשבוזמן הגאולה העתידה / *Tempore redemtionis futuræ*, ait Abarbanel: h. e. tempore Meſſiæ, cujus redemtionem cum illa vetere Ægyptiaca eleganter ita comparat. Quibus addere licet, quæ exſtant in tractatu Ejuſdem *Miphalos Elohim Serm.* 10. *C.* 7. ubi vaticinium Danielis *cap.* 12: 6. allegans ita ſcribit: *Et quia tempore redemtionis* (per Meſſiam) *futuræ momentoſa miracula multiplicabuntur, Daniel* (*loc. cit.* ſcil. *Cap.* 12: 6.) tempus illud *vocat* finem prodigiorum.

Idque juxta oracula Eſaiæ, Joëlis, Michææ.

LXVII. Nec mirum tanto conſenſu Judæos a Meſſia exſpectare miracula, cùm & Prophetæ eam ſpem fecerint. Propheta enim Eſaias prædixerat *Cap.* 8: 18. Meſſiam aliquando in carne, ſi non verbis ipſis, certè rerum teſtimoniis dicturum: *Ecce ego, & pueri, quos dedit mihi Dominus* לאותות ולמופתות בישראל / *in ſigna ſunt, & in portenta in Iſraële.* Hæc etenim verba Dei Patris non ſunt. Nam quis ille, quæſo, foret, *Dominus*, qui ei *filios dediſſet?* Nam qui hic loquitur ſe diſtinguit a Domino, a quo filios iſtos acceperit. Meſſias itaque hic loquitur, cui tanquam Eccleſiæ vindici filii dati ſunt a Deo Patre ab eo redimendi. Quem in finem certiſſime ſuo adfuturus eſſet tempore ad populi ſui ſalutem: quo futuro adventu Eſaias Eccleſiam, longa animi patientia ac deſiderio multo delaſſatam ſolatur, introducendo ipſum Meſſiam, qui & filios ſuos Apoſtolos Iſraëli oſtentat tanquam *ſigna & prodigia*, id eſt, horum patratores. Idem Eſaias mox *Cap.* 9: 5. quaſi ſe propius explicaturus, inter varios Meſſiæ titulos & illum recenſet, eum vocatum iri פלא / *admirabileu*, ob admirabilia ſcilicet etiam opera, quæ editu-

rus

rus erat, atque ordinarium naturæ curſum longe ſuperatura. Quocirca idem illum etiam deſcribit tanquam *in multitudine potentiæ, ſufficientem ad ſervandum*, ibid. *Cap.* 63: 1. & ad finem circiter hujuſce *Capitis* haud obſcure comparantur Moſes & Elias, atque ſubindicatur non minora in ſua redemtione Meſſiam patraturum opera mirabilia, quàm quæ in redemtione Iſraëlis ex Ægypto olim præſtitiſſe memoratur Moſes. Quænam verò in ſpecie miracula patraturus erat Meſſias oſtendemus in peculiari Diſſertatione, ſi ita Deo viſum, demonſtraturi Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam ex miraculis ab eo editis, quæ ex Euangeliſtarum narratione ad quasdam claſſes certo tunc & perſpicuo ordine ſumus redacturi, & de ſingulis adſtructuri, iſthæc a Meſſia olim peragenda prædixiſſe Vatum oracula. Suffecerit pro conſilii noſtri ratione impræſens, eundem quoque Eſaiam prædixiſſe *Deum* Iſraëlis *venturum ad ſalvandum ſuum populum, tunc vero cæcorum oculos aperiendos eſſe, aureſque ſurdorum patulas fore, ſaltaturos claudos velut cervus, linguamque muti jubilaturam*, *Cap.* 35: 4.6. *Doctorem* illum *Juſtitiæ* qui ſimul foret *Deus Iſraelis, miraculoſa ratione cum ipſis acturum*, etiam dixerat Joël *Cap.* 2: 26. & id eò quidem uſque, ut eo tempore *viderent* iterum *miracula, qualia viderant olim in exitu ex Ægypto*, uti diſertiſſime adjecerat Micha *Cap.* 7: 15. Mitto nunc locum ex *Dan.* 12: 6. modò ab Abarbanele §. *præced.* allegatum.

Quibus omnibus Maimonides malignè ſe opponit, negans miraculis confirmandam fuiſſe prophetiam Meſſiæ: uti & eum ſecuti Rabbini alii.

LXVIII. Tam verò vetuſtam Judæorum ſpem, tam conſtantem Patrum fidem, ipſorum Prophetarum oraculis ſubnixam, a ſe ipſo quoque alibi, prout modò oſtendi, agnitam improbo conſilio Maimonides, idem, inquam, Maimonides, cujus modò verba adduxi, violare agreſſus eſt. Namque ſui quaſi oblitus, diſerte aliis in locis negat miracula & ſigna patrandi poteſtatem Meſſiæ indicium eſſe. Uti etiam negat Moſen miraculis ſuis probaſſe ſuam ad Prophetiam vocationem. Quæ omnia ipſis Maimonidis verbis oſtendam. Et primum quidem ex luculentiſſimo teſtimonio, quod exſtat in ejus Tractatu *de Regibus* Cap. XI. §. 3. ואל יעלה

"יעלה על דעתך וכו / *Ne aſcendat in mentem tuam quod Rex Meſſias neceſſario debeat facere Miracula & ſigna, aut naturam reformaturus, aut mortuos in vitam revocaturus ſit, aut res ſimiles facturus, quod ſtolidi dicunt: nam R. Akiba egregie eruditus in traditionibus Veterum, portavit arma BenCosbæ Regis, & de ipſo dicere conſueverat, illum eſſe Regem Meſſiam, quin cogitavit ille, & omnes Sapientes ætatis ejus, eum Meſſiam eſſe, uſque dum propter iniquitates interfectus eſt &c. Atqui non petiverunt Sapientes ab ipſo vel ſignum vel miraculum. Rei autem iſtius ratio primaria eſt, quod Lex & inſtituta & jura ejus in ſæculum & ſæcula ſæculorum ſint.* Hactenus Maimonides. Qua in re & nonnulli alii recentiores Gentis hujus Doctores ſecuti ſunt, uti Joſeph. Albo, Menaſſe Ben Iſraël *Concitat. quæſt.* XI. in *Deuter.* §. 4. Et hæc quidem oſtendunt quàm unanimi aſtutia recentiores Judæi conentur enervare quicquid Chriſtiani pro Jeſu ſuo afferunt, etiamſi pari unanimitate a veteribus Judæis conceſſum fuerit.

Quemadmodum Maimonides idem negaverat de Moſis miraculis, quod de omnibus etiam Prophetis alii Judæi dicunt.

LXIX. *De Moſe autem quod dixi*, ſcribit Maimonides *De Fundament. Legis Cap.* משה רבינו לא האמינו בו ישראל מפני האותות שעשה וכו' *Iſraëlitæ non crediderunt Moſi magiſtro noſtro propter miracula, quæ patravit: quia animo credentis propter ſigna ineſſe poteſt ſuſpicio, fieri poſſe, ut quis miraculum fecerit per incantationem aut præſtigias: ſed omnia miracula quæ in deſerto fecit Moſes magiſter noſter, propter neceſſitatem patravit, non ut probationem de prophetia ſua adferret.* Quin & generatim de Propheta qualicunque affirmant Judæi poſſe eum Prophetam eſſe, etſi nullum edat ſignum. Quod & ante luculenter ſatis docui, & hic relegi velim.

Maimonides refutatus à Vorſtio & Leidekero: item ab Auctore, oſtendente eum S. Scripturæ adverſari.

LXX. Ego quidem hic primùm adſcribere poſſem nonnulla ex *Notis* duorum doctiſſimorum ad duos iſtos Maimonidis Tractatus citatos, Guil. Vorſtii ſcilicet ad illum de *Fundament. Legis* p. m. 109. & Melch. Leideckeri ad eum de *Regibus* p. m. 198. prout hic exſtat *Faſciculo* 9. *Opuſculorum, quæ ad Hiſtoriam & Philologiam S. ſpectant:* ubi ex aliis Rabbinis Maimonidis, & ſequacium ipſius ſententia refutatur: verum

verùm hæc nimis multa ſunt, & a curioſo Lectore conferri poſſunt. Mea verò ſententia breviter ita eſt. Verum quidem eſſe in genere quod Abarbanel contendit, Prophetam excellentem eſſe poſſe ſine ullo miraculo; attamen neutiquam in ſpecie de Moſe, aut Meſſia, uti contendit Maimonides, verum eſſe poſſe, quia diſertiſſime legimus Moſi tergiverſanti miracula data a Deo fuiſſe ad divinæ vocationis ſuæ fidem apud Iſraëlitas & Ægyptios impetrandam; uti videas *Exod.* 4: 1–9. & *Pſalm.* 105: 27. De Meſſia autem legimus æque diſerte, quod & ipſum Abarbanelem, qui Maimonidem cæteroquin ſequi, ac quavis ferme pagina defendere ſolet, vi veritatis convictum agnoſcere ſupra vidimus §. LXVI. ipſum miracula juxta Prophetas editurum eximia, & Judæos veteres id a Jeſu ideo petiviſſe. Exemplum porro BenCosbæ, ſine ullo quaſi efflagitato miraculo pro Meſſia agniti, a Maimonide vix bona fide potuit adduci. Non enim ignoravit Maimonides, tantus Doctor, quod Gemariſtæ ſupra §. LXI & LXII. narrarunt de *odoratu timoris Domini*, quem ab illo BenCosba exegerunt Sapientes. Nullam quoque rationem habuit narrationem eam negandi, aut in dubium vocandi. Unum dicere potuit, quod qui *odoratum* illum *timoris Domini* in ſe oſtendit, oſtendat quidem divinam aliquam qualitatem, non tamen faciat proprie dictum miraculum, qualia Maimonides modò allegaverat *naturam reformare*, *mortuos in vitam revocare*, aut *ſimiles res facere*. Verùm non opus eſt in verbis ludere. Omne illud quod ab aliquo exigitur aut opere externo, aut verbis, aut geſtu quocunque præſtandum, ut eô oſtendat ſe eſſe Meſſiam, revera *ſignum* dici poteſt. Et ſi illud ſit aliquid humana potentia majus, jam etiam *miraculum* vocari meretur. Tale verò id erat quod a Barcosba exigebant Sapientes. Si fortè inſtaret Maimonides regerendo; attamen talia ſigna aut miracula a Barcosba ſapientes illi homines non exegerunt, qualia Chriſtiani dicunt a Meſſia exſpectanda fuiſſe, & a Jeſu ſuo præſtita. Reſponderim primò, non inquirendum nobis eſſe quid ita dicti Sapientes a Meſſia exigere debuiſſent, & potuiſſent juxta Prophetarum oracula. Deinde verò ipſos forſan ex quadam prudentia exigere voluiſſe

in vocibus ludere, & Sapientum ſuorum exemplo abuti:

luiſſe id, quod gravius erat, & magicis artibus non adeo præſtari poterat, quam opera alia externa miraculoſa. *Corda* enim atque *renes ſcrutari* adeo *Deo* proprium eſt, ut Deus iſtud non tam communicaverit cum Prophetis, quàm quidem *opera omnipotentiæ* facere. Idem ergo putarunt eſſe ſignum Meſſiatus (ut ita dicam) adeo proprium, ut, ubi illud adeſſet, nullo alio miraculo opus eſſet. Non tamen ideo negaverunt, quod Maimonides illis adſcribere velle videtur, verùm Meſſiam etiam alia illa ante allegata miracula præſtiturum.

Qui nequaquam dubitaverunt de neceſſitate confirmandi Meſſiatum per miracula. Uti probatur 1. Ex pronitate eorum ad petenda miracula in cauſa Meſſiæ. 2. Ex conatu refutandi Jeſu miracula per duo figmenta.

LXXI. Et profecto, quomodo id negare potuiſſet contra tam conſtantem Patrum fidem ex ipſis Prophetiis petitam, uti ſupra §. LXVI & LXVII. oſtendi? quam paſſim animis omnium quoque Sapientum infixam fuiſſe duplici adhuc novo nunc oſtendam ſpecimine. Primùm enim adeo conſueti erant Judæi cum Meſſiæ adventu exſpectare miracula, ut ne quidem poſſent audire aliquem Sapientum ſuorum de tempore adventus iſtius diſſerentem, quin ſtatim ab eo peterent aliquod miraculum. Elegans hanc in rem hiſtoria exſtat *Ex Gemara Sanhedrin Cap.* XI. §. 34. שאלו תלמידיו את ר' יוסה וכו" / Quæ dabo ex verſione Cel. Cocceji. *Quæſiverunt a R. Joſe ipſius diſcipuli, quando eſſet venturus Meſſias? Is, timere ſe, reſpondet, ne ſignum a ſe poſtulent. Negant ſe poſtulaturos. Reſpondet ergo: quum corruerit hæc porta, atque reædificata iterum corruerit. Neque poterunt eam exædificare, antequam veniat Chriſtus. Tum illi, Magiſter, inquiunt, da nobis ſignum. At nonne promiſiſtis, vos non expetituros ſignum? Nihilominus des hoc nobis, quæſumus, inquiunt. Si ita eſt, inquit, vertetur aqua ſpecus Panii in ſanguinem. Quod etiam factum eſt. Idem cum eſſet animam redditurus, præcepit capulum ſuum quam profundiſſime ſub humo condi. Ajebat enim, fore, ut vix ulla reſtet palma in terra Iſraël, cui non alligetur equus a Perſis: neque futurum capulum, ex quo non equus Medus fœnum edat.* Qui locus non tantùm probat primum, quod dixeram, ſed & ad alterum, quod dicendum reſtat, nos ducit. Judæos nempe recentiores tantum momentum argumentationis pro Jeſu Meſſiatu vidiſſe in

mira-

miraculis ab eo ejuſque diſcipulis factis, ut omni ope conati ſint ea eludere non tantùm, repetendo Majorum ſuorum blaſphemiam, magica ſcilicet arte per Beëlzebulum iſta facta; ſed & novum inſuper commentum æque blaſphemum, longe verò adhuc ſtultius adjiciendo, Jeſum ſcilicet ea feciſſe per veram pronunciatiõnem nominis tegragrammatis יהוה furto ex Templo ſubductam: uti exceptiones hæ duæ in ipſorum reperiuntur ſcriptis vetuſtiſſimis, quas alio tractatu, ubi acturus ſum de Jeſu Nazareno, adſcribam plenius & refutabo.

LXXII. Nunc tertium Judæorum afferam effugium, quod ſatis oſtendet miracula non adeo invalida Meſſiatus indicia Majoribus ſuis viſa fuiſſe, quàm Maimonides & alii recentiores ea volunt nunc videri. Si enim miracula Jeſu & Apoſtolorum non probent Meſſiam non veniſſe, cur gloriam eam non relinquunt Jeſu & Apoſtolis, tanquam ipſis propriam? ſed e contrario ita laborant, ut eam communem faciant ſuis Rabbinis Jeſum & Apoſtolos ſecutis. Si ex quadam id fecerunt invidia, patet ſatis eos in conſcientia ſua fuiſſe convictos, quod illa miracula nimis clare Meſſiatum Jeſu probarent. Merentur hic apponi verba Celeb. Cocceji ex *Notis* ad *Excerpt. Gemar. Sanhedr. loc. cit.* p. 372. Edit. in quarto 1629. *Vide*, ait, *technam Satanæ, qui, ut impediret curſum Euangelii, iſto potiſſimum ſeculo artes magicas excitavit, cujus rei Joſephus locupletiſſimus teſtis eſt. Sed tantum abeſt, ut verſatiſſimus ille ſpiritus effecerit, ut ea re miracula Chriſti obſcurata fuerint, ut, ſi recte utraque expenderimus, ſplendor divinæ virtutis eo magis in eis eluxerit, quibus omne pene genus & natio quaſi vi extorto aſſenſu ſub obedientiam Euangelii redacta eſt. Hoc conſilio ejus & ſubſequentis ætatis Rabbinorum miracula, quamvis nugatoria, inepta, ſtolida, inutilia; & poteſtas vel ſolo viſu enecandi homines, ſi qui auctoritati eorum non ſatis devote ſe ſubjeciſſent; in Talmude prædicatur. Sive illi magica arte quædam perfecerunt; ſive recentiores ea de priſcis commenti ſint; quod potius reor; immo & ſcriptis eorum oſtendi poteſt. Sed huic rei immorari, quamvis non injucundum foret miracula quædam Rabbinica apponere, eſt tamen alienum ab inſti-*

3. *Et per tertium, de miraculis per Rabbinos editis, ex Coccejo.*

tuo noſtro. Ego neglecta a Viro celeberrimo hic apponam, quia ab inſtituto meo aliena adeo non ſunt In Euangelio nempe legebatur, quod Chriſtus commutaverit aquam in vinum: ſolo verbo ficum infrugiferam in æternum exareſcere fecerit; ventos uno verbo ſedaverit &c. omnia etiam iſta Rabbinis adſcribenda erant. Finxerunt ergo Judæi R. Chaninam acetum in oleum convertiſſe: R. Joſi, ex Jocrat filium, verbo effeciſſe, ut ficus eo efflorverit tempore, & ficus maturas copioſe produxerit, quô aliàs fructus ferre non ſoleret: nonnullos Rabbinos nubibus etiam imperaſſe, ut modò imbres copioſiſſimos effuderint, mox verò denuo ceſſarint, & cœli ſerenitatem ilico reddiderint. De Jeſu inſuper legebatur eum interveniente precatione reſuſcitaſſe mortuos: de Petro ac Paulo uno eos verbo, aut oculi adſpectu Ananiæ & Elymæ mago vitam aut viſum ademiſſe: pariter, cujus etiam meminit modò Coccejus, adſcripſerunt Rabbinis ſuis *poteſtatem ſolo viſu enecandi homines*: &, quod ego addo, precibus eos in vitam denuo revocandi; id enim de R. Juchanan referunt, eum, quod truculentos adeo & emiſſitios haberet oculos, ſolo adſpectu R. Cahanæ vitam ademiſſe, non reverenter ſatis, ut opinabatur, ab ipſo habitum: verùm mox, ſubaudientem quâm optimum virum neci dediſſet, pœnitentia ductum oraſſe Deum, & mortuum in vitam revocaſſe. Hæc non *magicæ artis effecta*, ſed impudentia *recentiorum* Magiſtrorum *de priſcis commenta eſſe* rectè modò *rebatur* Coccejus; quod utinam & *ex ſcriptis eorum*, ut ſe *poſſe* ait, *oſtendiſſet!* ſed iſtud tunc *alienum erat ab inſtituto ejus.* Uti & nunc a meo, ne in immenſum nimis excreſcat hæc Diſſertatio. Præprimis cùm mihi hæc menti ſedeat ſententia, ſi ita Providentiæ divinæ viſum, Tractatu peculiari demonſtrare Jeſum Nazarenum verum eſſe Patribus promiſſum Meſſiam, non ex vitâ ejus privata modò publicaque, ſed & doctrina, quam tradidit, præ primis etiam ex miraculis ab eo editis, quæ ex narratione Euangeliſtarum ad claſſes quaſdam certo tunc ordine ſumus redacturi, & adſtructuri de ſingulis, a Meſſia iſthæc peragenda prædixiſſe Vatum Oracula. Et quia

quia notabilis ea res eſt, primò ipſa tunc Judæorum verba hæc figmenta ſeriò narrantium exhibebo; & adjiciam deinde nonnullas, ſive aliorum Virorum doctorum, ſive meas obſervationes.

LXXIII. Supereſt nunc ultima ex tribus §. XII & LVI. adductis prærogativa, quæ in muneris *dignitate* conſiſtit, oſtendendumque nunc Meſſiam in eo Moſi parem quoque futurum, quod Dei ſit ad populum *Internuntius* & *Interpres:* & talis quidem, qui uti Moſes verba a Deo ipſo ἀμέσως accepta populo Iſraëlitico renuntiavit, ita ſimili etiam modo verba ſua, quæ haberet dicenda, non per Moſem acciperet, per quem omnis reliquorum ſubſequentium Prophetarum confirmata fuit auctoritas, ſi nempe ea, quæ dicerent, cum Moſe convenirent; ſed ſine ullius interventu ab ipſo Deo. Cujus ergo auctoritas par foret auctoritati doctrinæ Moſis, tanquam ab ipſo ei quoque patefactæ Deo: cujusque conſequenter doctrina illa Moſis excellentior foret ceu talis, cui illa Moſaica olim aliquando cedere deberet, quia hæc per Meſſiam annuntianda doctrina futuro tandem tempore foret revelanda, non inter Judæos tantùm, ſed Gentes quoque: uti jam §. XLIX & LXIII. ex *Eſai.* 49: 6. in tranſitu docui. Nunc verò latius paulo oſtendam.

III In muneris etiam dignitate, *ceu* internuncii Dei *ad populum, & quidem* immediati.

LXXIV. Doctrinæ certè renovationem quandam circa Meſſiæ tempora exſpectandam eſſe, crediderunt jam ab antiquis temporibus Judæorum primarii. Clariſſima occurrunt hujus rei in Euangelio veſtigia. Et primum quidem ubi Joanni Baptiſtæ hanc proponunt quæſtionem: *Cur baptizas, ſi non es Chriſtus ille, nec Elias, nec Propheta ille?* *Joan.* 1: 25. Ex qua quæſtione collectu nequaquam eſt difficile, eos cum Meſſiæ adventu *novam* exſpectare ceremoniam, novam conſequenter etiam ceremoniæ novæ ſignificationem & intentionem, novam ergo etiam *doctrinam*, cujus ceremonia ea nova externum ſit ſignum. Adde his apertiſſimam Samaritanæ mulieris confeſſionem de Meſſia, omnia hactenus ignota, aut obſcura & controverſa, *ipſis annuntiaturo*, *Joan.* 4: 25. Quam cogitationem inde dubio procul hauſerant Judæi, quod iis pro-

Et prolaturi novam doctrinam *juxta ſpem Judæorum antiquorum ex Jeremiæ & Malachia, Eſaiæ &c. conſentientibus Magiſtris in Midraſch* Schir Haſchirim.

promiſerat Deus *Jerem.* 31: 31 *& ſeqq.* ſe *diebus illis*, Meſſiæ puta, aliud, & quidem *novum fœdus initurum cum domo Iſraelis & Jehudæ*, *non ſecundum illud fœdus*, *quod pepigerat cum ipſorum majoribus*, *quo die prehenderat manum eorum*, *ut educeret eos e terra Ægypti*, *quod irritum fecerant*, ſed aliud, quod pluribus ibi deſcribitur. Exſtabat alius præterea locus inſignis & huc ſpectans *Mal.* 4:4. 6. ubi monet Iſraëlitas Deus, *ut recordentur Legis Moſis ſervi ſui*, *ceremoniarum & judiciorum* : non ut pro perpetuitate Legis inde concluderent Judæi ad eam ipſa praxi obſervandam, ſed ad eam prudenti meditatione intelligendam; ut ex ipſa Lege diſcant novam cum Meſſia inſtare œconomiam, per Legis eas *ceremonias* & *jura* præclare olim adumbratam. *Ecce enim mitto vobis*, pergit Deus, *Prophetam Eliam*, reformatorem aliquem doctrinæ corruptæ morumque, qui ex more, & in *Spiritu ac virtute* veteris *Eliæ*, (ob morum quippe ſimilitudinem idem duobus ſolet dari nomen) *antequam magnus ille & terribilis* JEHOVÆ *dies*, (*Dominum Templi ad Templum ſuum*, *& Levitas ſuos purgandos*, juxta *Mal.* 3: 1, 2, 3. *miſſuri*) *veniat*, *& cor Patrum convertat ad filios*, *& cor filiorum ad Patres*, tollendo differentiam illam opinionum Patriarcharum, per fidem Meſſiæ adventum, & ſatisfactionem, & ſpiritum, & ex eo ſuam ſalutem avidiſſime exſpectantium; & degenerum horum poſterorum, qui propriam ſuam juſtitiam per opera ceremonialia erecturi, & vitæ genere corruptiſſimi, converti debebant ad antiquam Abrahami illam fidem & ſanctitatem; ut æque ac ille per fidem ſolam charitate operoſam, abſque operibus Legis Moſaicæ, ſe præpararent ad Meſſiæ regnum ingrediendum. Hæc ergo doctrina ab præcurſore hoc Meſſiæ dicta ratione inculcanda reapſe nova foret, utpote quæ per omnia ſecula, quibus Lex Moſaica promiſſioni tegumenti inſtar impoſita manſerat, non tali modo eſſet audita. Quamobrem ab Eſaia quoque prædictum fuit Meſſiam *jus productu-rum gentibus* unà *cum veritate*, oppoſitè ad umbras, *& inſulas gentium exſpectaturas doctrinam ejus*, *Cap.* 42: 1–4. cujus etiam ſuavitas ibi prædicatur, dicitur enim de Meſſia: *Arundinem*

dinem quaſſatam non confringet &c. Per quæ omnia itaque doctrina Meſſiæ prædicatur tanquam longe diſtans ab illa Moſaica, utpote ad ſolos pertinente Judæos, obſcuriori etiam & umbratili, neque Gentibus deſiderabili, quin & ipſis etiam Judæis haud adeo gratâ, utpote multis ſancita comminationibus, terroribus, & execrationibus. Inde Meſſiæ noſtri doctrina toties, quoties de ea ſermo inſtituitur, ita commendatur, ut nihil ſupra. De hac enim Eſaias *Cap.* 2: 2–5. *Ad montem domus Domini omnes confluent, & ibunt populi multi, dicentes: venite, ut adſcendamus in montem JEHOVÆ, domum Dei Jacobi, ut doceat nos de viis ſuis, & ambulemus in itineribus ejus: nam e Zyone prodit doctrina, & verbum JEHOVÆ Jeruſalemo. Qui judicem aget inter gentes, & corripiet populos multos, ut tundant gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces, non attollat gens una in alteram gladium, neque diſcant amplius bellum. Domus Jacobi, agite, ambulemus in luce Domini.* Quam laetam & domui Dei Hieroſolymitanæ demum vere glorioſam (vid. *Hag.* 2: 10) promiſſionem ab Eſaia inter Judæos prædicatam Micha paulo poſt iisdem repetere verbis voluit *Cap.* 4: 2. Hæccine nunc, quæſo, de *Lege Moſis* intelligi valeant? Nequaquam. Ea quippe in monte Sinai lata: neque multis Gentibus, ſed ſolis Iſraëlitis. Neque vel his ipſis adeo grata, ut de ea dici potuerit, quemadmodum idem Eſaias de Euangelii vaticinatur doctrina *Cap.* 52: 7. *Quam amœni ſunt ſuper montes pedes Euangelizantis, annuntiantis pacem, euangelizantis bonum, annuntiantis ſalutem, dicentis Zioni, regnat Deus tuus.* Quæ denuo verba aliquamdiu, poſtquam ab Eſaia erat prædicata, repetita videmus ab alio Propheta, Nahumo ſcilicet, *Cap.* 1: 15. evidenti argumento laudem huic Meſſiæ Regi ab Eſaia tributam, ſecutis etiam Prophetis omni repetitione ac perpetua recordatione digniſſimam viſam fuiſſe. Quamobrem & Paulo placuit eadem iſthæc verba allegare ad gratulandum Romanis, quod Euangelium Jeſu Chriſti audirent, *Rom.* 10: 15. Neque inficiantur Judæi ipſi hæc verba de Meſſia accipienda eſſe; prout videre eſt in *Midraſch Schir Haſchirim*, in *Cant.* 2: 12. ad

verba illa, *Vox turturis auditur in terra noſtra*: ubi tunc rogatur; *Et cujus turturis eſt iſta vox? Hæc eſt vox Regis Meſſiæ vociferantis & dicentis Eſai. 52: 7. quam amœni ſunt ſuper montes* &c. Vid. plura Mart. Raymundi *Pug. Fid. Part. 3. Diſt. 3. Cap. 11: §. 14.* Poſſunt ex Prophetiis itidem conferri *Eſai. 61: 1–3. Zach. 9: 10.*

Quæ de re eleganter loquuntur Pellicanus, Fagius, Tertullianus.

LXXV. Recte ergo Conr. Pellicanus in *h. l.* ſcripſit, Meſſiam mittendum fore ſimilem ipſi Moſi *datione novæ & perfectioris Legis, ut charitas timore perfectior eſt, & redemtio animarum major quam corporum, & verbum Domini ipſum divinius quam Prophetæ, Deus melior quam homo.* Huic alterum addam Pellicano coævum: uterque enim floruit ſeculo decimo ſexto; Pellicanus quidem mortuus anno 1556. Tiguri; alter vero, cujus ego verba adducam, Paulus Fagius, mortuus anno 1550. Cantabrigiæ. Hic autem hæc latius proſequitur in *h. l. Etſi*, inquit, *ad omnium ætatum Prophetas hic locus nonnihil pertineat, tota tamen promiſſio, ſi cauſam conſyderas, in uno Chriſto completur. Nam qui terrores de lege Domini conceptos animo eximat, ſicut populus efflagitavit, nemo eſt præter Chriſtum. Antiqui quotieſcunque petebant redemptionem, peccatorum remiſſionem, ruptique fœderis renovationem, ſemper occulto modo petierunt Chriſtum. Populus ſtans ad montem Synai verbum ſolatii per Mediatorem a Domino petiit. Deprecabantur enim verbum legis, quo in mortiferos terrores conjecti erant. Et ex adverſo efflagitarunt Moyſen ex Domino loquentem, haud dubium verba quæ a conſpectu Domini non dejicerent, neque incuterent pavorem. Sed quæ tutum præberent aditum, animumque tranquillarent. Putarunt enim Moyſem Redemptorem ſuum ex Ægypti ſervitute illud poſſe. Cæterum Dominus illud alii Prophetæ reſervat, nimirum Filio ſuo. Ideo additur*: Et ait Dominus mihi: Prophetam ſuſcitabo eis. *Quaſi dicat, bene quidem populus orat, ſed ejus de ſyderia non tu, verum alius, quem ſuſcitabo, adimplebit. Quod autem* additur; ſimilem tui, *vel* ſicut te &c. *ſimilitudo hæc ad plenum non intelligitur, niſi partibus Moſaici officii ampliſſimis conſideratis* &c. ubi tunc affert plures inter Moſem & Chriſtum ſimi-

ſimilitudines. His duobus tertium addam, ſed ex antiquiſſimis Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus, Tertullianum puta, qui floruit jam ſeculo 2. Hic enim *Lib.* 4. *Cap.* 17. *de vera Sapientia*, inquirens in cauſas cur plerique Judæi Jeſum pro vero Meſſia non habuerint, *Sed iræ*, inquit, *atque invidiæ ſuæ, quam in cordibus ſuis gerebant, intus incluſa malitiâ, cauſas præferebant, quod legem Dei per Moſem datam ſolveret; id eſt, quod ſabbathis non vacaret, operans in ſalutem hominum; quod circumciſionem vacuefaceret; quod abſtinentiam ſuillæ carnis auferret. In quibus rebus Judaicæ religionis ſacramenta conſiſtunt. Ob hæc itaque cætera pars populi, quæ nondum ad Chriſtum ſeceſſerat, a ſacerdotibus incitabatur, ut impium judicaret eum, quod legem Dei ſolveret:* quam vero hic celebris ille Scriptor ilico confutat: *Cum hoc ille non ſuo*, ait, *judicio, ſed ex Dei voluntate, & ſecundum praedicata faceret Prophetarum. Michaeas enim novam legem daturum denuntiavit hoc modo: Lex de Syon proficiſcetur, & ſermo Domini ex Hieruſalem; & judicabit inter plurimos populos; & revincet, & deliget validas nationes. Illa enim prior lex, quae per Moſen data eſt; non in monte Syon, ſed in monte Oreb data eſt; quam Sibylla, fore ut a Filio Dei ſolveretur, oſtendit:*

Ἀλλ' ὅτε ταῦτ' ἂν ἅπαντα τελειωθῇ ἅπερ εἶπον,
Εἰς αὐτὸν πᾶς λύσεται νόμος. ——

Sed & ipſe Moſes, per quem datam ſibi legem dum pertinaciter tuentur, exciderunt a Deo, & Deum non agnoverunt; prædixerat, fore, ut Propheta maximus mittatur a Deo, qui ſit ſupra legem; qui voluntatem Dei ad homines perferat. In Deuteronomio ita ſcriptum reliquit: Et dixit Dominus ad me: Prophetam excitabo eis de fratribus eorum, ſicut te; & dabo verbum meam in os ejus: & loquitur ad eos ea, quæ præcepero ei: & quisquis non audiverit ea, qua loquetur Propheta ille in nomine meo, ego vindicabo in eum. Denuntiavit ſcilicet Dominus per ipſum legiferum, quod Filium ſuum, id eſt, vivam, præſentemque legem miſſuras eſſet; & illam veterem per mortalem datam ſoluturas; ut demuo per eum, qui eſſet æternus, legem ſanciret æternam.

Et conſentiunt palam veteres Judæi in Jalkuth, & in ipſo Euangelio: ut & Abarbanel, Jonathan, Kimchius, Talmud.

- LXXVI. Huic veritati paſſim ſuffragantur etiam Judæi. Hoc enim Magiſtros inter receptum axioma eſt: הנביאים לא מתנביאם אלא לימות המשיח / *Nulli Prophetæ prophetarunt niſi ad dies Meſſiæ.* Cujus hic eſt ſenſus, quem tradit Witzius noſter *Miſcellan. Sacr. Tom.* 1. *L.* 1. *C.* 21. §. 35. *quod, quæ Prophetæ de Meſſia & regno cœlorum, & permanentibus bonis prædixerunt, ea complementum in Chriſto habeant.* Adeoque & hæc verba ſimul quàm manifeſtiſſime declarant, aliam ſe credere a Meſſia introducendam doctrinam, ab illa vetere Moſaica prorſus diſtinctam. Præclaram legimus Judæorum commentationem de nova Lege ſeu doctrina per Meſſiam ferenda, quam citat Jac. Guſſetius ex Jalkuth ad *Eſaiam.* 2: 7. *Num.* 296. in ſua *Defenſione Euangelii* contra *R. Iſaäcum*, *Part.* 1. *Cap.* 15. *Num.* 10. *p.* 107. *col.* 2. הקב"ה יושב ודורש תורה חדשה שעיתיר ליתן על ידי משיח: / *Sanctus Benedictus ille ſedet, & per meditationes myſticas componit novam legem, quam daturus eſt manibus Meſſiæ.* Quæ eadem verba etiam citantur a Guil. Vorſtio in *Notis* ſuis ad Abarbanelis *Cap.* 13. *de Capitibus Fidei p. m.* 59. *col.* 1. atque ſic vertuntur: *Sanctus Benedictus conſidet, atque expendit novam Legem, quam daturus eſt per manum Meſſiæ.* Quò & facit Abarbanel ad *Eſai.* 2: 4. *Verbum & Prophetia Meſſiæ arguet, & judicabit inter gentes, & ponet pacem in terra; nam Prophetia, quæ tunc innovabitur in mundo, faciet iſtud, quod antea ſic factum non fuit.* Quæ ſpes quàm vulgatiſſima inter priſcos Judæos fuerit, & quomodo illi in ſpecie crediderint Meſſiæ hanc innovatam prophetiam adeo fore conſummatam, claram, lucidam, ut omnes obſcuritates controverſiasque, etiam graviores deciſura eſſet, vel mulierculæ Samaritanæ verba docent. *Joan.* 4: 19, 20, 25. Porro hanc Legem novam non minus immediate abſque cujuspiam alterius interventu ab ipſo Deo accepturum Meſſiam, quam acceperat eam in monte Moſes, ſat perſpicuè attendenti indicatur verbis hiſce in Jalkuth ad *Pſalm.* 2: 7. Fatur ibi Deus Meſſiæ; *Tu es Filius meus, ego hodiè genui te.* Et additur: *Dicturus eſt Deus, aſcende,*

ſcende, ut novum fœdus cum eo percutiam. Idem omnino videtur docere Targum Jonathanis *Eſai.* 12: 3. Quod enim Hebraice Eſaias dixerit: /ושאבתם מים בששון ממעיני הישועה/ *Et haurietis aquas cum gaudio ex fonte ſalutis*; Chaldæus habet, paraphraſtice ita effert: /ותקבלון אולפן חדה בחדוה מבחירי צדיקיא/ *Et accipietis doctrinam novam cum gaudio ab electis juſtorum*: quo titulo ſane nos non inepte intelligere poſſumus Apoſtolos & Euangeliſtas vere a magno illo Propheta *electos*, qua voce & Lucas utitur *Actor.* 1: 2. ad doctrinam eam novam ubivis terrarum prædicandam, *Actor.* 1: 8. Kimchius magis aperte rationem reddit, cur Paraphraſtes hanc doctrinam *novam* nuncupat: *Jonathan*, inquit, *doctrinam novam dicit, quia illa doctrina nova erit, & ita tunc diſcent cognitionem JEHOVÆ, quomodo nullus hominum didicit in illum uſque diem; quemadmodum ſcriptum eſt, plena erit terra ſcientia JEHOVÆ, ſicut aquæ operiunt mare.* Simili modo R. Salomo ad *loc. cit. Eſai.* 2. *Haurietis*, id eſt, *accipietis doctrinam novam e fontibus ſalutis: dilatabit enim cor ipſorum beneficio ſalutis ipſis obtenturæ, ac revelabuntur illis myſteria Legis.* Hoc vero Eſaiæ loco agi de temporibus Meſſiæ, ſatis claret ex tota Prophetia, neque contrariantur Commentatores Rabbini. Cum his conferenda eſt traditio a Judæis Eliæ attributa, quæ ſic ſe habet in Talmude, in libro *Sanhedrin*, in diſtinct. *Chelek.* /תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוי העולם וכו'/ *Traditum eſt domo Eliæ*, id eſt a diſcipulis Eliæ, *per ſex millia annorum erit, id eſt, durabit mundus, quorum duo millia* /תהו/ id eſt, *inanitas*, vel *vanitas: quia*, uti habet Gloſſa R. Salom. Jarchi, *non data erat lex; ſicque mundus erat* Tohu, id eſt, *inanis. Duo millia Lex; & duo millia Meſſiæ dies erunt. Propter peccata vero noſtra quæ creverunt, exiverunt ex iis quæ exiverunt.* Qua in traditione (de cujus ἀυθεντίᾳ nunc non diſquirimus) uti *prima* periodus abſque Lege, ſic *tertia* non ſub Lege (cujus modò vis ſub periodo *ſecunda* vigeret) ſed ſub Meſſia, ejusque diſciplina conſtituitur. Qui verò integram

R. Jarchi velit in hanc traditionem gloſſam, conferat Mart. Raymundi *Pug. Fid. Part.* 2. *Cap.* 10. §. 1. qui ex profeſſo de his etiam diſputat *Part.* 3. *Diſt.* 3. *Cap.* 11, 12, & 20.

Malignam verò exceptionem hic iterum quærunt recentiores Maimonides & Abarbanel.

LXXVII. Et ſic quidem Judæi antiquiores, veruntamen non cum recentiorum conſenſu, qui videntes Chriſtianorum cauſæ iſta nimis favere, exceptiones ſibi hic quærendas putaverunt. Idcirco quod illi palam ſunt locuti de תורה חדשה / *Lege*, ſeu *doctrina nova*, danda per Meſſiam, Recentiores, ne Chriſtianis in cauſa Jeſu Nazareni ejuſque doctrinæ victas manus tradere cogantur, ita interpretantur, ac ſi vox חדש / non denotaret *innovationem*, ſed *renovationem*, atque *confirmationem*. Ita Kimchius ad *Jer.* 31: 31. At verò quid eſt ineptire, ſi hoc non ſit? Etſi enim vox חדש certo in caſu *renovationem* & *reſtitutionem* rei vetuſtate forſan delapſæ, aut alio quoque modo deſtructæ, quæ tamen reſpectu principali eadem prorſus manet, ſignificare poſſet, uti ſic ſignificat *altaris reſtitutionem* 2 *Chron.* 15: 8. in his tamen circumſtantiis teſtimoniorum a Judæis allegatorum omnino *innovationem* & *mutationem* notat. Quid enim opus ut Deus *expendat* hanc legem, (quod ex Jalkuth adduxi) ſi non ſit alia ab illa, quam ſatis olim expendit, antequam per Moſem eam daret? An etiam credibile eſt Meſſiæ legem *pacem poſituram in terra*, *& facturam quod antea factum non fuit*; *gentes etiam judicando?* uti Abarbanel fatebatur, ſi non ea alterius eſſet naturæ, & non adeo Gentibus exoſa, ſuſpecta, & ridicula, quemadmodum hoſce de Lege Moſis locutos egimus? An *novum fœdus cum Meſſia percutere*, quod iterum ex Jalkuth allegavi, erit *vetus cum Moſe percuſſum fœdus renovare?* An doctrina, ex qua diſcitur *cognitio* JEHOVÆ, *quomodo nullus homo eam didicerat in illum uſque diem*, & in qua *revelantur myſteria Legis*, antea obtecta, quod ex Kimchio & R. Salomone audivimus, non eſt vere nova? Jeremias certe *novum fœdus* promittens adeo illud *novum* facit, ut a *vetere* iſthoc non diſtinguendum modò, ſed & eidem opponendum ſit. Et, ut & hoc addam, quomodo *nova* non eſſet Lex, de qua legitur in *Midraſch*

Co-

Coheleth. Cap. 2: 1. תורה שאדם למד בעולם הזה הכל היא / לפני התורה של עולם הבא: *Lex, quam homo diſcit in hoc ſeculo* (qualis illa Moſis eſt ſub Vet. Toſt.) *eſt* (Habel) *inanis*, ſive *vanitas*, *ante faciem*, ſive *in conſpectu legis ſeculi venturi*, id eſt, uti explicatur ibidem in gloſſa ad *Coheleth.* 11: 8. לפני תורתו של משיח in *conſpectu Legis Meſſiæ*, ſive *præ Lege Meſſiæ*, ſi nempe cum illa comparetur. Quod quoque dictum video allegaſſe Jac. Guſſetium in *Defenſ. Euangelii contra R. Iſaäcum Part.* 1. *Cap.* 15. *Num.* 9. *p.* 107. *col.* 2.

LXXVIII. Si ergo Meſſias *Moſi* ita *par* ſit futurus in tribus Propheticis excellentiis ſuis cùm *Prophetiæ*, tum *Miraculorum*, & tandem *Muneris* etiam *Dignitatis*, de quibus egi §. XII & LVI. *& ſeqq.* non poterit minus etiam eſſe *Iſraëlis erga ipſum*, quàm erga Moſen *Officium*. Quale verò hoc fuerit dixi §. XXII. Nunc addo, nihil ibi dictum eſſe de Propheta illo, quod non apprime in Meſſiam quadret. Et hic quippe *audiendus* cum omni ſubjectione & obedientia fidei, & tanta quidem majore, quanto excellentiori modo & Moſen & reliquos ſuperaret Prophetas, ipſa Dei verba, ori ipſius ab ipſo Deo ἀμέσως indenda, novamque illam ac meliorem doctrinam annuntiaturus, de qua egimus §. LXXIV. *& ſeqq.* quo etiam reſpectu Meſſias prædicatur ſupra Moſen, tanquam *ſuper cujus labia gratia foret effuſa*, *Pſalm.* 45: 3. qui *juſtitiam prædicaret in cœtu magno*, *Pſalm.* 40: 9. Verùm & de hac Meſſiæ laude ex Prophetiis atque Judæorum commentariis ante dixi §. LVI. De hoc ergo Meſſia uti læti proclamant præcones ambulantes per montana Judææ; *Ecce Deus veſter*, *Eſai.* 40: 9. ita & ipſe de ſe diceret; *Ego ſum qui loquor*, *Eſai.* 52: 6. De quo itaque poſtulat ipſa ratio, *ut audiatur*. Quod & ipſe Deus jam antea ſerio mandaverat, cùm *Exod.* 23: 21. præciperet de *Angelo* iſthoc, *ut vocem ejus audiant* Iſraëlitæ, addita ſanctione promiſſionem lautam, ſi obediant, pœnam vero duriſſimam, ſi ſecus, complexâ. *Angelum* verò iſtum eſſe ipſum Meſſiam ante dictum eſt. Quod omne, uti vides, cùm Moſes de Propheta illo Dei no-

b. *Competit etiam Meſſiæ Iſraëlis officium* audiendi *ipſum*, *ex Prophetis*; *etiam reſpectu Ethnicorum.*

nomine hic repetat atque Iſraëli proponat, ſponte exinde ſequitur *Prophetam* hunc, & *Angelum* iſtum, & *Meſſiam* eandem eſſe perſonam. Unus enimvero Dei legatus per omne ſeculum unus eſt idemque, qui de ſe ipſo ait *Eſai.* 48: 16 & 17. *Accedite ad me, & audite iſtud, in principio non in occulto ſum locutus: ex quo tempore fuit hoc, ibi ſum: nunc enim Dominus* JEHOVI *mittit me, & Spiritum ejus. Sic ait* JEHOVA, *vindex tuus ſanctus Iſraëlis, ego* JEHOVA *Deus tuus doceo te proficere, deduco te via qua ambules.* Quibus verbis duo indicat: primum, omnis ævi Prophetiam in Eccleſia hactenus auditam ſuam eſſe, & a ſe profectam, ut qui *ab initio* locutus fuerit. Alterum, omnem ſe fidem & obedientiam dictis ſuis præſtandam expoſcere. Neque ea ſolummodo ipſi debebatur ab Iſraëlitis in deſerto, quibus primitus & Deum & Moſen iſtam imperaſſe modò vidimus, ſed & ad Iſraëlitas tempore Davidis viventes: ejus tempore id præceptum repetitum fuit *Pſalm.* 95: 7. *Hodie ſi audieritis vocem ejus, ne obdurate corda veſtra.* Et multis ſeculis adhuc pòſt ab Apoſtolo Hebræis ſui itidem temporis ingeminatum *Hebr.* 3: 7 *& ſeqq.* Neque ſolos Iſraëlitas præceptum iſtud tangit, ſed & omnes etiam Gentes, ex quo tempore ad eas verbum Dei delatum foret. Ad Gentes quippe iſtud extenditur ab *Eſai.* 42: 4, 6. *Non faciet ut fumiget, neque quaſſabit, donec diſponat in terra judicium: & in doctrina ejus regiones exſpectationem habebunt. Sic ait Deus ille fortis* JEHOVA *creator cœlorum, & qui extendit eos, qui expandit terram & res prognatas ex ea: qui indit animam populo in ea, & ſpiritum ambulantibus in ea. Ego* JEHOVA *vocavi te juſte, ut confirmem manum tuam: & cuſtodiens te tradam in fœdus populi, & lucem populi. Et Cap.* 49: 6. *Dicit*, inquam, JEHOVA: *levior videris quam ut ſis mihi ſervus ad erigendum tribus Jacobi, & cuſtoditos Iſraëlitas reducendum? ergo conſtituo te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea in extremitatem terræ.* A quibus ergo omnibus Judæis Gentibuſque Meſſias *audiendus* foret ſolus, his ſuos Philoſophos, nedum craſſiores idololatriæ magiſtros ſacerdotes, illis ſuos Levitas, quin

&

& ipſum Moſen relinquentibus ut *Meſſiam audirent*, neminemque alium. Quod & ipſe vidit Maimonides & ſcripſit in Tractatu תשובה verbis, quæ ante adducta §. L. ob eorum elegantiam hic repeto: *Rex ille*, inquit, *qui exiſtet de ſemine Davidis*, (Meſſias np.) *præditus erit ſapientia magis quam Salomo, eritque magnus Propheta proximus Moſi Magiſtro noſtro, & propterea docebit omnem populum, & inſtituet eos de via Domini, venientque omnes gentes ad audiendum ipſum.*

LXXIX. Cùm ergo nihil de Propheta illo a Moſe fuerit dictum, quod non examuſſim de Meſſia prædictum fuerit alibi, unicum mihi reſtat, ut oſtendam eadem quoque omnia in Jeſu Nazareno, quem nos pro vero Meſſia habemus, fuiſſe adimpleta. Quod per partes denuo, eodem, quem in prioribus obſervavimus, ordine ſumus demonſtraturi. At prius in genere præmittendum eſt, totum hoc vaticinium Moſis ſemper fuiſſe creditum ſpectare ad Jeſum Nazarenum. De hoc enim eodem vaticinio intelligendum eſt, quod Philippus & Nathaniël de Jeſu dicant eum Meſſiam eſſe, *de quo ſcripſerat Moſes in Lege, & Prophetæ Joan.* 1: 44-51. Et ipſe Jeſus, ut Judæos convincat ſe a Deo miſſum, ad Moſem provocat, ajens; *Si crederetis Moſi, crederetis mihi, nam ille de me ſcripſit, Joan.* 5: 46. Atqui vix de Meſſia diſerte adeo alibi ſcripſit Moſes, niſi hic loci *Deut.* 18: 15. Quæ enim alibi *Gen.* 49: 10. & *Num.* 24: 17. de Meſſia habet, non adeo Meſſiam proponunt tanquam Doctorem, *cui credendum* ſit; quo reſpectu tamen Jeſus ibi dicit *Moſen de ſe ſcripſiſſe*. Pariter quod multi ex turba de Jeſu dixerunt, & quidem cum articulo demonſtrativo; *Certe hic eſt ὁ προφήτης, Propheta ille, qui venturus erat in mundum Joan.* 6: 14. & 7: 40. de quo Hieronymus in *Matth.* 21. *Propheta, quem & Moſes ſimilem ſui dixerat eſſe venturum, & qui proprie apud Græcos ſcribitur cum ἡ ἄρθρα μαρτυρία*, i. e. *cum articuli teſtimonio*. Conf. & *Luc.* 7: 16. *Certe, Propheta magnus ſuſcitatus eſt inter nos, & certe reſpexit Deus populum ſuum*; ea, inquam, manifeſtam ad noſtrum *Deut.* 18. vaticinium relationem habent. Quod & apertiſſime ſine ullis ambagi-

C. Implementum totius oraculi hactenus de Meſſiæ explicati in Jeſu Nazareno oſtenſum. 1. In genere ex teſtimonio Nathanielis, Jeſu, totius Judæorum turbæ, Petri item ac Stephani.

bus Petrus & Stephanus, non clam, ſed palam; non in angulo, ſed in Templo, ſed in totius Iſraëlis conventu, ſed coram Summo Pontifice, & univerſo Judæorum Synedrio, maxima cum dicendi libertate profeſſi ſunt de Jeſu Nazareno, a Judæis crucifixo, hoc ipſum prolocutum fuiſſe Moſen. Sed & Paulus denique, etſi non diſerte hoc teſtimonium alleget *Hebr.* 3: 1. *& ſeqq.* talem tamen inter Moſen & Chriſtum inſtituit collationem, ut omnino manifeſtum ſit eum ad *Deut.* 18: 15. quoque reſpicere, tanquam univerſæ hujus comparationis baſin.

2. In ſpecie, per partes ſingulas, Jeſu enim competunt R. *Omnia ſeptem ea prædicata. Nam fuit* 1. נביא / *Propheta, fatentibus Muhammedanis, & inter Ethnicos Phlegone Tralliano.*

LXXX. Nec ſane immerito creditus fuit Jeſus hoc vaticinio innui. Nam hicce revera fuit (a) נביא / Προφήτης, quia cuncta ad munus Propheticum ſpectantia ipſe adimplevit abundantiſſime, ſive Eccleſiam docendo, *Matth.* 5. *& ſeqq.* ſive futura prædicendo; *ibid. Cap.* 24. ſive ſigna edendo *ibid.* 11: 4, 5. Quod omnibus adeo conſtat, ut non modò id in confeſſo ſit Muhammedanis, Jeſum pro inſigni Dei Propheta, licet Muhammede minore, habentibus; verùm neque id inficientur Gentiles. Et apud Muhammedanos quidem de Jeſu non modò ſcribit Beidavi, cum vocari *Meſſiam*, quod ait eſſe *cognomentum ex cognomentis nobilioribus*; λόγον, *quia ad verbum, ſeu mandatum Dei exſtitit abſque patre*, & *juventus ejus miraculis conſpicua fuit, quæ quidem nota ſunt viri ex benedictione divina probi, & rerum copia affluentis*; vel ut alii, *quæ indicium ſunt imperii:* ſed & emphaticum eſt quod eum vocent וגיה / *Illuſtrem, & in hoc, & in futuro ſeculo.* Quo ſenſu id intelligant Arabes dicet rurſus idem ille Beidavi: *Præſtantia illa*, inquit, *in hoc mundo conſiſtit in Prophetia* (munere prophetico:) *in altero verò in interceſſione.* Conſtat etiam ex Elmacino *Hiſt. Sarac.* L. 1. C. 1. Muhammedem inter articulos fidei etiam credere juſſiſſe homines *Chriſtum*, *filium Mariæ*, *filium Dei eſſe*, *verbum ejus*, *& Apoſtolum ejus.* Qui plura deſiderat adeat Jo. Henr. Hottingeri *Hiſt. Orient. Lib.* 1. *C.* 3. *p.* 105, 106. & *L.* 2. *C.* 3. *p.* 248. Apud Gentiles verò Phlegon Trallianus in *Chronicis* ſufficiens erit teſtis. Fuit autem ille Hadriani Imperatoris liber-

bertus. Vid. Ger. Jo. Voſſium de *Hiſtoricis Græcis L. 2. C.* 11. ad finem ferme. Audiamus autem id, quod modò dixi, ex ipſo Origene *contra Celſum Lib.* 2. p. m. 69. *Edit. Cantabrig.* Anno 1658. Φλέγων μέν τοι ἐν τεσσαιδεκάτῳ &c. *Phlegon certè, in decimo tertio, aut, ni fallor, in decimo quarto Chronicorum ſuorum volumine, fatetur ingenue Chriſtum præſciviſſe futura, confundens Petrum cum Jeſu, teſtaturque eveniſſe quicquid prædictum fuerat; nihilominus illic quoque vel propter hanc præſcientiam pene invitus fatetur, non fuiſſe divina virtute vacuum ſermonem, quem accepimus a majoribus.*

LXXXI. Quæ cùm tam ſint evidentia, quis non miretur Alphonſum Toſtatum, Epiſcopum Abulenſem, virum profectò eruditum, de quo tradit dici ſolitum fuiſſe Bellarminus de *Scriptoribus Eccleſiaſt.* ad *Seculum* 15. p. m. 411. *Edit. Colon.* in 8. Anno 1613.

Malè verò negante Alphonſo Toſtato, Epiſcopo Abulenſi, quem bene refutavit Suarezius.

Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne;

Additque idem ille: *Et quod magis eſt admirandum, tanta ſcripſit breviſſimo tempore, cum non vixerit niſi annos quadraginta*; eum, inquam, in eam incidiſſe opinionem, ut verum & proprie dictum Prophetiæ donum in Chriſto fuiſſe negaverit. Audiamus ipſum Virum doctiſſimum, & rationes tam paradoxæ opinionis. Hic enim in *Commentar.* in *Deut.* 18: 15. poſtquam in prioribus prolixe diſputaverat hoc vaticinium ad Chriſtum ſpectare, de quo Moſes ſcripſerat & locutus fuerat ipſe, quod nullibi clarè adeo & literaliter fecerat quam hic loci: quandoquidem verba *Gen.* 49: 10. de *Schilone*, non Moſis, ſed Jacobi ſunt; & ceremoniæ, quas deſcribit, ad Chriſtum ſpectantes, figuræ tantùm, non ſenſus literalis: & jam perrexerat ad applicationem Prophetiæ hujus, tandem ad verba, *Prophetam ſuſcitabo eis*, ita habet: *Scil. Jeſum Chriſtum, qui fuit Propheta, & pluſquam Propheta: & hoc intelligendum eſt quantum ad eos inter quos Chriſtus converſabatur. Nam ſicut Prophetæ divina revelatione cognoſcebant veritates aliis hominibus incognitas, & revelabant eas hominibus: ita Chriſtus multas veritates revelabat, & abundantius quam alii Prophetæ: & quia quando aliquis dicebat aliquid a*

Deo accepiſſe, & poſtea confirmabat illud miraculorum operatione, credebatur eſſe Propheta, ita cum Chriſtus multa doceret, & multa ſigna faceret, (quod exemplis probat ex Euangelio, & ſic *Propheta* diceretur, quæ omnia exſcribere non vacat, addit deinceps) *Licet Chriſtus faceret omnia, quæ faciebant Prophetæ; & diceret omnia, quæ dicebant Prophetæ, propriè tamen Propheta non erat, quia Propheta eſt, qui ſuſcipit aliquas revelationes a Deo, quando actualiter elevatur intellectus ejus ſupernaturaliter ad contemplandas aliquas veritates ſupernaturaliter cognoſcibiles: Chriſtus autem non ſic elevabatur, nec ab alio ſuſcipiebat revelationem, cum ipſe Deus verus ſit, qui omnia revelat. Etiam, quia lumen propheticum eſt ænigmaticum aliqualiter, & imperfectum; quia Prophetæ pauca cognoſcebant* (quod probat exemplo Eliſæ 2 *Reg.* 4.) *Chriſtus autem omnia cognoſcebat, quia vere Deus erat, & cognoſcebat voluntates hominum, quas Prophetæ non cognoſcebant* &c. *Non ergo*, inquit, *Propheta Chriſtus, licet eis qui eum Deum eſſe neſciebant, Propheta eſſe videbatur: ſi tamen cognoſceretur, non vocaretur Propheta: ſicut nullus Judæorum Deum Prophetam vocaret: loquitur tamen Scriptura quantum ad hominum apparentiam propter ſimilitudinem aliquorum actuum.* Hæc Abulenſis. Verùm ſi non luſus ſit in voce vel Prophetæ, vel Prophetiæ, non video cur Chriſto ea non poſſit verè applicari. Etiamſi enim ultro largiar multa ignoraſſe Prophetas eorum, quæ prædicerent & viderent ipſi: conf. *Dan.* 12: 8 & 9. *Apoc.* 7: 13. quæ Chriſtus, quà Deus, ſciverit omnia, precariò tamen ſupponitur ad prophetiam requiri cognitionis obſcuritatem. Poteſt quippe tanta Spiritus luce nonnunquam illuſtrari Vatis intellectus, ut claram habeat & diſtinctam rerum futurarum ideam ac prænotionem. Quod Suares, aliique Doctores Pontificii contra Abulenſem probè atque firmiter tenent. Et quid? Poſitâ Abulenſis hypotheſi, nonne Chriſti etiam cognitioni, quatenus ut homo conſideratur, nonnulla obſcura manſerunt? puta, *dies ille*, cujus ipſe meminit *Marc.* 13: 32. Nonne etiam multa Chriſto revelavit Pater, quæ dicenda ac patranda haberet, non minus

nus ac Prophetis reliquis, modô licet ſublimiori? Potuit itaque cum evidentiſſima rerum præſcientia *Propheta* verè nominari. Præcipue cùm hanc ei notionem non aſſignemus abſtractè ceu Deo, ſed Mediatori, qui unà homo eſt, & juxta quam naturam potiſſimum prophetico Spiritu afflatur.

LXXXII. Non minus porro in Jeſu adimpletum fuit (b) Quod *ſuſcitatus* ſit, cùm reſpectu *naturæ* hūmanæ, tum *muneris* Prophetici. De priori namque apertiſſime Angelus Gabriel ad Mariam objicientem, *quì id fiet, dum virum non cognoſco? Spiritus S.* inquit, *veniet ſuper te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit te: quod ſanctum ex te naſcetur, Filius Dei nominabitur*, *Luc.* 1: 34, 35. Quæ res & aliis exprimitur phraſibus a Scriptoribus Novi Teſt. quod *Deus adaptaverit ei corpus Hebr.* 10: 5. & *miſerit eum in mundum, factum ex muliere*, *Gal.* 4: 4. Quæ quod ad rei ſummam cum noſtra conveniunt. Et de poſteriori ipſa ratio docet, eum non magis ſibi arrogaturum munus propheticum, quàm ſacerdotale, ad quod ipſum ſemet non glorificaſſe diſerte monet Paulus *Hebr.* 5: 5. atque idem ipſe in Templo publice profeſſus eſt. Ita enim legimus *Joan.* 7: 15, 16, 17, 18. *Cum enim mirarentur Judæi, dicentes* (de Jeſu) *quomodo iſte literas novit, quum non didicerit? Reſpondet ei Jeſus, & dixit: mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me. Si quis voluerit ejus voluntatem exequi, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego ex me ipſo loquar. Qui a ſemet ipſo loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in eo non eſt.* Adde Joan. 8: 28. & 12: 49. quod & res ipſa docuit. Nec enim prædicavit Jeſus antequam publice a Joanne Baptiſta apud Jordanem, & a Deo Patre cœleſti voce toti Iſraëli eſſet commendatus. Vide Joan. 1: 29–34. & *verſ.* 35 & 36. uti & Judæi agnoſcunt a Joanne *ipſi teſtimonium fuiſſe datum Joan.* 3: 26. Immo verò cum Judæi viderentur eum reprehendere, quod non ſponte quidem ſuſcepiſſet publicum Doctoris munus, ſed tamen plus ſibi arrogaret quàm deberet, Joannes eum

2. Suſcitatus *reſpectu nativitatis, & muneris prophetici.*

ſeriò defendit *Joan.* 3: 27. & 31, 32, 33, 34, 35. *Reſpondet Joannes & dixit: Homo non poteſt recipere quidquam, niſi fuerit ei datum e cœlo—— Qui ſuperne venit, ſupra omnes eſt: qui e terra eſt, terrenus eſt, & terrena loquitur: qui e cœlo venit ſupra omnes eſt. Et quod vidit & audivit, hoc teſtatur: ſed teſtimonium ejus nemo recipit. Qui recipit ejus teſtimonium, is obſignavit quod Deus verax ſit. Nam is quem miſit Deus verba Dei loquitur, non enim admetitur Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manum ejus.* Non ergo *ſurrexit* ſua ſponte, prout de Theuda refertur, & Juda Galilæo *Actor.* 5: 36 & 37. Neque ſuam habuit miſſionem a Synedrio Judæorum, qui *nullam abs hominibus auctoritatem accepit Joan.* 5: 34. ſed ἀμέσως ab ipſo Deo. Euangelica idcirco hiſtoria hoc ei perhibuit teſtimonium *Matth.* 7: 28. & 29. *Factum eſt cum finiſſet Jeſus ſermones iſtos* (quos in monte habuerat) *ut percelleretur turba ſupra doctrina ejus. Docebat enim eos ut habens auctoritatem, non autem ut Scribæ.* Qualis autem hæc erat *docendi auctoritas?* Nulla alia certe, niſi ea quam acceperat a Deo, dum iſte eum ſuſcitat Prophetam: & qualem auctoritatem ſuis Doctribus largiri nequaquam poterat Synedrium Judæorum. Quod vel ejus conterranei agnoverunt, ubi inſigni ejus doctrina perculſi cum admiratione rogant; *Unde huic ſapientia iſta & virtutes? Nonne iſte eſt ille fabri Filius?* Et adhuc planius *Marc.* 6: 2. & *ſeqq.* ubi id & ad *docendi*, & ad *miraculorum* patrandi facultatem referunt, quæ ambo Prophetici muneris partes conſtituunt. *Unde*, inquiunt, *huic iſta? Et quæ eſt hæc ſapientia, quæ data eſt ei, quod etiam virtutes tales per manus ejus edantur?* Patet proinde ex his luculenter, Jeſum ad hoc munus ἀμέσως ſuſcitatum fuiſſe ab ipſo Deo, qui ipſum, non mediantibus hominibus, ſed per Spiritus ſui efficaciam, & donorum in ipſum effuſionem copioſiſſimam etiam atque etiam idoneum reddiderit, ut hoc munus rite exequi poſſet.

3. Ab ipſo Deo ἀμέσως.

LXXXIII. Sic *verò ſuſcitatus* fuit Jeſus (c) Ab *ipſo Deo* Patre ἀμέσως. Quod ex locis modò allegatis ſatis patet, & magis patebit ex allegandis hic, ut probem, quod §. XLVI. ſuprà addideram, Deum Patrem in ſuſcitando eo impleviſſe ipſum

pſum fœdus gratiæ cum Patribus erectum. Ita namque Maria virgo totum hoc negotium Deo adſcribit ſoli, id omne *facienti, ut memor eſſet miſericordiæ, prout locutus erat Patribus, Abrahamo & ſemini ejus in æternum. Luc.* 1: 54, 55. Quod Zacharias, pater Joannis Baptiſtæ, fuſius deducens, ſoli etiam Deo acceptum tulit, *hoc cornu ſalutis erigenti in domo Davidis*, idque denuo *vi fœderis ſui ſancti, & jurisjurandi, quod juraverat Patribus, ibid. verſ.* 68. *& ſeqq.* Idem præclare dixit Paulus Judæis euangelizans, *promiſſionem quæ Patribus facta eſt, Deum eam impleviſſe filiis eorum, ſuſcitato Jeſu, Actor.* 13: 32. ubi idem adhibetur verbum ἀναστήσαι, quod uſurpant οἱ LXX *Deut.* 18: 15. Omnium verò inſtar egregius nobis hac in re occurrit locus *Luc.* 7: 16. ubi videntes Jeſu opera, ſimulque audientes doctrinam Jeſu Judæi, *glorificarunt Deum, dicentes, certe Propheta magnus* ἠγήγερται SUSCITATUS *eſt inter nos; & certe reſpexit Deus populum ſuum.* Quibus verbis primò Jeſum magnum Prophetam deprædicant; ſed & ſecundò ortum ejus, relate ad iſtud munus, *ſuſcitationi* adſcribunt plane ſingulari, non humanæ, ſed Divinæ; & quidem tertio ex virtute fœderis gratiæ, quod hoc in Jeſu gratioſe adimpleverat Deus. Id evincit phraſis, *Deus* ἐπισκέψατο *reſpexit, viſitavit populum ſuum*, quæ relationem habet ad promiſſi alicujus adimpletionem: prout ita eadem hæc phraſis a Zacharia, cum relatione ad fœdus Divinum, ejuſque exſecutionem in implemento, in Cantico ſuo & explicatur & confirmatur *Luc.* 1: 68. *& ſeqq.*

LXXXIV. Habet quoque & illud in Jeſu noſtro ſuam veritatem, quod ſuſcitatus ſit (d.) *Ex fratribus ſuis.* Id eſt, quod fuerit indigena, & non alienigena, uti docet paſſim hiſtoria Euangelica, quæ eum non ex alia gente, ſed Iſraële ortum tradit, *fratrem e fratribus*, & in ſpecie e tribu Judæ, Davidisque familia Regia, *Rom.* 9: 5. & 1: 3. Id adeo notum, ut videamus neminem fuiſſe Judæorum, qui hac in cauſa vel ipſi Jeſu, vel ejus Apoſtolis litem fecerit unquam. Ideo neque vel contradixerunt quippiam Phariſæi, vel inter accuſationis capita retulerunt, quod Jeſus ſe Davi-

4. *Et quidem* ex fratribus ſuis *Iſraëlitis.*

dis

dis filium esse mentitus fuisset, aut mentientibus non contradixisset, cùm tamen, quicquid in speciem produci posset, multa cum cura conquirerent, qui ad delirium usque circa genealogias insaniebant: 1 *Tim.* 1:4. *Tit.* 3: 9. Unde & tanta cum asseveratione dicere potuit Paulus *Hebr.* 7: 14. πρόδηλον, *manifestum, clarum, palam est, e Juda exortum esse Dominum nostrum.* Et ipsi tradunt in suo Thalmude Judæi, *illum Jesum, crucifixum vespera paschatis, fuisse e genere Regio Davidico oriundum:* Vide sis hæc citata a Celeb. Coccejo *in Ultim. Mos.* §. 1737. & Doctiss. Ligtfooto *in Hor. Hebr. ad Actor.* 1. p. m. 686.

5. Et ex horum medio, id est, loco humili, attamen in media Canaäne.

LXXXV. Constat & de Jesu, (e) Eum suscitatum esse *è medio Israëlis.* Qua phrasi duo intelligi posse indicavimus, primum, quod humili nasceretur cùm sorte, absque pompa singulari, uti quis *de medio populi*; tum etiam loco, non in primaria urbe aliqua, aut ædificio splendido. Id autem in Jesu verum est, qui e regia licet ortus prosapia, tamen natus fuit ex collapsa jam tunc Davidis domo, & ipsa Matre Maria ad paupertatem redacta; adactâ verò per Augusti edictum in oppidulum parvum, ibidemque in stabulum boum. Alterum, quod suscitaretur *in media Israëlis patria*, Judæa, sive Canaäne, non extra illam, (etiamsi in variis orbis habitabilis partibus fortasse tunc degerent Judæi) ut ita cuivis ratione & nativitatis & ministerii innotescere facilius posset. Quod ita quoque evenit. Jesus quippe Bethlehemi in Judæa sitæ natus est, *Luc.* 2:7. ubi nasci debuit Messias, ipsis Judæorum primoribus testibus *Matth.* 2: 5, 6. juxta *Mich.* 5: 1. nec non Judæis ipsis dicentibus *Luc.* 7: 16. *suscitatus est ἐν ἡμῖν, inter nos.* Nam quod *Joan.* 7: 17. dicant, *quando venerit ille Christus, nemo sciet unde sit*, male ab ipsis applicatur ad humanam ejus originem. Potius intelligendum de origine ejus divina: conf. *Mich.* 5: 1. De humana autem palam asserunt *ibid. vers.* 42. *Nonne Scriptura dicit, ex semine Davidis, & ex Bethlehem, ubi erat David, venturum Christum?* De quo etiam nos dubitare non sinit historia Euangelica. Neve quis ulterius perversam animo foveat falsi suspicionem;

ad

ad deſcriptionis Auguſtææ tabulas, olim Romæ aſſervatas, in ſuis adverſus Judæos & Gentiles apologiis provocarunt Patres primævi. Tertullianus L. 4. contra *Marcionitas* de Jeſu Chriſto agens: *Quomodo in Synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus, cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de cenſu denique Auguſti, quem teſtem fideliſſimum dominicae nativitatis Romana archiva cuſtodiunt?* Quò etiam ante ipſum reſpexit Juſtinus Martyr, qui floruit in medio ferme ſeculi ſecundi, uti Tertullianus circa ejus finem. Iſte verò ſimilia habet *Apolog.* 2. *Natale ejus ſolum*, inquit, *quomodo a Propheta Michæ prædictum ſit, audite: Et tu, Bethlehem Ephrata, terra Iudæ, haudquaquam minima es in principibus Judæ, ex te enim proditurus eſt Dux, qui recturus eſt populum meum. Id caſtellum eſt Judææ, ſtadia* XXXV. *diſſitum a Hieroſolymis, in quo Jeſus Chriſtus natus eſt, ſicut cognoſcere poteſtis ex cenſu facto ſub Quirinio, qui primus in Judæam procurator miſſus eſt.*

LXXXVI. Quemadmodum verò ex Iſraël oriundus erat Jeſus, ita & (f) Suſcitatus fuit in Iſraëlis bonum; TIBI *ſuſcitabit*, dixerat Moſes. De Jeſu namque vixdum nato Bethlehemi paſtoribus Angelus cœlitus deſcendens annuntiat: VOBIS NATUS *eſt Jeſus Chriſtus, Dominus & Salvator.* Idem porro & ante nativitatem ejus dixerat Zacharias, *Deum cornu ſalutis erexiſſe* ISRAELI *in domo ſervi ſui Davidis*, *Luc.* 1:69. Duplici modo id verum fuit: non immediate tantùm, ſed & mediate, etiam dum Gentibus idem Meſſias ceu cornu ſalutis erigitur. Priori quidem reſpectu de ſe toties teſtatus eſt ipſe Jeſus, dicens *ſe miſſum ad deperditas oves Iſraëlis*, *Matth.* 15: 24. obambulans ipſe univerſam Palæſtinam, & Euangelium ubique prædicando, paſſim ſe tanquam promiſſum illum Iſraëli Prophetam gerens: quin & diſcipulis mandando, *ne prædicantes irent ad gentes, vel in viam Samaritanorum*, quod inculcatum offendimus non modò *Matth.* 10: 5,6. ubi primùm ablegaret ſuos diſcipulos Jeſus in Judææ urbes; ſed & ubi eos ablegat & ad *Samaritanos*, & in *totam terram*, *Act.* 1: 8. jubet tamen primùm adire Judæos, & *incipere ab Hieruſalem*, *Luc.* 24: 47. Rationem tantæ prærogativæ dedit ipſe

6. *In* Iſraëlitarum *verò præcipuo* bonum, *teſtibus Angelis, ipſo Jeſu, Apoſtolis.*

ſe Chriſtus *Joan.* 4: 22. *Nam ſalus eſt ex Judæis.* Nec non Paulus *Rom.* 9: 5. ubi inter privilegia *Judæorum recenſet, ipſorum eſſe promiſſiones, & pacta, & Patres, & ex iis eſſe Chriſtum &c.* qui etiam æquitatem mandati agnovit *Actor.* 13: 46. uti & omnes etiam Apoſtoli mandatum id Domini executioni mandarunt, *Act.* 3: 26. Qua tamen Judæorum prærogativa Gentes non excludebantur. Nam & his verbi ſui *lucem annuntiare* debebat Jeſus, & *ipſarum ſalus exiſtere ad fines terræ Eſai.* 49: 6. Quam Eſaiæ de Meſſia promiſſionem non ætate magis, quam vitæ ſanctimonia venerandus Simeon Jeſu noſtro applicuit *Luc.* 2: 30. 32. eum vocans *ſalutem Domini, quam paravit coram oculis omnium populorum: lumen detegendum Gentibus, & gloriam populi Iſraëlis.* Quæ ultima verba oſtendunt Jeſum, dum ſuſcitaretur etiam Gentibus, ipſi tamen eò ipſo Iſraëli ſuſcitari, in quantum ſcilicet *gloriam* illam maximam parit Iſraëli, ut Gentes ſalvari cupientes, ſeſe deberent aſſociare Iſraëli, & Iſraëlis Meſſiæ; atque ſic ipſo facto fateri, quod Moſes prædixerat *Deut.* 4: 6, 7. *Iſraëlem* ſolum *ſapientem eſſe & prudentem, Deumque nulli genti adeo eſſe propinquum.* Et multa profecto vaticinia maximam *gloriam* hac in re conſtituerunt, quam læti cantant Iſraëlitæ, quando vident Gentes ad ſuam confugere Eccleſiam, *Pſalm* 47. & diſertiſſimis verbis id vocant ſuam *gloriam Pſalm* 149: 9. Quam magnifice Eſaias eandem eorum felicitatem prædicavit *Cap.* 2: 3. 49: 18——26. 54: 1——5. & *Cap.* 60. Quidve glorioſius eſſe poteſt, quàm quod Propheta Zacharias prædixit *Cap.* 8: 21. 23. quod Paulus a Gentibus voluit grato animo agnoſci erga Judæos? Vide *Rom.* 11: 17——24.

7 Moſi *denique* par *in omnibus prærogativis ſuis & excellentius, reſpectu* LProphetiæ, *id eſt, a. In materia prophetiæ, nomine ſcil.* Dei.

LXXXVII. Neque (g) minus certum eſt de Jeſu noſtro, fuiſſe eum Prophetam *Moſi parem.* Quod ipſum accurata & luculenta comparatione probavit Euſebius *Demonſtr. Euang. Lib.* 3. cujus, ut fatetur ipſe, Diſſertationis ſumma faſtigia ad quædam capita redegit Illuſtr. Dan. Huetius *Demonſt. Euang. Propoſ.* IX. *Cap.* 170. §. 12. Nos, ut propoſitum nobis ordinem ſervemus, oſtenſuri ſumus Jeſum abunde ſatiſfeciſſe in omnibus itidem prærogativis, quem Moſen ha-

habuiſſe reſpectu *Gradus Prophetiæ*, *Miraculorum*, & *Muneris* §. XII. XIV & XIX. & Meſſiam quoque habiturum docuimus §. LVI. LXIV & LXXX. *& ſeqq.* Nempe ergo 1. Reſpectu *Prophetiæ*. Jeſus A. *Dei nomen* non ipſe tantùm intime cognovit, ſed & aliis itidem notificavit: quod abſque prævia ejus manifeſtatione fieri nequibat. Audi eum gloriantem coram Patre *Joan.* 17: 6. *Manifeſtum feci Nomen tuum hominibus, quos mihi dediſti ex mundo.* *Nomen* nempe *Dei*, quod ipſe in omni ſua virtute & ἐνεργείᾳ pernoſcebat, utpote quod in *ipſius interiori erat*, reſpectu omnium ſignificationum, in quibus illud intelligi poſſe ſupra §. LVI. LVIII. dixi, id eſt, primùm reſpectu *Divinitatis*. Erat enim ipſe ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *Hebr.* 1: 3. *Et in eo omnis plenitudo* Θεότητος, *Deitatis habitabat corporaliter*, *Col.* 2: 9. Deinde & reſpectu *perfectionum divinarum*, cùm aliarum, ut ex. gr. *omniſcientiæ*, *omnipræſentiæ*, *omnipotentiæ*, quæ demonſtrantur in Catecheticis, ubi *Deitas Filii* demonſtratur; tum in ſpecie duarum earum, quæ *Exod.* 34: 6,7. *Nomen Dei* efficiunt, *miſericordiæ* ſcilicet ac *juſtitiæ*, utpote quæ in ipſo, tanquam *Mediatore Dei & hominum* cluxerunt. *Juſtitia Dei* in eo demonſtrata eſt, *Rom.* 3: 25. dum ipſe ſatisfecit ei pleniſſime, omniſque *benedictio* & *gratia Dei* in Jeſu eſt, ita *ut ex plenitudine ejus* accipiant *gratiam* pro *gratia*, *Epheſ.* 1: 1–6. *Joan.* 1: 14——18. *Nomen Dei* denique tertiò in Jeſu etiam fuit reſpectu glorioſorum, & vere divinorum *factorum*, qualia ſunt non tantùm creatio, conſervatio, miracula, de quibus Catecheſis; ſed præ primis *ſalus peccatorum*, quod maxime opus eſt divinum, *Eſai.* 45: 22.

LXXXVIII. B. *De facie ad faciem* cum Deo Patre Jeſus noſter etiam locutus eſt, utpote qui *in ſinu Dei* fuit, qui maximæ familiaritatis locus, uti ex exemplo patet Joannis in ſinu Jeſu accumbentis, & ideo a Petro ſollicitati, ut ipſe rogaret quod Jeſus videbatur palam omnibus indicare nolle, *Joan.* 13: 23. Ita etiam legitur de Jeſu *Joan.* 1: 11. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui eſt in ſinu Patris, ille expoſuit.* Poſſunt de empha-

b. In fonte prophetiæ, id eſt, familiari cum Deo commercio.

ſi hujus phraſis conferri Witzius in *Oeconom. L. 3. C. 14. §. 25.* Et Ant. Bynæus *de Morte Chriſti Lib. 1. C. 5. §. 13.* Id modò in rem præſentem obſervaverim, *Joan.* 1: 18. Jeſum dici eſſe εἶναι εἰς τὸν κόλπον, quod vulgò vertitur, in *ſinu Patris*. Ambigo an ſatis emphatice. Præſertim cùm videam particulas εἰς & ἐν in ſimili caſu clariſſime diſtingui. Ex. gr. Anima Lazari dicitur aſportari εἰς τὸν κόλπον τῦ Αβραάμ; *Luc. 16: 22. ad ſinum*, vel *in ſinum Abrahami*; in diſtinctione ejus quod dicitur *verſ.* 23. animam illam jam exiſtentem in ſinu Abrahami, viſam fuiſſe non εἰς, ſed ἐν τοῖς κόλποις αὐτῦ, *in ſinu ejus*. Ita etiam hic loci Jeſus dicitur eſſe εἰς τὸν κόλπον τῦ Πατρός; id eſt, non ſimpliciter *in ſinu Patris eſſe*, ſed *ad Patris ſinum* quaſi adhærere, affixum eſſe, & arctiſſime ſic ad cor & faciem ejus quaſi agglutinatum eſſe, ad cordis arcana ex ore ejus haurienda. Ita certe Joannes initio quidem erat ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ Jeſu, *Joan.* 13: 23. mox verò expiſcaturus clanculum quis proditurus eſſet Jeſum, *incidebat* ἐπὶ τὸ στῆθος, *ad pectus Jeſu*, *vers.* 25. quod etiam videtur dici potuiſſe noſtra phraſi εἰς τὸν κόλπον, *ad ſinum Jeſu*. Quæ ergo ſignificabit illam Filii prærogativam, quod familiariſſime cum Patre quaſi collocutus fuerit, adeoque audiverit ex eo, quod nemo alius audire potuit. Notatu profecto dignum eſt toties hoc in Euangelio Joannis occurrere & inculcari. Ita *Cap.* 3: 11. *Amen, amen dico tibi*, (inquit Jeſus Nicodemo) *quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*. Id ipſum repetitur *ibid. vs.* 32. *Quod ille vidit & audivit teſtatur*. Jeſus iterum *Cap.* 5: 37. Judæis loquens, *Vos*, inquit, *vocem ejus nunquam audiviſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis*; nempe, *ſicut ego:* quemadmodum clariſſime hoc repetens addit *Cap. 6: 46. Non quod Patrem viderit quiſquam, niſi is qui eſt a Deo; hic vidit Patrem.* Quis autem ille, *qui eſt a Deo?* Nemo ullus niſi Jeſus Chriſtus, qui *Angelus faciei* olim dicebatur. Audi quid idem ille Philippo dicat *ibid.* 14: 9. 10. *Qui vidit me, vidit Patrem: quomodo igitur tu dicis, oſtende nobis Patrem? Non credis me in Patre, & Patrem in me eſſe? Verba, quæ ego loquor vobis a me ipſo non loquor; ſed Pater, qui in me ma-*

manet. Adeo de noſtro quoque Jeſu conſtat, Deum cum eo locutum *facie ad faciem*.

LXXXIX. C. Nec minus illud conſtat, Deum Jeſum copioſe *Spiritu ſuo donaſſe*. Quod vel ſtatim in ejus Baptiſmo patuit, quando *apertis cœlis Spiritus Dei conſpiciebatur deſcendere ut columba, & venire ſuper Jeſum*; *Matth.* 3: 16. Sive ipſe *Dei Spiritus* fuerit ut columba, id eſt, ſub figura columbæ deſcenderit, quemadmodum vulgò depingitur; ſive *deſcenſus* modò *Spiritus* fuerit, qualis eſt deſcenſus columbæ, quod nunc ulterius non indagamus; (quamvis prius iſtud veroſimilius longè habeatur) id certe conſtat, Spiritus S. dona largiſſimâ copia in Jeſum deſcendiſſe, & *ſuper eum* quoque *manſiſſe*, uti expreſſe dicitur *Joan.* 1: 32. quemadmodum quoque olim Spiritus a Moſe communicatus non ſemper ſuper Senioribus erat, ſed quidem ſuper Moſe, *Num.* 11: 25. Ex illa Spiritus copia Jeſus cœleſtes illas doctrinas ubique & continuo locutus eſt, tantam omnes Spiritus S. efficaciam & vim ſpirantes, ut populus univerſus fateretur *ipſum docere ut ἐξουσίαν, poteſtatem* habentem, non autem ut Phariſæos & Scribas *Matth.* 7: 29. Per eundem Spiritum inſuper omniſcius erat, intima cordis ſecreta, & quæ clam quis fecerat cognoſcens *Joan.* 4: 29. 21: 17. *Hebr.* 4: 13. atque ſic etiam, uti conſtat exemplo Nathanielis *Joan.* 1: 49. *odoratu* quaſi ſentiens quis *pius* eſſet. Ex quo omniſcientiæ ſigno uti Meſſias dignoſci debebat, prout docui §. LXI & LXII. ita Jeſus ex eodem a Nathaniele pro Meſſia agnitus eſt: *ibid. vers.* 49. 51. Ex eadem denique copia Spiritus S. non minus ac Moſes, de ſuo quoque Spiritu cum aliis communicare potuit. Cujus poteſtatis documenta dedit luculentiſſima, & cùm primùm ablegaret Apoſtolos, *Matth.* 10: 19. 20. & modò ante adſcenſionem, *afflando in ſuos diſcipulos*; *docens*, *accipite Spiritum S. Joan.* 20: 22. & præprimis poſt eam tempore Pentecoſtis, quando *omnes replebantur Spiritu S. Actor.* 2: 4. ut per hæc eos dona idoneos redderet, ad opus miniſterii rite peragendum, *Epheſ.* 4: 11.

c. In communicabilitate ejus abundanti.

XC. Tranſimus II. ad *Miracula*, quorum reſpectu neque

II. *Reſpectu Miraculo-*

rum in magnitudine eorum & numero.

Moſe minor exſtitit: quemadmodum ideo dictus eſt *Propheta potens & factis & verbis, coram Deo & toto populo*, Luc. 24: 19. qui nempe ex eorum patratione multiplici, magnifica, publica, hanc vidente univerſa turba, promte hanc formabat concluſionem, *Meſſiam, ubi veniſſet, non præſtiturum majora ſigna*, Joan. 7: 31. Non fert animus Jeſu miracula hic recenſere ſingula, cùm jam monuerimus id nos, ſi Deo viſum, aliàs præſtituros, ut inde conficiamus Jeſum eſſe Meſſiam. Hæc modò menti ſententia impræſens ſedet docere, Jeſum hac in cauſa Moſe non minorem fuiſſe. Longum foret Miraculorum Moſis catalogum exhibere. Menaſſe Ben Iſraël, & ante eum Abarbanel, ea ſupputarunt ad numerum LXXVI. quæ vel patraverit ipſe, vel ejus cauſa edita fuerint: conf. §. XVIII. At verò ſi cum his ea conferantur, quæ edidit Jeſus ipſe ſolus, & in Euangeliorum voluminibus utrâque pagina narrantur, non modò magnitudine ſunt ſtupenda præ illis Moſaicis, ſed & numero innumera. Magnum revera quid eſt ſcindere mare, & ſicco per illud pede tranſire; ſed non minus eſt ſuper ipſas ambulare aquas *Matth.* 14: 25. Mutavit Moſes aquas amaras in dulces; Jeſus verò aquam in vinum *Joan.* 2. Eſtne quiſpiam qui exiſtimet, majus quid eſſe populum cœleſti cibare manna, quam quinquies mille homines ſaturare quinque duntaxat panibus, piſcibuſque duobus, & fragmentorum, quæ ſupererant, plenos cophinos reſervare duodecim? *Matth.* 14: 15 &c. Non vacat plura referre. Id unum notaverim, ipſum Jeſum ad ſua provocaſſe miracula, quæ faciebat, ut inde Joannes Baptiſta, & ejus in primis diſcipuli ad ipſum miſſi dignoſcerent, ſe illum eſſe *Meſſiam venturum*, & non alium, quando hoc eis in mandatis dedit *Matth.* 11: 4, 5. *Ite & renunciate Joanni, quæ auditis & videtis; cæci viſum recipiunt, & claudi ambulant; leproſi mundantur, & ſurdi audiunt; mortui ſuſcitantur* (quod nunquam Moſes feciſſe legitur) *& pauperibus prædicatur Euangelium.* Colligimus itaque Jeſum *& gradu Prophetiæ*, & *Miraculorum* pariter reſpectu Moſi *parem* exſtitiſſe.

XCI.

XCI. Addimus denique III. Jeſum, quod ad *Muneris dignitatem*, non minus quàm Moſem, Prophetamque Moſi parem, id eſt, Meſſiam, de cujus munere locuti fuimus §. LXXX *& ſeqq.* Dei ad populum *Internuntium* fuiſſe, & immediatum quidem. Etenim, nonne & Jeſus ſtetit Deum inter ac populum, inde æque ac Moſes μεσίτης, *Mediator* dictus? 1 *Tim.* 2: 5. Nonne Jeſus itidem verba, quæ dicenda habebat, ἀμέσως ab ipſo Deo, ejus ea ori indente, accepit? Quam in rem, quid, quæſo, validius dici poteſt, quid clarius, quam quod ipſe fatur palam *Matth.* 11: 27. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo; & nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quisquam novit niſi Filius, & cuicunque voluerit Filius retegere.* Idem publice Judæis perſuadere conatus fuit, ipsâ, ſi vellent, experientia convincendis, ubi rogantibus, *Quomodo iſte novit literas, cum eas non dididerit?* regerit: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me. Si quis voluerit ejus voluntatem exequi, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego a me ipſo loquar* &c. *Joan.* 7: 15. *& ſeqq.* In primis verò idem publice proteſtatus *Joan.* 12: 49. 50. *Ego ex me ipſo non ſum locutus; ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi præcepit, & quid dicam, & quid loquar; & ſcio præceptum ejus vitam æternam eſſe. Quæ igitur ego loquor, prout dixit mihi Pater ita loquor.* Et addit *Cap.* 14: 10. *Verba, quæ ego loquor vobis, a me ipſo non loquor.* Id clarius explicat *verſ.* 24. *Sermo quem auditis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me, h.e.* Patris mei. Et *ibid.* 8: 26. *Qui me miſit verax eſt: & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor.* Quod quidem Jeſu teſtimonium tanti fecit is, qui palam ſe Chriſtum non eſſe, ſed ejus duntaxat præcurſorem & miniſtrum profitebatur, ut Jeſum vel maxime commendaturus illud ipſum privilegium potiſſimum adducat. Digna omnino ſunt verba quæ recitemus, ut iis lucem nonnullam ſimul accendamus. Occurrit locus *Joan.* 3: 31—34. *Qui ſuperne venit ſupra omnes eſt: & qui e terra eſt, terrenus eſt, & terrena loquitur: qui e cœlo venit, ſupra omnes eſt. Et quod vidit & audivit, id teſtatur: ſed teſtimonium ejus nemo recipit. Qui recipit ejus teſtimonium, is obſignavit Deum veracem eſſe.*

III *Reſpectu* Muneris, *dum fuit immediatus Dei ad Judæos internuntius.*

Nam

Nam quem misit Deus, verba Dei loquitur. Vix ullum est in toto hoc encomio verbum, quod non complectatur ingens rerum pondus. Nimirum, Jesus *venit* ἄνωθεν, id est, si ad tempus velis referre, ἀπ' ἀρχῆς, *a principio*: conf. *Actor.* 26: 5. Et sic denotaret, eum jam *ab initio* exstitisse & *venisse*, sive, uti dicitur *Mich.* 5: 1. *egressum esse*, in verbo scilicet, quod ab initio locutus est; & in Spiritu suo, *in quo profectus prædicavit* primo jam mundo 1 *Petr.* 3: 19. Si verò sumas τὸ ἄνωθεν simplicius, adeo ut hic notet *superne*, prout in fine versus diserte dicitur ἐκ τῦ οὐρανῦ; prout & intelligi potest *Luc.* 1: 3. Lucam ἄνωθεν, *cœlitus*, *superne*, assecutum omnia, quæ scripserit, quemadmodum de voce hac scribit gravissimus Theologus Franc. Gomarus *Operum pag.* 153. jam denotabit cœlestem Jesu originem. Utroque autem sensu, Jesus *supra omnes est*, supra ipsum quoque Mosem. Moses enim diu post bis mille annos a mundo condito demum loqui cœpit; Jesus ab ipso principio munere suo functus est. Moses locuturus ad Israëlem de monte Sinai modò venit; hic contrà *de ipso cœlo.* Inde fidelis quoque *est Internuntius* eorum omnium, quæ testis oculatus & auritus coram ipse *vidit audivitque* apud Deum. Etiamsi verò *ejus testimonium* vix, aut ne vix quidem, a duræ cervicis Judæis *recipiatur*; nihilominus *qui illud recipit*, eique fide assentitur, *is* ἐσφράγισε, *obsignavit*, apposito quasi sigillo, *Deum veracem esse*: in quantum illud suum promissum *Deut.* 18: 15. de internuntio tanto suæ Ecclesiæ olim dando, revera præstat: quemadmodum id manifeste liquet ex eo, quod hic Jesus revera *verba Dei loquatur*: id est, *verba a Deo* ipso, juxta idem promissum, *ori ejus indenda.*

Proferens etiam novam Doctrinam, ut supra §. LXXIV. de Messia prædictum, quod ex Joan. 1: 16. 18. latius expenitur.

XCII. Nec minus etiam Jesus quàm *Moses*, *Mosique par Propheta* Messias, de quibus id observavimus fecisse Illum §. XIX. facturum verò Hunc §. LXXIV. *novam* attulit *doctrinam.* Quod & nequaquam dissimulavit ipse. Namque *Matth.* 11: 13. 14. palam ait: *Omnes Prophetæ atque Lex ad Joannem prophetarunt: & si vultis credere, ille*, ait, *est Elias, qui venturus erat.* Dictum profectò notatu dignissimum, quodque non modò comprehendit ipsum antiquorum Rabbinorum

axio-

axioma à nobis ante adductum §. LXXVI. verùm & respicit simul atque explicat *Mal.* 4: 5. 6. *de mittendo Elia Propheta, ad convertendum cor patrum ad filios, & filiorum ad patres*, per *novam* scil. resipiscentiæ *doctrinam*, ab illa Mosis in Horebo lata, de sacrificiis, juribus, & institutis agente, distinctam, atque omnia ad antiquissimam simplicitatem fidei, Abrahamo & Patribus ante jugum Mosaicum usurpatæ, revocantem. Præclarum in hanc rem testimonium est, quod *Joan.* 1: 16. 18. de Jesu ita habet Joannes: *Ex ejus plenitudine omnes accipimus & gratiam pro gratia. Nam Lex per Mosem data est; gratia autem & veritas per Jesum Christum est præstita. Deum nemo vidit unquam, unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Multa hic docentur. Primò quidem fit oppositio inter duos distinctos voluntatis Divinæ Internuntios, *Mosem* & *Jesum*. Deinde ambæ horum doctrinæ inter se opponuntur; quarum altera *Lex* est, præ primis ceremonialis, per *Mosem*, & sub ejus potissimum ministerio lata; quo utroque nomine doctrina Jesu opponitur Legis Mosaicæ cùm rigori & severitati, tum umbris etiam atque typis. Altera verò *gratia* & *veritas*, nobis per *Jesum Christum* facta. Non tamen ac si Lex ceremonialis nullam gratiam adumbrasset; multo minus ac si doctrina ministeriumque Mosis nullam gratiam complexum esset; quum fœdus gratiæ substantiâ semper idem, uti inde a Paradiso, sic sub Vet. Test. æque ac sub Novo, administratum fuisse Reformatos inter constet ex ipsa Catechesi *Quæst.* XIX. uti & ipse hic Joannes, dicens nos *gratiam* accipere *pro gratia*, id est, novam pro veteri, uberiorem pro parciori, sine dubio *gratiam* œconomiæ Veteris Test. adscribit. Et tamen modò quasi per oppositionem dixerat, *Lex per Mosen, gratia per Jesum*, quatenus scilicet doctrina & ministerium Jesu gratiam afferat omni Veteris Test. gratiâ tanto meliorem, ut comparative loquendo hæc demum *gratia* dici mereatur, non sic illa. Namque primùm *gratiam* omnem, quantacunque fuit sub Veteri Test. etiam adfert ministerium Jesu. Deinde verò eam quàm maxime auget, respectu & luminis, & prioris

ſanctificationis & tranquillitatis conſcientiæ, quod Lector meus diſcat ex Witzii *Oeconomia*, inprimis L. 4. C. 15. §. 14. *& ſeqq.* Tertiò denique, quod maximi valde momenti eſt, *eandem gratiam* ita amplificatam affert, *liberatam* ab omni mixtura ſeveritatis ſervitutiſque, quæ ſub Veteri Teſt. per jugum Moſis illud intolerabile gratiæ adhærebat, eamque fere obſcurabat. Quibus & quartò addi poteſt, quod tantam gratiam nunc recipimus *omnes*, quotquot credimus, ſive Judæi, ſive Gentiles, cùm parcior ea gratia ſoli olim genti Judaicæ fuerit alligata. Hoc ſenſu et Paulus dicit *gratiam in Chriſto nobis datam ante tempora ſeculorum, nunc demum manifeſtatam eſſe in ejus apparitione, qui & mortem abolevit, & vitam in lucem produxit ac immortalitatem per Euangelium* 2 *Tim.* 1: 9 & 10. Et hanc quintò accipimus *ex plenitudine ejus*; *in quo* (I.) *Omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter*, *Col.* 2: 9. (II.) In quo etiam, quia omnem juſtitiam adimplevit, omnes Dei promiſſiones ſunt ναὶ ἐν ἀμήν: 2 *Cor.* 1: 20. Unde ſimul conſtat, quod *gratia* non tantùm, ſed & *veritas* ſit per Jeſum; id eſt, res ipſa, in oppoſitione *umbrarum*, *quarum corpus eſt Chriſtus*, *Col.* 2: 17. & εἰκὼν, *ipſa expreſſa forma rerum*, *Hebr.* 10: 1. ille enim umbras Moſaicas adimplevit omnes. Et ne quis dubitet cur Jeſus tanto meliora ac veriora afferat, quàm Moſes, additur *vers.* 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille* nobis *expoſuit*. De quo etiam ante aliquid diximus. Ex allatis itaque luce meridiana clarius pateſcit, Jeſum Nazarenum vere eum eſſe Prophetam *Moſi* per omnia *parem*, quod mihi demonſtrandum propoſueram.

Immo verò Jeſus non par tantùm Moſi, ſed & eô longè excellentior fuit in omnibus hiſce prærogativis, uti

XCIII. Neque tamen hic ſubſiſto: ſed uti antea oſtendi *Prophetam* illum *Moſi parem*, vel eo ipſo quod Moſi *par* foret, debere eſſe Moſe *ſuperiorem*, quia uti Moſis ea prærogativa etiam erat, quod *nemo ei ſimilis ſurrexerit Propheta*; ſic etiam Propheta hic neminem ſibi ſimilem habere debet, ne ipſum etiam Moſem quidem: itaque nunc oſtendendum Jeſum Moſe longè excellentiorem eſſe. Eas autem Jeſu prærogativas in cauſa *Prophetiæ*, & *Miraculorum*,

I. &

& totius *Muneris* ſui præ Moſe ad ſequentia hæc capita ſuccincte redigamus, juxta ordinem in ipſius Moſis excellentiis recenſendis ſuprà mihi obſervatum. Et quidem I. in *Prophetiâ* excelluit reſpectu A. *Materiæ*. Namque (1) Moſes *miniſter* fuit *Legis*, *umbrarum* & *condemnationis*; Jeſus contrà *Euangelii*, *veritatis*, & *gratiæ:* cujus proinde doctrina illa Moſis longe ſuavior, clarior, longeque magis conſolatoria. (11) Moſes (etiamſi quod ſupra §. XIII. nimis audacter, & ſine probatione audivimus affirmantem Menaſſe Ben Iſraël, eum ipſa etiam accepiſſe a Deo verba, cùm reliqui Prophetæ revelationes ſibi a Deo vere factas ſuis ipſorum tantummodo verbis eloquerentur) non tamen ideo longe ſupra reliquos Eccleſiæ Doctores eminebat. Nam omnium Doctorum, etiam non θεοπνεύσων, officium eſt in re Theologica loqui, quantum poſſunt, ipſis verbis, quibus ipſe Spiritus S. antea uſus fuit, dum loqueretur per os virorum θεοπνεύσων. Ita præivit Paulus 1 *Cor.* 2: 12, 13. *Sibi donata a Deo eloquens non verbis, quæ humana docet ſapientia, ſed quæ Spiritus S. docet, ſpiritualia ſpiritualibus conjungens.* Ita omnibus mandavit Petrus 1 *Epiſt.* 4: 11. *Si quis loquitur* ὡς λόγια τοῦ Θεοῦ, *tanquam verba Dei.* i. e. eo modo loquatur, *uti decet loqui verba Dei.* Quemadmodum Paulus idem exprimebat *Epheſ.* 6: 20. Ad quem modum iſta pertinent, juxta Coccejum in *h. l.* 1. *Quod non debeat mutare ſermonem Dei quoad vocabula, & pro vocabulis doctis a Spiritu Dei ſubſtituere vocabula docta ab humana ſapientia.* 2. *Ne quid temere dicamus, quod non ſatis ad* ἀνάκρισιν *revocaverimus.* 3. *Ut loquamur* μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, *Tit.* 2: 15. &c. 4. *Ut eadem ſapientia, & ſuavitas, & clementia ſit in noſtro ſermone, quæ in ſermone Dei* &c. Moſes quidem ſua illa λόγια τοῦ Θεοῦ accipiebat immediate a Deo per inſpirationem; reliqui Doctores non Θεόπνευσοι accipiunt eadem mediate per lectionem librorum, in quibus viri Θεόπνευσοι nobis eadem reliquerunt conſcripta: quæ magna profecto differentia eſt in *modo* ea acquirendi; ſed non adeo in ipſis Dei verbis, quæ acquiruntur. At Jeſus longiſſime ſupra omnes, & ipſum Moſen eminet in eo, quod *loquatur*

Reſpectu Prophetiæ.
a, In materia *ejuſdem duplici ratione: id eſt* 1. *Euangelio, non Lege.* 11. *Verbis Dei in omni emphaſi.*

ipſa Dei verba, τὰ ῥήματα τῦ Θεῦ, *Joan.* 3: 34. Quod ita ſane non adeo intelligendum, ac ſi Jeſus modò loqueretur VERBA, QUÆ DICENDA A DEO ACCEPERAT, (ita loquebantur Moſes & omnes eum ſecuti Prophetæ;) ſed ita id capiendum reor, quod talia verba locutus ſit Jeſus, quæ nemo MERUS HOMO, ſed SOLUS DEUS, ſive verè divina perſona ELOQUI POTEST & DEBET. Qualia DEI VERBA ſunt *Eſai.* 45: 22. *Reſpicite ad me, & ſalvemini omnes fines terræ.* Item *verſ.* 23. *Mihi ſe incurvabit omne genu; mihi jurabit omnis lingua.* Quæ ſicut ibi Meſſiæ verba ſunt, ita his ſimilia fatur Jeſus *Matth.* 11: 28. *& ſeqq. Venite ad me omnes, qui fatigati eſtis & onerati, & ego faciam, ut requieſcatis. Attollite jugum meum in vos &c. Matth.* 9: 2. *Confide, fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Porro *Joan.* 6: 48. *Ego ſum panis vitæ.* Et *Cap.* 4: 26. *Ego ſum Meſſias, qui loquor tibi.* Et ſanè hæc illa ſunt verba, *a ſæculo inaudita, & auribus minime percepta, Eſai* 46: 4. Et diu tamen *deſiderata a Prophetis & ſanctis, ut audirentur, Matth.* 13: 17. Qualia etiam illa ſunt æque divina verba *Joan.* 14: 1. *Vos creditis in Deum, credite etiam in me.* Et *verſ.* 10. *Verba, quæ loquor, non loquor a me ipſo, ſed Pater, qui in me manet*, Et *verſ.* 11. *Credite mihi me in Patre, & Patrem in me eſſe; ſin minus, propter ipſa opera credite mihi.* Quæ cuncta certè majora ſunt, quàm ut talia de ſeſe prædicare queat Moſes, aut mortalium ullus. Non me equidem fugit unum eſſe inter hæc, quod de Moſe itidem legatur, *credidiſſe ſcilicet Iſraëlitas JEHOVÆ, & Moſi ſervo ejus, Exod.* 14: 31. ad quod teſtimonium ſemper provocant Judæi, ut Moſis auctoritatem præ aliis extollant; veruntamen nihil tam excellens in illo Moſi tribuitur, quin & reliquis tribuatur Prophetis 2 *Chron.* 20: 20. *Deo credere*, & *Moſi credere*, non æquali gradu, non eadem ſubordinatione; ſed *Deo*, ut *Deo*, *Moſi*, ut *homini* Dei ſervo, haud profectò idem eſt ac *credere in Deum*, & *credere etiam in Jeſum*, non minus ac *in Patrem*, quod Jeſus de ſeſe dicit. Namque *credere in Jeſum* eſt, non tantùm pro veris ac divinis accipere, quæ nobis annuntiat, uti *Moſi.* ita *credebat Iſraël*,

Iſraël, ſed etiam omnem in eum, tanquam verum Deum, fiduciam collocare.

XCIV. Nec minus excelluit B. Reſpectu *Fontis*. I. Moſes didicit a Deo, quæ docere debuit, per communicationem familiariſſimam, quæ fit *ore ad os:* Jeſus autem *per claram viſionem*, & intimum ſecretorum Dei intuitum, *enarrans* quæ coram *ipſe vidit & audivit in ſinu Patris*, *Joan.* 1:18. quo de loco vidimus ante §. LXXXVIII. II. Moſes, (& omnes eum ſecuti) *loquebantur e terra*, ubi ipſi erant nati, educati, illuminati, dum in terra exiſtentes accipiunt revelationem arcanorum Dei è cœlo ad ipſos in terram demiſſam, & ad captum terreſtrium hominum accommodatam, quam etiam loquebantur tanquam homines terreſtres, i.e. ut ſervi & miniſtri: Jeſus verò ἄνωθεν, *ſuperne venit*, & quidem ut ipſe *Dominus e cœlo, qui proinde ſupra omnes eſt*, *Joan.* 3:31. 1 *Cor.* 15:47. Conferri omnino meretur Cel. Coccejus *Conſider. Reſponſ. Judaic. Cap.* 4. §. 191. III. Moſes *conſpiciebat* duntaxat *Dei gloriam* in ſigno, in nube, & *Dei poſteriora* tantùm, divina tranſeunte gloria: immo & ne hoc quidem, niſi antè manu Dei obtectus in cavitate rupis, ne infinita Dei glorioſi præſentia conſumeretur, *Exod.* 33:20. & *ſeqq.* Jeſus verò uti ipſe eſt Dei gloria, ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *effulgentia gloriæ Dei*, & expreſſa *imago ſubſiſtentiæ ejus Hebr.* 1:3. Deitatiſque pleniſſime capax; adeo ut Jeſus plenè poſſideat quod eminus Moſi conſpicere modò dabatur, uti etiam *Deus Pater in ipſo eſt & manet*, *Joan.* 14:10. ita ipſum *Deum conſpexit*, in tanta hujus phraſeos emphaſi, quanta cogitari poteſt. Vid. *Joan.* 6:46. IV. Unde & aliud porro ſequitur, quod ſcilicet magna quidem fruebatur Moſes familiaritate cum Deo, utpote cui ſoli licitum *omni tempore intrare in tentorium conventus*, *ut loqueretur cum ipſo Deo*, *cujus gloria habitabat ſuper operculum arcæ*, *& qui dehinc cum ipſo loquebatur e medio Cherubinorum*, *Num.* 7:89. At verò tanto major Jeſu eſt cum Deo familiaritas, quanto familiarior eſt qui *in ſinu* alicujus eſt, immo *ad ſinum* alicujus affixus adhæreſcit, præ altero, qui ad colloquium duntaxat cum illo eminus, & non niſi velo

b. In fonte *prophetiæ quintuplici ratione. dum eam habet* I. *Per* Viſionem. Supernè *veniens* III. *Et ipſe* ἀπαύγασμα *gloriæ Dei.* V Qui in ſinu Patris. V. Arcana *palam* loquens.

nubis interpoſito, admittitur: cui proinde major etiam competit & accuratior longe myſteriorum Dei Patris cognitio, ut qui *vidit ipſum Deum*, *ea* porro *teſtans*, *quæ vidit & audivit ipſe*; quod ſatis in antecedentibus adſtructum. Unde eſt iſtud fluit. v. Quod Moſes *Legem* quidem dederit Iſraëli, *ſtatuta*, *judiciaque*, ſed ſimul manſerit ſemper, & univerſus populus Iſraëliticus, *ſub velamine*, *Exod.* 34: 34, 35. coll. 2 *Cor.* 3: 15. *Deut.* 29: 29. dum *verba Dei*, in pleno ſcilicet lumine *eloquenda* reſervat ſuo illi Prophetæ magno *Deut.* 18: 18. Jeſus verò arcana cuncta & ænigmata, antiquitus ſilentio oppreſſa prædicavit palam: quare ſibi applicuit *Matth.* 13: 35. id quod habetur *Pſalm* 78: 1. *Aperiam per parabolas os meum: eructabo occulta a jacto mundi fundamento.*

c. *In communicabilitate ejuſdem, dum Jeſus largiter dat Spiritum.*

XCV. Perinde excelluit Jeſus reſpectu C. *Communicabilitatis.* Moſes, ſummis licet gaudens Spiritus S. donis, non poterat tamen propria auctoritate aut arbitrio ea aliis quibuscunque impartiri, immo ne quidem LXX. iſtis Senioribus: quocirca neceſſe ei fuit publice fateri ſuam hac in re impotentiam, & precari Deum; *Utinam totus populus JEHOVÆ eſſent Prophetæ, & daret JEHOVA Spiritum ſuum illis!* quod ideo neque Moſi, ſed Deo adſcribitur, *qui ſeponens de illo Spiritu, qui erat ſuper Moſem, eum indidit ſeptuaginta illis Viris Senioribus, & prophetarunt*, *Numer.* 11: 25 — 29. Verùm Jeſus, uti *abſque ulla menſura* Spiritum accepit, *Joan.* 3: 34. quo copioſe *unctus fuit ſupra omnes ſuos conſortes Pſalm.* 45: 8. coll. *Hebr* 1: 9. ita de illo quantumcunque, & cuicunque impertiri ſua auctoritate ipſe valebat: quod gloriatus erat ſe facturum *Joan.* 14: 15, 16. Cujusque facultatis illuſtre dedit documentum, dicens, flando in ſuos Apoſtolos, *Accipite Spiritum S. uti me miſit Pater*, *ita ego mitto vos. Joan.* 20: 22. Atque paucis diebus pòſt revera eos implendo Spiritu S. & tantâ quidem copia pariter & efficacia, ut variis non tantùm ipſi linguis loquerentur τὰ μεγαλεῖα τῦ Θεῦ, & virtutes etiam ederent, *Act.* 2: 11. & 3: 7. ſed & aliis iterum quibuſcunque vellent eandem traderent facultatem, *Actor.* 8: 17. tanta quidem promtitudine, ut Simon magus putaret illos eandem poteſtatem

ſtatem facile pro certa pecuniæ ſumma cuicunque vendituros. Quod ſane copioſiſſimam in iis Spiritus S. menſuram ſupponit; qui *adinſtar olei pretioſi eſt effuſus in caput Aaronis, indeque deſcendens in ejus barbam ipſam, repleret oram veſtium ejus*, *Pſ.* 133: 2. ſive, ut ſub alio emblemate dicitur alibi, quo etiam *ungeretur ſanctum ſanctorum*, *Dan.* 9: 24. per quod & Eccleſia quoque intelligi poteſt lapidibus vivis conſtans; uti per veſtes Aaronis fideles ſummo ſuo ſacerdoti arctiſſime adhærentes, quales primo loco erant Apoſtoli. Et quod notandum eſt, Spiritus hujus efficacia a Jeſu dependebat, adeo ut quemadmodum nihil loquebatur ipſe a ſe ipſo, ſed ea, quæ a Patre audiverat dicendaque acceperat; ſic itidem Spiritus a Jeſu mittendus, *nil loqueretur a ſe ipſo, ſed ea, quæcunque audierit. Et ille*, inquit Jeſus, *me glorificabit, quia de meo accipiet, & renuntiabit vobis. Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt; propterea dixi, eum de meo accepturum & renuntiaturum vobis: Joan.* 16: 13. 15. Ut exinde manifeſtò conſtet, quod in tranſitu moneo, hunc Spiritum idem locuturum, quod Jeſus Chriſtus; & Jeſum, quod Pater; adeoque hanc Spiritus S. a Jeſu effuſi doctrinam plane Divinam eſſe, unanimi totius Trinitatis conſenſu probatam, traditam, confirmatamque.

XCVI. Immo vero II. præcelluit Moſen Jeſus etiam reſpectu *Miraculorum*. Ea ſane non tantùm paria fecit cum Moſe, prout & vidimus ante §. XC. ſed & longè plura & majora. *Plura* dico. Si quis enim Euangeliſtarum de Jeſu hiſtoriam conferat, infinitus ſane miraculorum a Jeſu patratorum recenſetur numerus, qui immenſum ſuperat eum, quæ non Moſes ſolùm, ſed & omnes conſecuti Prophetæ ſimul fecerunt. Qui diligenter ad calculos ſedet facile ita eſſe comperiet. Et hoc quidem ex miraculis memoriæ proditis ſcriptoque conſignatis. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur ſigillatim, ne mundum quidem ipſum opinor capturum eos, qui ſcriberentur libros*, uti ſic ſuam enarrationem & Euangelium claudit Joannes *Cap.* 21: 25. Quis igitur hic tantus numerus cum illo exiguo a Menaſſe Ben Iſraël *loc. cit.* adducto?

xx *Reſpectu Miraculorum.*

ducto? Sed & *Majora* dico, & in omni quidem parte universæ naturæ, in cœlo, in mari, in inferno erga ejus incolas, quando ipsos ejecit Diabolos, & dominatus est in sepulchra, ipsos mortuos ad vitam resuscitans, qualia nunquam fecit Moses. Sed, ut dixi, hæc aliàs, si ita Deo visum, sum traditurus magis sedulo. Impræsens contentus ero Lectorem meum amandasse ad Cel. Coccejum in *Ultim. Mos.* §. 1735. *& seqq.*

III. Respectu totius muneris. ubi Jesus loquebatur 1. Ut potestatem habens II. Cum Spiritu S.

XCVII. III. Respectu *totius Muneris*, quod ad hæc tria sequentia refero. 1. Moses loquebatur *nomine Dei*, sine auctoritate insita. Unde istud præfatus identidem: *Ita dicit Dominus.* Jesus contrà *suo* loquitur *nomine*, cum auctoritate & ἐξουσία, *ut potestatem habens*, *Matth.* 7: 29. Unde etiam *Matth.* 5. & alibi sæpius præmittit: *Ego dico vobis.* Et hinc quoque II. Non poterat sua Lege Moses sanctificare populum. Erat quippe ejus ministerium in se spectatum abstracte a *promissione*, cui superaccesserat, *absque Spiritu* 2 *Cor.* 3: 6. *& seqq.* Loquebatur idcirco ad aures duntaxat externe, *non dans oculos ad videndum, aures ad audiendum, vel cor ad intelligendum*: conf. *Deut.* 29: 4. Jesu contrà ministerium Novi Test. est *ministerium Spiritus*, 2 *Cor.* 3: 8. *& verbum ejus vivum & efficax, & penetrantius quovis gladio ancipiti: ac pertingens usque ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagumque & medullarum, & dijudicans cogitationes & conceptiones cordis*, *Hebr.* 4: 12. quod *aperit corda*, *Actor.* 16: 14. atque *circumcidit Deut.* 30: 6. coll. *Col.* 2: 11. dum confert pariter Spiritum. Quo Spiritu illuminatur intellectus in cognitione viarum Dei, *Luc.* 24: 45. flectitur cor in obsequium fidei, & sanctificatur voluntas in amore Dei: a qua ejus operatione verè tanquam *Spiritus fidei & sanctificationis* insignitur 2 *Cor.* 4: 13 & 1 *Petr.* 1: 1. Immo & Mosis ministerium conjunctum cum promissione spectatum, ne vel sic quidem conferebat *Spiritum illum Filii*, *Galat.* 4: 6. utpote *qui nondum erat*: *Joan.* 7: 39. quique eximia tamen dona luminis, sanctificationis consolationisque allaturus erat: de quibus supra §. XCII. dixi videndum esse Clar. Witzium.

XCVIII.

XCVIII. 111. Tandem, ne ſingula recenſeamus, unum addere juvabit, quo Apoſtolus excellentiam Jeſu præ Moſe quam luculenter demonſtraturus *Hebr.* 3: 3–6. omnem, ut opinor, hanc rem confecit. De Moſe namque ita infit: *Fidelis fuit Deo, in tota ejus domo, ut famulus εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων, ad teſtificanda, quæ poſt dicenda erant.* De Jeſu autem hoc pacto ſcribit: *At Chriſtus (qui & fidus fuit Deo, qui eum conſtituit) ut Filius domui ſuæ præeſt.* Ex qua differentia hanc elicit concluſionem: *Idcirco tanto ampliore gloria Chriſtus præ Moſe dignus eſt habitus, quanto majorem honorem habet, qui conſtruxit domum, quam domus ipſa.* Ubi Moſes titulo inſigni a Deo ipſi præ omnibus Prophetis reliquis dato *Num.* 12: 7. hic dicitur πιστὸς, *fidelis in tota Dei domo*, indicatur ampliſſima profectò Moſis dignitas, quatenus 1. Omnia ordinavit in univerſa Eccleſia, æque Novi, ac Vet. Teſt. utpote quæ poſterior prioris præclarus typus exſtitit: uti & *verſ.* 5. hæc fidelitas extenditur *ad teſtificanda ea, quæ dicenda erant*, ſuo np. tempore per Chriſtum. Quatenus etiam 2. Exactiſſime cuncta a Deo ſibi mandata peregit, adeo ut Moſes hic laudetur tanquam legatus Dei miſſus ad totam Eccleſiam Veteris ac Novi Teſt. ordinandam, tanta cum auctoritate, ut *ipſi credendum eſſet in ſeculum*, *Exod.* 19: 9. Quales itidem Legati olim a Synedrio magno mittebantur ad Synagogas, plena inſtructi poteſtate, ut pro arbitrio quid conſtituerent.

111. *Ut fidelius domus, ex* Hebr. 3: 3–6.

XCIX. Non poſſum non hic adſcribere verba nonnulla Virorum doctiſſimorum, quæ inſignem huic loco lucem dare poſſunt. Primò quidem Camp. Vitringæ de *Synag. Vet. L.* 3. *Part.* 2. *Cap.* 2. *p.* 904. *In hunc ſenſum Moſes egregie* שליח *vocatur in Catecheſi Hebræorum* ונאמן הוא בשליחותו וכמו שכתוב בכל ביתי נאמן הוא: *Et fidus ille fuit in Legatione ſua, ſecundum id, quod dicitur, in tota domo mea fidelis eſt. Nempe Moſes*, (ita pergit Vir Eruditus) *cui ut miniſtro primario ſingularem Deus auctoritatem in Eccleſiam conceſſerat, ſimul egit Legatum Dei ad poſteros Iſraëlis, commode ea propter*

Qui inſignis locus diligentius illuſtratur ex Cl. Vitringa, Lud. de Dieu, & Lud. Cappello.

comparandus cum Chriſto, ſimul ἀποστόλῳ τῆς ὁμολογίας, LEGATO ADSTIPULATIONIS, *& præfecto domus Dei.* His addam aliud teſtimonium, quod citat Lud. Cappellus ad *Hebr.* 3: 2. ubi ita ſcribit: *Sic etiam Judæi de Moſe loquuntur in Seder Tephiloth Luſitanorum fol.* 36. על יד נביאו נאמן ביתו / *Per manum Prophetæ ſui fidelis in domo ſua*, vel, *cujus fidei commiſſa eſt ipſius domus*, ᾧ ἐπιστεύθη ὁ οἶκος αὐτοῦ. *Illud de Moſe dicitur Num.* 12: 7. Denique Lud. de Dieu in *Criticis* ſuis etiam in *Hebr.* 3: 2. πιστον ὄντα &c. hæc habet: *Reſpicitur locus qui eſt Num.* 13: 7. *ubi Moſen cum cæteris Prophetis conferens dicit Deus, ſe cæteris apparere per viſionem aut ſomnium, cum Moſe aliter ſe rem habere:* בכל ביתי נאמן הוא / in toto domo mea fidelis eſt. *Ad quem locum monuit me Doctiſſ. vir, noſterque intimus Johan. Cloppenburgius, mentem Dei non eſſe virtutem Moſis prædicare, qua fidum ſe in adminiſtrando munere geſſerit, ſed dignitatem ejus & authoritatem, qua ſupra cæteros Prophetas eminuit: & ſenſum eſſe,* Tota mea domus ei concredita eſt: *cæteris Prophetis ego jam per viſionem, jam per ſomnium certis temporibus appareo, ut quando, & quibus jubeo, voluntatem meam annuncient: ſed Moſi ego totam meam domum credidi, ut Eccleſiam meam univerſam conſtituat, regat, legibus tum Eccleſiaſticis tum Politicis inſtruat, ſecundum quas tota mea domus & jam & deinceps eſt gubernanda. Laudo hanc ſententiam: & ad hunc Hebrææ Phraſeos uſum confirmandum, profero quod eſt in Talm. in Sanhedr. Cap.* 3. *ubi duorum litigantium, & litis ſuæ Judices quærentium unus dicit,* נאמן עלי אבא נאמן עלי אביך נאמנים עלי שלשה רועי בקר / fidelis apud me eſt pater meus, fidelis apud me eſt pater tuus, fideles apud me ſunt tres bubulci: *id eſt, Ego vel patri meo, vel tuo, vel tribus etiam bubulcis litem meam credidero, ac decidendam tradidero. Nec indignus eſt Aben Eſra, qui ad verba*

Mo-

Moſis audiatur, qui eſt בכל ביתי נאמן הוא explicat, טעמו כבן בית שיבנם בלא רשות ואם יצטרך ידבר צרכיו ואתם באשר אתודע לכם בחלום תדעו ואם לא אין לכם רשות לשאול: Senſus ejus eſt, ſicut filius familias, qui libere intrat nulla accepta poteſtate: & ſi quibus eget, libere eloquitur. Vos autem, quando appareo vobis per ſomnium, tum ſcitis: ſi non appareo, non eſt vobis poteſtas interrogandi. *Vides ad poteſtatem & autoritatem referri, quam in totam Dei domum habet Moſes, non cæteri Prophetæ. Atque eandem hic Apoſtoli mentem eſſe, cum doctiſſ. viro arbitror: non conferri ſcilicet Chriſtum cum Moſe, ratione fidelitatis, ſed poteſtatis, atque autoritatis quam in totam Eccleſiam nactus eſt. Hoc diſcrimine, quod Moſes tanquam famulus tantum, Chriſtus tanquam filius* ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, domus ſuæ dominus, *ut verſ. 5. loquitur, poteſtatem hanc habuerit. Atque hoc indicavit Moſes Deut. 18. verſ. 15. & 18.* Suſcitabit vobis Deus Prophetam כמוני ſicut me, *& quæ ſequuntur: quæ recte ab Apoſtolo Petro Servatori noſtro applicantur Act. 3. verſ. 22. 23. Non eo ſane ſenſu, quo doctiſſimi Interpretes, atque inter eos magnus Calvinus hæc accipiunt, quaſi* נביא *indefinite pro Prophetis in genere accipiendum ſit apud Moſen, & promittat Deus, ſemper populum Prophetas habiturum, qui rite eum doceant: præcipue autem intelligi Chriſtum, tanquam Prophetarum principem, & in quem directæ ſint omnes ſuperiores Prophetiæ. Solum Chriſtum intelligi arbitramur, quippe qui ſolus fuit Propheta ſicut Moſes, toti domui Dei præfectus. Solis illis duobus hæc prærogativa & dignitas competiit. Primus ſub lege Prophetarum fuit Moſes, qui totam veteris Teſt. Eccleſiam uſque ad tempora Euangelii ordinavit, & ipſis etiam ſubſecuturis Prophetis leges fixit. Primus ſub Euangelio Prophetarum fuit Chriſtus, qui totam Novi Teſt. Eccleſiam, uſque ad finem mundi ordinavit, & omnibus ſubſecuturis Prophetis ſive paſtoribus leges fixit. In Moſe omnes reliqui Prophetæ veter. Teſt. eum ſecuti comprehenduntur: ſicut in Chriſto omnes Apoſtoli, doctores & paſtores, iſtam ſecuti.*

Ubi errant Grotius & Jac. Cappellus, non ſic Coccejus.

C. Cæterum quod additur, Moſem fidelem fuiſſe *ad teſtificanda ea, quæ poſt erant dicenda*, non recte explicat Illuſt. Grotius, hunc eorum ſenſum formans, ſcilicet *ut Moſes pronuntiaret populo ea, quæ Deus ei dicenda quoquo tempore mandabat*. Neque Jac. Cappellus verborum eorundem mentem probe cepit, *Rationi conſentaneum erat, ut ſtatim initio fideliſſimus comperiretur Moſes, quò fide dignius eſſet teſtimonium, quod poſtea perhibiturus erat in monte Sinai*. Rectiora iſta ſunt, quæ ad *h. l.* obſervat Celeb. Coccejus, hic diſputans contra Schlichtingium, qui τὰ λαληθησόμενα ſic explicat: *Ut ea, quæ Deus populo dici volebat, nomine Dei referret*; cui ſuccenturiatur, uti modò percepimus, H. Grotius; *Hoc enim*, inquit, *ita dicendum erat*: εἰς τὸ λαλεῖν ἃ λαλητέα ἦν, *vel* ἃ ἔδει, *vel* ἃ ἤθελεν. Ad loquendum, quæ loquenda erant, *vel* dici oportebat, *vel* quæ volebat Deus. *Longe aliud dicit Apoſtolus*: np. *Deum quædam paraviſſe dicenda in futurum, per ſervos ſuos Prophetas, per ipſum Dominum. Eorum omnium voluiſſe eſſe teſtimonium, quæ Moſi imperavit loqui. Ea verò Moſen fideliter locutum eſſe, & eadem fide libris condidiſſe, tam palam & tam inſigni ſtudio ac fidelitate, ut propter hoc ſtudium Moſes ſit miniſter Dei fidelis (qui voluntati Dei hac in parte ſatiſfecerit) in Eccleſia uſque ad finem mundi.* λαληθησόμενα *non ſignificat*, quæ quoque tempore oportebat dici; *ſed quæ impoſterum ut dicerentur futurum erat*: τὰ μέλλοντα λαλεῖσθαι, vel λαληθήσεσθαι. Syrus: *Inteſtimonium eorum, quæ futurum erat dici*. Deinceps ita pergit eodem §. 28. *Bullingerus nobiſcum rectè hæc interpretatus eſt de ſermone, quem aliis temporibus auditura erat Eccleſia, in primis ex ore Chriſti, hoc eſt, de Euangelio*. Hæc ergo illa *dicenda* ſunt, quæ Moſis ætate nondum audita ex Meſſia audiri debuerunt, & quæ tamen Moſes teſtificari debuit. Quare & ipſe Jeſus non e ubui tad hoc teſtimonium Moſis provocare tanquam *qui de ipſo ſcripſerat*, *Joan.* 5: 45. Quæ cuncta ſummam quidem Moſis auctoritatem comprobant adeo, ut ferme de eo dixeris, quod Joſephus *Antiq. L.* 3. *C. ult. Tantum valet ſemel de hoc viro concepta opinio, ut major homine habeatur, qui Leges a Deo acceptas hominibus tradidiſſe creditur*. Certe Moſes

conſideratus fuit quaſi omnes ſecutos Prophetas in ſe uno complexus. Hinc enim Malachias canonem Veteris Teſt. obſignat ea commendatione ipſius Dei *Cap.* 4: 4. *Recordamini Legis Moſis ſervi mei, quam ipſi præcepi toti Iſraëli, præceptorum atque juriùm.*

CI. Quantacunque verò ea ſint, Jeſus tamen Moſe in his omnibus infinitis paraſangis excelſior. Nam Moſes 1. *Servus* eſt, Jeſus *Filius*, & talis quidem, qui unà rerum paternarum eſt *Dominus*. Bene hic Grotius: *Chriſtus familiæ imperat. Dicunt Juriſconſulti, etiam vivente patre filium quodammodo dominum rerum paternarum.* Quidquid ergo Moſes egit, tanquam ſervus familiæ egit in uſum tanquam filiifamilias. Porro ergo etiam 2. Domus non eſt Moſis, ſed *Filii*, qui eam exſtruxit, dum Eccleſiam Dei inde ab initio mundi, tam eam Veteris Teſt. quàm eam Novi, erigit, portat, curat, regit. Immo vero 3. Moſes eſt *in ea domo*, ejusque pars duntaxat, ab ipſo etiam Chriſto exſtructus: Jeſus verò ſupra eam, ut *Dominus*. 4. Moſes denique *alienam* tulit doctrinam de *dicendis* etiam *in futurum*, dum leviter, & ſub umbris pronunciat, a Domino ſuo plene olim ac clare dicenda. Chriſtus autem *propriam*, dum illa olim dicenda adimplens fecit ea revera dici & ubivis prædicari.

Concluditur excellentia Jeſu præ Moſe.

CII. Si itaque tantus ſit Propheta Jeſus, ſine dubio ב. & de eo inſpecie erit præceptum, ut AUDIATUR. Revera autem in Euangelio hoſpes ſit oportet, qui de eo dubitare ſuſtineat. Vix in Jordane baptizatus erat Jeſus, quorſum ingens valde undequaque confluxerat turba ex tota Judæa & Hieroſolymis, præſentibus tot teſtibus auritis, quin Deus Pater voce clara cœlitus demiſſa omnem ei fidem & obedientiam exhibendam poſtulavit, exclamans coram univerſo populo: *Hic eſt Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquieſco Matth.* 3: 17. Manifeſtius autem id repetitum fuit tempore transformationis Jeſu in monte, adſtantibus Moſe & Elia, audientibus verò Diſcipulis vocem è cœlo delatam, non modò eadem verba olim ad Jordanem dicta repententem, quod annotavit Petrus 2 *Epiſt.* 1. 17, 18. verùm & addentem ex-

ב *Competit etiam Jeſu Iſraëlis officium* audiendi *ipſum, a Deo Patre bis publicè poſtulatum, uti & Moſes bis Iſraëli olim commendatus fuerat.*

expreſſiſſimo mandato, IPSUM AUDITE, *Matth.* 17: 5. Apertiſſima ſane alluſione ad verba vaticinii *Deut.* 18. de Propheta ſuſcitando, qui & olim *audiendus* erat ſemper, & porro *audiendus* foret ſolus per omnia ſecula. Quod *Audiendi* mandatum tanto magis ſtringit, quod promulgetur præſentibus, & quaſi teſtibus, immo ſuaſoribus & conſentientibus Moſe & Elia, quorum prior Legis erat miniſter induſtrius; Propheta zelotes in Iſraële poſterior, & ambo eximie Legis œconomiam, & Prophetarum chorum totum quaſi repræſentantes. Atqui his adſtantibus mandatur de Jeſu, AUDITE ILLUM. Probe hoc notavit etiam Auguſtinus de *Quinque Hæres. Cap. 7. Qui ſunt Moſes & Elias, niſi Lex & Prophetæ? Loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo: oſtendebant quæ prædixerant: manifeſtabant, quem prophetaverant.* Quod AUDITE tantundem revera eſt, ac ſi dicere-
„ tur; Non amplius audite Moſem, non Eliam, quorum nunc
„ erat OEconomia & miniſterium ad finem perductum,
„ quod proinde locum facere debebat Jeſu ejuſque Euange-
„ lio, qui jam AUDIENDUS SOLUS in tota Dei domo.
Et hi duo caſus eò quidem magis notabiles ſunt, quia & in hiſce Deus Pater Jeſum Moſi fecit *parem*, immo *majorem*. Hic quippe bis a Deo Iſraëli commendatus fuit, ut AUDIRENT eum. Primùm, cum primas Legis tabulas ab ipſo Deo accepit: iterum cùm ſecundas, inſuper de monte rediens facie coruſcante. Hæc ergo duo illuſtria Moſi Prophetæ dedit teſtimonia Deus. Similia duo dedit Jeſu; at infinitis ſane paraſangis excellentiora. Prius in baptiſmo, deſcendente in eum Spiritu, & voce Dei audita e cœlo. Poſterius, cum transfiguraretur in monte, coruſcante itidem ejus facie inſtar ſolis, eique non Moſe modò & Elia, h. e. Lege & Prophetis teſtimonium perhibentibus, verùm ipſo quoque Deo cœlitus proclamante, AUDITE EUM. Scilicet hujus & Jeſu foret enarrare, quæ adhuc audienda & dicenda ſupererant, in nova iſthac œconomia per Meſſiam adducenda, juxta iſtud mulieris Samaritanæ dictum *Joan.* 4: 25. *Novi Meſſiam venturum, qui dicitur Chriſtus, quum venerit*
ille

ille nobis annuntiabit omnia. h. e. omnia iſthæc quæ juxta promiſſionem exſpectamus.

CIII. Quod enim præclare & ad amuſſim explevit; ita ut in ſua ad Patrem oratione palam profiteatur *Joh.* 17. *verſ.* 6. *Nomen tuum notificavi hominibus.* Et *verſ.* 8. *Verba, quæ tradidiſti mihi, tradidi eis: & ipſi receperunt, & vere noverunt me a te prodiiſſe, & crediderunt me a te miſſum eſſe.* Prædicavit ergo Jeſus *Dei verba*, quæ *audire* debebant: & quidam *audiverunt.* Addita autem fuit, aut gravior etiam ac *Deut.* 18: 18. comminatio in non audientes. Ita Jeſus ipſe *Joan.* 12: 48. *Qui aſpernatur me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipſum.* Et *Cap.* 8: 24. *Niſi credideritis me eum eſſe* (quem miſit Pater) *moriemini in peccatis veſtris.* Pluribus verò eam aggravat Apoſtolus *Hebr.* 12: 15. *Videmini, ne averſemini eum qui loquitur: nam ſi illi non aufugerint, qui recuſarunt Divinitus loquentem in terra* (Moſem puta) *multo magis nos, qui eum, qui de cœlis eſt, averſaremur.* Atqui ille eſt Jeſus Chriſtus. Conf. etiam *Cap.* 2: 3 *ſeqq.* 10: 28. &c. Nec omnia recitare licet. Quæ etiam cauſa fuit, quare Judæos hunc Jeſum audire recuſantes, ejuſque doctrinam repudiantes, Urbe, Templo, atque Republica deletis, viderimus videamuſque ex patria expulſos, Divino judicio per tot nunc ſecula in exilio vagabundos, deperditis, quibus meritò gloriari, ſi non ſuperbire, olim ſolebant, privilegiis omnibus. A quo tempore *ira Dei*, quæ hucuſque perdurat, *devenit in eos*, & manebit εἰς τὸ τέλος, *ad extremum*, ſeu *finem uſque:* 1. *Theſſ.* 2: 16. Uſque dum ſcilicet *in fine dierum convertantur ad Dominum, & Davidem Regem ſuum Hoſ.* 3: 5. Adeo experientiâ ipſa hæc corroborata eſt comminatio, quam Deus huic noſtro promiſſo majoris confirmationis ergo addiderat; *Erit autem ut quiſquis non auſcultaverit verbis meis, quæ locuturus eſt in nomine meo, ego repoſcam ab illo.*

Quod & præſtitum fuit a nonnullis; a vulgo autem Judæorum neglectum, ideo graviter punitorum.

CIV. En Tibi, Chriſtiane Lector, verè Claſſicum hoc vaticinium, de *Propheta ſuſcitando Moſi pari*, enarratum: prolixius quidem quàm primò intenderam; at veniam fortaſſe dabunt æqui æſtimatores ob eximium illuſtriſſimi ora-

Oraculi ad Jeſum applicatio defenditur denique contra

ora-

Judæorum objectiones.

oraculi per totam Scripturam utilitatem. In cujus etiam explicatione hic illic, ubi ita res poſtulare videbatur, in varias Philologiæ Hebraicæ obſervationes, nec injucundas, nec omnino inutiles, excurrimus: uti & alia inſignia S. Scripturæ loca illuſtravimus. Unum & ultimum ſupereſt, in eo conſiſtens, ut reſpondeamus ad objectiones, quas hic Judæi movere ſolent, hanc promiſſionem in Jeſu noſtro adimpletam negantes & pernegantes. Ubi in anteceſſum quædam generalia ſumus examinaturi, deinceps ſpecialia magis addituri.

1. Generalem, petitam a ſolemnitate Legislationis Moſaicæ repetenda in ejuſdem abrogatione.

CV. Et primùm quidem corradunt pertinaces hi homines multa, quibus probare ſatagunt Legis Moſaicæ perpetuitatem, utpote quæ eadem ſemper manere debeat, citra vel minimam immutationem, vel novæ ullius doctrinæ additionem. Quod utrumque cùm auſus fuerit Jeſus, concludunt hunc nequaquam pro magno illo *Propheta* a Moſe ipſo commendato haberi poſſe, qui ſic futurus ſit, non Propheta *ſicut* Moſes, ſed Propheta *contra* Moſen. Quàm verò abſurdum illi cenſeant Moſis Legem, ſolenniter adeo olim latam, a Jeſu abſque eadem divinæ majeſtatis apparitione immutari, patebit ex Hiſtoria, quam offendimus in Libro, cujus titulus eſt שבת יהודה / *tribus Judæ*, ſive *Hiſtoria Judaica*, *Res Judæorum ab everſa æde Hieroſolymitana complectens*, de quo videre eſt Buxtorfii *Biblioth. Rabbin.* p. m. 138. Hic liber ex Hebræo ſermone Latinitate donatus eſt per Georgium Gentium: qui in *Præfat.* hujus libri Auctorem deſignat Salomonem, filium Virgæ, natione Hiſpanum, profeſſione Medicum. Hic verò complectitur etiam diſputationem inter Regem Alphonſum, Hiſpaniarum Regem, & Thomam, acutiſſimum Philoſophum Judæum, in qua hæc notatu digna proditur hiſtoria p. m. 55. nimirum Judæos, ad Chriſtianorum ſacra amplectenda admonitos, in hanc ſententiam aliquando reſpondiſſe: *Legem ſuam latam eſſe adſpectantibus ſexaginta hominum myriadibus, per prodigia, clariſſima Divinæ majeſtatis indicia, ignemque cœlo delapſum. Omnino itaque æquum eſſe, ut eodem modo, quo lata eſt Lex, abrogetur; proinde*

inde Deus Optimus Maximus ipse veniat, nosque ad montem aliquem convocet; nobis majestatis suæ fulgorem ostendat, & jubeat, omissa Lege Mosaica, nos Christianam sequi, tum demum constabit, ô Rex! (& hic erat pater hujus Regis Alphonsi, in cujus præsentia hoc colloquium accidit) *an pervicaciam pro causa nostra induturi sumus.* Hactenus historia, & importuna Judæorum ea petitio.

CVI. In quâ primùm noto nescire hos homines quid dicant, aut quid petant. An ita prorsus obliti sunt Patres suos olim istud ipsum deprecatos esse, quod hi eorum posteri tam audacter postulant? Nonne Patres illi fulgura, & ignes, omniaque illa Divinæ majestatis prodigia ferre non valentes, serio admodum deprecati sunt, *ne Deus ipse amplius ad nos loquatur, sed tu loquere,* inquiunt Mosi, *ad nos, & audiemus?* Nonne Deus id ipsis deprecantibus indulsit, eum ipsum in finem promittens *Prophetam parem Mosi* illi, quem adeo libenter pro internuncio Dei se accepturos proclamaverant, & ex hoc Mose audire volebant Dei mandata, si quæ plura restabant dicenda? Restabant autem dicenda duplicis generis. Prioris, quod sub Veteri Test. locum habiturum esset. Alterius, quod demum sub Novo Test. revelandum erat. Prius istud Deus per Mosen iis indicare poterat, & indicavit. Posterius non poterat per Mosen indicare, quia Moses vivere non poterat usque ad istam plenitudinem temporis. Vel ergo Deus tunc denuo ipse in suæ majestatis gloria ipsorum posteros alloqui deberet, quod nolebant; vel suscitare aliquem Prophetam Mosi illi, ipsis nunc adeo exoptato, parem, qui tunc, uti nunc Moses Dei nomine, omnia dicenda ipsis annunciaret. Hunc verò demonstravimus esse Jesum Nazarenum? Quid ergo iterum postulant, quod olim deprecati sunt, quia ferre haud poterant?

Quod postulatum 1. Importunum est, & contra Patrum ipsorum deprecationem.

CVII. Immo verò, inquam secundo loco, quì iterum postulant, quod deprecati sunt, cum loco ejus habeant id ipsum, quod petunt, sed longè suavius, tolerabilius, gloriosius? Nonne Deus O. M. *venit, ipsosque ad montem aliquem voca-*

2. Abundè tamen & melius impletum per Legislationem in Sinæ.

vocavit, ubi Majeſtatis ſuæ fulgorem ipſis oſtendit, & juſſit omiſſâ Lege Moſaica Chriſtianam ſequi? Promiſerat *Pſalmus* 50. Deum, ubi *terram ab Oriente ad Occidentem vocaturus eſſet, appariturum ex monte Sionis cum fulgore.* Id dudum feciſſe Deum res ipſa docet. Terram quippe ab Oriente ad Occidentem vocatam videmus ab idolis ad Deum Abrahami, Iſaäci, & Jacobi colendum. Vident idem & ipſi Judæi: neque negare poſſunt vocationem illam ex Sione exiiſſe: concedere ergo etiam debent jam apparuiſſe fulgorem majeſtatis divinæ in Sione. Attendant modò apparitionem hanc debuiſſe eſſe ejus naturæ, ut deprecationi illi Patrum ſuorum a Deo ipſis conceſſæ, contrariaretur: adeoque non debuiſſe fieri per terribilia iſta ſigna immediatæ præſentiæ divinæ, ſed per internuncium Moſi parem, qui totam rem ita adminiſtravit, ut apparitio hæc Dei in Sione in nulla re minus glorioſa foret, quam in illa in Sinai, præterquam in ſignis terrenis anxietatiſque. Jeſus, poſtquam Prophetam ſe oſtenderat Moſi per omnia parem per totam ſuam vitam, abiturus hinc Apoſtolos ſuos mittit ad montem Sionis, ut non longè poſt iſtum diem unà cum toto Iſraële fulgorem illum apparitionis ad Legem novam ferendam in eo monte conſpicerent.

Quæ gloriam Legislationis Sinaiticæ ad minimas uſque circumſtantias non æquavit tantùm, ſed ſuperavit.

CVIII. Et vide, quàm accuratè omnes circumſtantias Legislationis Sinaiticæ imitetur. A. Quoad *Tempus*. Lex illa lata eſt quinquageſimo die poſt celebratum Paſcha, qui dies Pentecoſti deinceps feſtalis erat. Eodem etiam feſto in Sione apparet, & Legem novam per præcones promulgat. B. Quoad *Locum*. Lex illa fertur in monte, qui erat tunc Sinai; Euangelii Lex in monte etiam, at Sionis. Quem tamen montem Jeſus non ſubſtituit monti Sinai propria ſua auctoritate, ſed quia Deus per Eſaiam *Cap.* 2: 3. & Micham *Cap.* 4: 2. ipſe ita juſſerat. Si Deus voluiſſet ex Sinai novam etiam Legem promulgari, Jeſus potuiſſet magnam ſectatorum turbam eò ablegare. Deus autem Sioni iſtum honorem dederat. Ubi etiam plures Iſraëlitæ præſentes forent, quia Jeſu hoſtes æque ac ſectatores ob feſtum celebrandum ibi ad-

eſ-

eſſent, qui proficiſci forſan noluiſſent ad montem Sinai unice ad Jeſu gloriam ibi videndam. Nihil ergo a Jeſu in monte Sionis pro illo Sinai ſumendo temere factum eſt. C. Quoad *Circumſtantias* ſignorum, quæ præſentiæ divinæ Legislationem illam comitabantur, prodigia. Audiebatur tonitru & ſonus tubæ vehemens; videbantur fulgura & ignis. In Sione omnia eadem, demta duntaxat terribilitate. *Audiebatur enim repente etiam ſonitus è cœlo*, (at ſuavior) *tanquam ruentis flatus violenti.* Apparebat etiam *ignis*, at non horribilis. *Viſæ enim ſunt diſpertitæ linguæ inſtar ignis ſedentes ſuper Apoſtolorum capita: Actor.* 2: 2, 3. *Hebr.* 2: 4. D. *Quoad Teſtes. Sexaginta hominum myriadibus* i. e. ſexaginta milliaribus, ut hodie loquimur, adſpectantibus Legem in Sinai latam, dicebant ſuprà Judæi. Verum eſt, teſte Moſe, *Exod.* 8: 26. & *Num.* 1: 46. *ſexcenta millia virorum adultorum* adſpectaſſe; & forſan, ſi viros nondum adultos ac ſenes, ut & fœminas trium iſtarum ætatum addas, viginti & quatuor centena millia hominum fuiſſe in deſerto apud Sinai. Quem numerum ſatis magnum Judæi hi nimium augent. Modeſtius paulò ait R. Albo mox infrà adhuc citandus, *ſex myriades.* Et tantus, fateor, numerus apud Sionem non ſtetit. Attamen centena aliquot hominum millia aderant, ad Sionem in Urbe congregata, celebrantium feſtum, quique coram auribus audiverunt, atque oculis viderunt omnes in Sione acta. Atque hi non unius modò gentis homines erant, omnes inter ſe conſanguinei, ut Iſraëlitæ, de quibus multò facilius ſuſpicio ſuboriri poſſet, an non ad aliquod mendacium fingendum conſpiraſſent ſinguli, quàm de hiſce apud Sionem, qui ortum ducebant *ex omni natione eorum, qui ſub cœlo erant*, variæ linguæ, ſtatus, & educationis, à quibus ſatis longè omnis falſi ſuſpicio & mutuæ conſpirationis aberat. E. Quoad *Conſequentia* & *Effecta.* Credebat quidem Deum de cœlo locutum eſſe, at & ſimul extimeſcebat vetus Iſraël, audiens & videns iſta prodigia; adeo ut deprecarentur ulteriorem viſum eorum aut auditum. Non minus quidem *conturbata fuit* in Sione *multitudo*, videns & audiens quæ contigerant,

ita ut *mirarentur*, *& obſtupeſcerent omnes*; non tanto tamen affecta terrore, quàm quidem admiratione miraculoſi prodigii, a quo non aufugiebat multitudo, ſed ad quod videndum tota urbs confluebat. Tanto etiam admirabiliori eventu, quanto glorioſius eſt homines permovere ad credendum in Meſſiam cruci a ſe affixum, præ eo quod fiebat in Sinai, ubi non permovebantur ad credendum quippiam contra quod graviſſimis adeo præjudiciis erant indurati. Hic verò millia aliquot hominum credebant, poſtquam Petrus & reliqui Apoſtoli annuntiaſſent, hæc omnia implementa eſſe eorum, quæ Deus ipſe prædixerat futura Meſſiæ, *Jeſum Nazarenum ab ipſis crucifixum*, *ſed à Deo reſuſcitatum*, *& ad dextram ejus exaltatum*, verum eſſe Meſſiam. Neque in Sione ſolùm tot millia teſtium aderant, ſed per totam quoque Judæam & Samariam, & ultra, innumerabiles fuere teſtes, qui viderint Apoſtolos eoſdem, quos ex concivibus ſuis, qui Hieroſolymis in feſto fuerant præſentes, audiebant tunc ſub duobus iſtis prodigioſis ſignis Spiritu S. fuiſſe impletos, ubique terrarum facere miracula multò plura, majora & glorioſiora, quam unquam fecerant, non dicam Septuaginta iſti Viri, quibus Moſis ſpiritus collatus erat, (hi enim nulla patrarunt miracula) ſed ne Moſes quidem ipſe, aut omnes eum ſecuti Veteris Teſt. Prophetæ. Habent ergo Judæi quod petebant. Obligati ergo etiam juxta proteſtationem, tum coram Rege modò factam, reapſe oſtendere, *non eſſe pervicaciam*, qua *cauſam ſuam* defendant. Et profectò, quid, quæſo, deeſt Euangelio, quod Lex amplius habuit? Nihil plane, nihil. Quod ſi ergo Judæus Euangelium, per noſtrum Prophetam Jeſum prædicatum, nolit admittere, non debebit etiam admittere Legem per Moſem datam, cui tamen ſi fidem habeat, tenetur eam itidem habere Euangelio, quoniam omnia & eadem divinæ inſtitutionis & originis τεκμήρια & argumenta, quæ pro Lege certant, ſuam identidem pro Euangelio vim & efficaciam exercent.

b. Speciales: CIX. Verùm alia, & ſpecialia magis, objicere inſuper ſo-

ſolent Judæi. Ajunt namque ratione *Doctrinæ* Jeſu, ſi is fuiſſet Moſi *promiſſus Propheta*, haud licitum fuiſſe aliam, & ab illa Moſaica diſtinctam, doctrinam aut Legem tradere. Quod Auctor Libri *Nizzachon*, ſive *Victoriæ*, contra Chriſtianos ſcilicet, eum in modum effert pag. 49. *Dicitur penes Moſem: indam verba mea ori ejus. Hinc audio*, inquit, *non habiturum Prophetam illum facultatem aliud loquendi, quam quod Creator ejus præcipiet, & ori ejus imponet*, &c. Vid. de hoc libro Buxtorfii *Biblioth. Rabbin.* p. m. 108. Similia habet R. Lipmannus in ſuo *Carmine*, confutato a Wagenſeilio, ut vel ſic nihil in eo abſurdi eſſe ex eorum utique doctrina conſtet: de quo mox plura. Non equidem diffitemur, Meſſiam non aliam doctrinam promulgaturum, quàm quæ præcipiatur a Deo; at illam non diſtinctam fore ab illa Moſaica, id enimvero ne ipſi quidem dixerint Judæi, uti abundantiſſime nobis patuit ex cunctis iſtis Judæorum teſtimoniis antè memoratis, cuivis Prophetæ licere tradentium, occaſione data, doctrinam commutare, ſola idololatriæ cauſa excepta: conf. §. XXIV. Quidni ergo id magis liceat Meſſiæ, Prophetæ Moſi majori? Præprimis circa Legem ritualem, quæ cùm tota quanta umbratilis eſſet, & ad Meſſiam ſpectans, ei, ceu corpori, cedere abſque ulla abſurditate & potuit, & etiam debuit vi hujus ipſius oraculi, quod Meſſiam prænunciat fore *Prophetam ſicut Moſe*. Verba Wagenſeilii in Confutatione Carminis Lipmanni p. 548. allegati etiam ſuprà *Art. cit.* digna ſunt, quæ hic adſcribantur. Poſt adductum quippe locum ex *Deut.* 18: 15. *Agi*, inquit, *hic de Meſſia, Judæi concedunt communiter, nec diſſitentur, id, quod iis indicatur; videlicet Meſſiam Moſe nulla ratione futurum inferiorem: quin & prærogativam ei concedunt, agnoſcentes Moſen a Deo haud alio quam* Servi (Vid. *Num.* 12: 7.) *ſed Meſſiam Pſalm.* 2: 7. *ipſius* Filii *nomine inſigniri. Quæ cum ita ſe habeant, quid ni licuerit Meſſiæ, Moſis exemplo, novas leges promulgare, & olim de rebus indifferentibus latas, commutare cum melioribus? Atque hoc tanto minus abſurdum Judæis videri debet, quoniam cuique Prophetæ illud poteſtatis tribuunt, ut*

qualis &c. Non debuiſſe Prophetam hunc aberrare à doctrina Moſaica: quod refutatur ex Wagenſeilio & Guſſetio.

neceſſitate ita flagitante, pro tempore, legibus Moſaicis adverſum quid facere, aliiſque faciendum præcipere poſſit. Addam coronidis loco Jac. Guſſetii verba diſputantis contra R. Iſaïcum in *Chizzouk Emouna Part.* 1. *Cap.* 15. ad *Num.* 11. ad finem ferme: *Nec exponas*, inquit (nimirum iſtud כמוני ad *Deut.* 18.) *quaſi omnis Propheta verus eſſet Propheta* ſicut *Moſes: hoc enim falſum eſſe docet locus proxime citatus* (*Deut.* 34: 10.) *quo negatur Propheta* כמשה / ut Moſes *ſurrexiſſe. Hoc ergo inferioritatem tollit, & uni extra ejus œconomiam poſito convenit. Quem unum ait fore* tanquam ſe. *Quod tantumdem valet, ac ſi dixiſſet independentem a me*, ſicut ego *a nullo Propheta in munere meo dependeo. Jam vero Propheta Moſi par poteſt Moſis ſtatuta volente Deo abrogare ſine ordinis inverſione: eadem quippe auctoritate leges tolluntur qua poſitæ ſunt. Quid ergo ſi etiam major Moſe Meſſias eſt; ut Prophetæ innuunt fore?* Addit tandem: *Ac obiter hinc colligimus Meſſiam Judaicum non eſſe verum, qui non impleat hoc promiſſum, quippe quem Moſis Prophetiæ imparem ac ſubditum faciunt.*

b. Miracula *Jeſu non valere.*

CX. Hujuſcemodi etiam movere ſolent ratione *Miraculorum* Jeſu, quæ de Jeſu patrata calumniantur vel potentia Diaboli, ſive Beelzebul; *Matth.* 12: 24. vel arte magica, quam in Ægypto didiciſſe Jeſum criminantur; vel vi nominis JEHOVÆ, cujus veram fingunt eum pronuntiationem furtim addidiciſſe ex lapide שתייה / *fundationis*, cui perhibent literas hujus nominis inſcriptas, cujus pronunciationem ſi quis addiſceret, vaſtabat mundum. Qua de re lepidam fabellam cudunt. Vid. Buxtorfii *Lexic. Talmud.* & *Rabbin.* ad vocem שתייה / col. 2541. At hæc omnia aliàs ſumus refutaturi commodius.

c. Specialiſſimas, *ex ipſo Textu petitas, & in Jeſum non quadrantes circumſtantias, numero decem: uti*

CXI. Nunc duntaxat reſpondebò tandem ad ſpecialiſſimas, ut ita dicam, quaſdam Textus noſtri circumſtantias, ex quibus Judæi nonnulla, quæ ego reperio tria præcipue, nobis hic opponunt. Auctor ergo Libri *Nizzachon*, non Lipmanni Mulhuſii qui vixit circa annum Chriſti 1459. & quem edidit Theodor. Hackſpanius anno 1644. ſed *Veteris*, cujus Auctor incertus eſt, ſed tamen videtur vixiſſe ſeculo duodecimo,

mo, & quem edidit Wagenſeilius in ſuis *Tel. iguit. Satanæ.* Is vero *Victoriam* canens contra Chriſtianos multa cum impietate, blaſphemiam conjunctam habente, blaterat pag. 48-52. poſtquam recitaſſet vaticinii noſtri verba, ſic porro ſcribens. Objicit primùm: אמרו המינים כי זה היה ישו אבל ראה מה כתוב וכ"ל / *Dicunt Hæretici, quod ille ſit Jeſus. Sed vide quid ſcriptum eſt in fine verſus* 16. (ne pergam audire vocem Domini.) *Quomodo igitur vos aſſeritis eum veniſſe & in medio illorum commoratum eſſe, atque omni tempore cum illo ſermones miſcuiſſe?* Secundum quod objicit ita proponit: *Scriptum* eſt *verſ.* 19. Erit autem ut quiſquis non auſcultaverit verbis Prophetæ, quæ loquetur in nomine meo: *non autem illis, quæ loquetur ex animi ſui ſententia. Ergo Propheta hic aliquis innuitur, non verò Deus. Amplius illud*, Sicut tu, (*hoc utique nobis declarat*) *ſicut tu Propheta es, non Deus, ſic & ipſe non Deus, ſed Propheta erit. Sicut tu patre & matre genitus es, ita ipſe patre & matre generabitur.* Objicit tandem (nam omnia exſcribere non vacat) tertio loco: *Ecce Moſe ſupra* (*Cap.* 13: 1.) *dixerat*: Cum ſurgens in medio tui *Propheta*, aut ſomnians ſomnium, ediderit tibi ſignum aut prodigium, quamvis eveniat illud &c. *Nunc autem Jeſus non tantum dixit ſe Prophetam eſſe, ſed inſuper fecit ſe ipſum Deum, & ſeduxit fratres ſuos. Propterea dixit de eo Moſes*, (non acquieſcas ei, neque audias eum, ſed occidendo occidas eum) *quod fecerunt patres noſtri, & ſuſpenderunt eum in ligno.* Hactenus ille. Rabbi *Lipmannus*, quem modò memoravi, qui jam ante tria ferme ſecula blaſphema multa adverſus Chriſtum ejuſque doctrinam maledico ore evomuit, de quo, & libris ejus conſulatur Bartoloccii *Biblioth. Rabbin. Part.* 4. p. 11. in Libro *Ikkarim Part.* 3. *Cap.* 19. hoc ſuis Judæis contra Chriſtianos telum ſuppeditat, quod tamen idem ferme eſt cum objectione ſecunda modo dicta: *Objice ipſis*, ait, *ſecundum eorum ſententiam, quomodo eum* (Jeſum ſc.) *cum Moſe, Doctore noſtro, comparare audeant, qui tamen homo fuit, & non Deus?* Nec aliter inter Recentiores ſupra dictus Doctor Orobio, qui poſt longam diſputationem ita concludit contra

ex Libro Nizzachon vetere 1. *Quod in* Propheta *illo ſit locuturus* Deus. 2. *Quod ille ſimilis Moſi, i. e. homo ſit futurus.* 3 *Quod ſe ipſum pro mero Propheta ſit venditaturus.*

Je-

Jeſum noſtrum: *In ſumma, qui ſe prædicaverit adorandum, qui verba a ſe, non a Deo imperata, populo indicaverit, qui dixerit ſe, & Deum, unum & eundem eſſe, nec eſt Propheta, nec credendus &c. Atqui talis eſt Jeſus.* Vid. Limburgii *Collat. Amic.* antè *cit.* p. 108.

Harum trium refutatio peculiaris.

CXII. Tria vides, Chriſtiane Lector, Judæorum tela, ſed ad quæ reſponſio ſatis facilis eſt. Ad *primum* enim reſpondeo Judæos, cùm *Jeſum audiverint loquentem*, non audiviſſe *vocem* JEHOVÆ, i.e. vocem divina majeſtate, gloria, terrore, plenam, qualis audiebatur in Sinai monte; ſed audiviſſe *vocem filii hominis*, i. e. vocem ordinariam humanam & tolerabilem, etiamſi ſermones, quos Jeſus voce illa humana protulit, ſatis indicarent, quod uti ſub ſpecie ſervili hominis abſcondita eſſet divina perſona; ita etiam ſub humano iſto vocis ſono occultaretur oratio divina, ſive divinam perſonam ſupponens. Jeſus ergo, ſi externam vocis formam ſpectes, auditus eſt ut *homo loquens*: ſi internam verò conſideres, ut ipſe *Dominus loquens*. Recte itaque Auguſtinus *Tract.* 15. in *Joan. Similis ſcilicet ad formam carnis, non ad eminentiam majeſtatis.* Quod ipſum quoque mihi tranſitum facit ad id, quod ad *Secundum* reſpondeo, eam *ſimilitudinem Prophetæ cum Moſe*, non eſſe in ſenſu generaliſſimo accipiendam de omnibus circumſtantiis, uti ex. gr. parentum, temporis, & modi nativitatis, loci, indolis; atque ſic etiam non de *ſimilitudine* reſpectu originis, aut naturæ; ſed ſenſu ſpeciali, & relativo tantùm ad *Prophetæ munus*. Eo enim reſpectu Propheta ille cum Moſe comparatur, & non qualicunque alio. Tam reſtricte ipſi Judæi illud כמוני / de quo conf. §. X. *& ſeqq.* explicant, ac ſi Moſes dixiſſet; *Quod ſit fidelis futurus Propheta Dei, ut ei credas, veluti mihi fidem habuiſti.* Ita *Gerundenſis*. A quâ ſententia haud diſſentit R. *Moſes Alſcheh Comm.* in *Legem fol.* 292. illud כמוני denotare dicturitans, ac ſi Moſes diceret; *Sicut ego futurus eſt, minime mihi contrarius.* Atque hoc conſtat etiam de Jeſu noſtro, qui nihil docuit fecitque, quod non æque fuerit fide dignum, ac ipſa Moſis dicta factaque: qui & ideo palam & idcu-

identidem profeſſus eſt, nihil ſe dicere agereve, quod non a Patre ſuo in mandatis acceperit. Immo qui & nihil quicquam hic fecit, quod Moſi fuerit contrarium: utpote qui in omni *Prophetiæ* parte *Moſi par fuit*, uti ego oſtendi ſupra §. LXXXVII. *& ſeqq.* Verùm ſi demus etiam *ſimilitudinem* quoque reſpectu *naturæ* innui, ne tunc quidem innueretur hic loci præciſe omnimoda *paritas*, ſeu *æqualitas:* ſed negaretur abſolute quidem *minoritas*, non verò excluderetur, ſit venia verbis, *majoritas.* Nam is qui *major* eſt, ea omnia habet, quæ in *minore* ſunt, & proinde ubi promittitur tanquam ſucceſſurus in locum *minoris*, *minori* par & ſimilis rectiſſime dici poteſt: i. e. ſaltem non minor illo; neque ergo damnum allaturus iis, qui pro priore deceſſore talem accipiunt ſucceſſorem. Atque ita res ſe habet cum noſtro Jeſu in relatione ad Moſem. Ad *Tertium* reſpondeo non dici in textu, *Prophetam Moſi parem* nihil aliud quàm *Prophetam* futurum, ſi modò ille Moſi, ut modò dictum eſt, par reperiatur in omnibus ad prophetiam ſpectantibus, promiſſioni ſatisfactum eſt, etiamſi multa inſuper eximia præ Moſe haberet. Quod porro ait Judæus Jeſum ſe Deum feciſſe; id ambigue dictum eſt. Nam non alium Deum ſeſe fecit quàm *Deum Patrum* (conf. *Actor.* 24: 14.) cum quo ſe *unum* eſſe aſſeruit juxta divinam ſuam naturam. Neque eſt quod Doctor Orobio dicat, nimis *ſubtilia* ea eſſe, neque *intelligibilia*, quod ſcilicet diſtinguamus inter naturam divinam & humanam, quæ *adhuc*, uti ait, *non credunt Sociniani ſatis Chriſtiani*; ſufficit enim hæc revera in Sacris fundari, etiamſi a nullo vel fide admitterentur, vel intellectu perciperentur. Verùm id nunc non agimus. Diſce hic in tranſitu, Chriſtiane Lector, quàm ſuſpectum dogma Chriſtianorum præcipuum ac fundamentale penitus imprudentes Sociniani apud Judæos faciant.

CXIII. Neque amplius valet, quod Judæi excipiant *Quarto* diſſimilitudinem, quæ locum habet Moſem inter ac Jeſum, quoad *nativitatem*, quæ ex voluntate viri, modo naturali in Moſe; ex virgine verò modô extraordinario in Jeſu, & qualia etiam olim inter Chriſtianos moviſſe & Arianos

4. *Quod ſit naſciturus non ex virgine.*

& Manichæos, teſtis eſt Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum *L.* 16. *Edit. Froben. C.* 4. *&* 15. Tom. 6. p. m. 217. & 221. quæ utique legi & conferri merentur. Potuit enim Jeſus *Propheta* eſſe, *ſicut Moſes*, etiamſi ſicut *Moſes* non eſſet genitus; quandoquidem, ut quis ſit Propheta, nihil quicquam facit, quo pacto, ordinariône, an ſecus, genitus ſit. Taceo, ne quidem generationis modum ad rationem hominis attinere. Extra ordinem quippe creatus eſt Adam, Patre carens & Matre, qui tamen revera homo fuit: multo magis & Jeſus, qui ex homine natus & corpus & animam habuit, quæ humanam naturam conſtituunt, Propheta eſſe potuit quomodocunque genitus. Neque magis procedit *Quinto* loco peccatorem fuiſſe Moſem, Jeſum verò Sanctum, & criminis plane exſortem ſtatui; cùm neque iſtud ad Prophetæ rationem ſpectet. Adſcribam præclara Auguſtini verba, quæ unà faciunt ad confirmationem *Art. præcedentis*. Sic enim habet objectionem Fauſti proponens: *Nec illud nego de Chriſto eſſe prædictum, quod tu tanquam facile refellendum elegiſti, ubi Deus loquitur ad Moyſem dicens; Suſcitabo illis Prophetam de fratribus ipſorum ſimilem tibi. Nec me tua lauta & lepida antitheta, quibus luteum ſermonem quaſi colorare ac pingere voluiſti, ullo modo ab hac fidei veritate deterrent. Comparans enim Chriſtum atque Moyſem, & cupiens demonſtrare diſſimiles, ut ob hoc non de Chriſto videatur intelligendum eſſe quod ſcriptum eſt—— oppoſuiſti tibimet ex adverſo multa contraria, quod ille homo, hic Deus; ille peccator, hic ſanctus; ille ex coitu natus; hic ſecundum nos ex virgine, ſecundum vos vero nec ex virgine; ille offenſo Deo occiditur in monte, hic Patri perplacens patitur propria voluntate.* Ad quæ ſic reſpondet eleganter: *Quaſi vero*, ait, *cum ſimile aliquid dicitur, ex omni parte atque ex omni modo ſimile intelligatur: quia non ea tantum, quæ unius ejusdemque naturæ ſunt, dicuntur inter ſe eſſe ſimilia; verum etiam, quæ naturæ diſparis, ſunt & dicuntur multa ſimilia. Quid ergo mirum, ſi non eſt dedignatus Chriſtus ſimilis fieri ipſi Moſi, qui ſimilis factus eſt ovi? Quapropter de Scripturis agnoſco diſſimilem, de*

Scri-

Scripturis mecum agnoſce tu ſimilem: non inde diſſimilem, unde ſimilem; ſed alia cauſa illud, alia illud, cum tamen utrumque demonſtrem. Diſſimilis homini Chriſtus, quia Deus &c.

CXIV. Non ſubſiſtunt hactenus Judæi, ſed qua ſunt cordis duritie, multa adhuc excogitant. Ajunt enim *Sextò* Jeſum *nullam* edidiſſe *prophetiam*, conſequenter *Prophetam* non fuiſſe. Verùm ajunt quod aperte eſt falſum. Nonne diſerte Hieroſolymæ prædixit excidium *Matth.* 23 & 24. Nonne & hæc prophetia in illis ipſis fuit adimpleta? Nonne etiam totus Liber Apocalypticus *prophetia* una eſt, in quo Jeſus prædicit fata Eccleſiæ ſuæ & mundi, inde a ſuæ adſcenſionis tempore uſque ad conſummationem ſeculorum? Quod porro *Septimò* conciliare nequeunt, Jeſum ceu *Prophetam Moſi parem* verbum, quod *ei loquendum erat*, a Deo accepiſſe, & tamen quaſi ex propria illud auctoritate protuliſſe dicendo: *Ego dico vobis*, non noſtra eſt culpa, ſed propria intellectus Judæorum cœcitas, eaque voluntaria, quâ neque Majores eorum percipere voluerunt, aut potuerunt, Chriſtum ſimul eſſe & filium & Dominum Davidis: conf. *Matth.* 22: 42. *& ſeqq.* (*Octavo*) Verum quidem eſt verbum eum Legis non annunciaſſe, ſed Euangelii; Legem tamen Moralem nequaquam abrogavit, ſed a Phariſæorum corruptelis vindicavit, firmavit, adimplevit; ſed Ceremonialem abrogavit, & loco maledictionis & umbrarum ipſa Novi Teſt. bona, gratiam ſcilicet & veritatem adduxit. Quod tantum abeſt, ut vel cum ſapientia, vel intentione Legislatoris conſiſtere non poſſit, ut potius juxta utramque fieri debuerit: cùm juxta Prophetarum oracula Meſſiæ temporibus cultus ceremonialis ceſſare debuerit, *Pſalm.* 40: 7. *Eſai.* 66: 3. *Dan.* 9: 24. *& ſeqq.* & ejus loco ſpiritualis ille introduci, in bonis Novi melioris illius Teſtamenti conſiſtens, *Jeſ.* 2: 2. conf. dicta *Jerem.* 31: 31–34. *Mal.* 1: 11. Si inſtent Jeſum ipſum docuiſſe, *ſe non veniſſe ad ſolvendam Legem*, *Matth.* 5: 17. neque id ad rem quicquam facit, cum Jeſus ibi de Lege morali, eadem ſemper permanente, agat: quam etiam obſervandam inculcavit ipſe duobus iſtis de amore Dei & proximi

6. Quod Prophetias ſit editurus. 7. Quod ex Deo locuturus. 8 Quod verbum legale annunciaturus.

ximi præceptis *ibid.* 22: 30. &c. Et etiamſi intelligas Legem ceremonialem, neque eam ſolvit Jeſus, nec ejus ſenſum unquam pervertit, nec irritam eam fecit: contrà verò adimplevit totam; ita tamen, ut eam, quemadmodum modò dixi, quaſi partibus ſuis jam defunctam, abrogaverit. Quæ ſane Legis abrogatio non proprie dicta eſt ſolutio, ignominiam quandam conferens, at ejus eximia potius conſummatio, nec non ejuſdem per ipſius corporis præſentiam adimpletio certiſſima pariter ac glorioſiſſima.

9. Quod populo in ſex myriadibus congregato ſit commendandus.

CXV. *Nono* loco objicit R. Albo, Chriſtianorum antagoniſta acerrimus, qui multus itidem eſt ut oſtendat, *hujus Prophetæ ſuſcitationem illiuſque prophetiæ verificationem ita debere ſtabiliri, ſicut verificata eſt prophetia Moſis, ſex myriadibus virorum adſtantibus, abſque omni dubio vel ſuſpicione.* Conf. *loc. cit. Libri Ikkarim.* Quod cùm non fecerit Jeſus, E. non eſt, inquit, ille Propheta verus. Quæ objectio magis ſtringeret, ſi Judæus aliquis nobis objiceret ex propria noſtra explicatione, *Deut.* 33: 5. agi de Lege Euangelii danda per Meſſiam, quando ille declararetur *Rex in Jeſchurun*, atque prædici dandam eam fore, *congregatis populis primoribus, & unà tribubus Iſraëlis.* Verum præter ea, quæ jam ſufficienter quoad ipſam rem reſpondi §. CVI. rogatum hic velim hunc Judæum, quis docuerit ipſum neceſſe eſſe, ut Deus ſe uni ita modo adſtringat, adeo ut Prophetæ Moſi ſimili auctoritatem Moſaicæ auctoritati ſimilem conciliare non alia ratione poſſet, aut deberet, quam eadem illa, qua eam conciliavit Moſi? Si inſtent hanc adſtrictionem in generali phraſi ſimilitudinis, *ſicut Moſe*, comprehendi; non repetam quæ de phraſi illa ſupra §. X & XI. jam dixi; ſed Judæo Judæum opponam Abarbanelem, ſcilicet in *Comment.* ad *Legem* fol. 371. Ita ille de ea phraſi adverſus contribulem ſuum diſputat, ut oſtendat ex ejuſmodi explicatione aliquid valde abſurde procedere. *Si dixerit*, inquit, *omnino dictionem* כמוני *id velle, omnium Prophetarum* (meminiſti, Lector, ex §. XXVI. Prophetarum totam ferìem hic per *Prophetam ſicut Moſe* a Judæis intelligi) *Prophetias ita verificandas, veluti Moſaica veri-*

rificata eſt, ſequetur, Deo cum omnibus loquendum, conſpiciente populo, & mare dividendum eſſe, prout factum erat adſcendentibus ex Ægypto Iſraëlitis, quod prorſus abſonum ſtatuit.

CXVI. Denique id adjiciendum reſtat *Decimo* loco, & *ultimo*, quod continuò in ore habent crepantque Judæi, ſed nimis profectò ſtupidum, nempe *Prophetam in Iſraële non ſurrexiſſe ſicut Moſem, Deut.* 34: 10. Quid enim inde? Indene ſequitur, talem nunquam *ſurrecturum?* Nequaquam. Quod enim *Deut.* 34. de præterito tempore effertur, non poteſt ei, quod *Deut.* 18. futurum promittitur, præjudicare. Diſertiſſime enim ipſe Moſes *Deut.* 18. diſertis verbis affirmaverat, *Prophetam* aliquem olim omnino *ſibi parem* fore. Ergo *Deut.* 34. fit ſermo duntaxat de Prophetis intermediis. Et uterque locus probe conjungendus hoc ſenſu: *Non ſurrexit Propheta ſicut Moſes*, uſque ad Prophetam illum, qui *par Moſi* futurus erat, & vel eo *major*. Eleganter hic Cel. Coccejus ad *Ult. Moſis* §. 1725. *Scopus horum* (poſtremorum verſuum *Deuteronomii*) *eſt oſtendere, quod in Joſua & Prophetis ſequentibus, ut Samuele, qui probabiliter hoc ſcripſit, ejuſque ſimilibus, non fuerit impleta promiſſio, quæ exſtat Deut.* 18: 15–19.

10. *Quod Moſi nemo fuerit par ex* Deut. 34.

CXVII. Atque iſtis quidem nos contenti erimus. Si quis tamen plures velit, & difficultates, quas movent Judæi, & ad eas reſponſiones, conſulere ille poteſt quas Cl. Marckius noſter in ſua in *h. l.* Diſſertatione §. XVII *& ſeqq.* multa cum eruditione contulit. Nos more noſtro ex dictis hactenus concludamus JESUM etiam, quà PROPHETAM, ESSE FUNDAMENTUM ECCLESIÆ UNICUM; quod ad doctrinæ Chriſtianæ facit veritatem atque confirmationem omnimodam. Si enim ille ſit magnus ille *Propheta par Moſi*, qui *audiri* tanta cum obſervantia debeat, prout ante ſuo loco explicuimus §. XXII *& ſeqq.* jam ergo nemo certè, quiſquis demum ſit, ne Angelus quidem e cœlo, aliud Euangelium, aliamve doctrinam annunciare præſumat præter eam quam nobis tradidit. Cujus ergo doctrinæ ſoli omnis noſtra eſt ſuperædificanda fides; quique ſolus in ſalutis negotio a nobis *audiendus*, quomodo Deum

Concluſio ad ſcopum.

Opt. Max. bis de cœlo id palam proclamaſſe antè notavimus: & de quo infinito magis modo exclamare & verè teſtari nos oportet, quod Regina Schebæ olim de Salomone, 1. Reg. 10: 8. ad cujus ſapientiam audiendam venerat ipſa ab extremis terræ oris (& *Ecce, plus quam Salomo hic eſt Matth.* 12: 42.) *O beati omnes illi, qui ſtantes coram te, jugiter audiunt ſapientiam tuam.*

DISSERTATIO V.

AD JEREM. XXIII: 5, 6.

Qua agitur

DE

MESSIÆ GERMINIS GLORIA.

BREVIARIUM.

I. *Ingreſſus in materiam.* II. *Scopus Diſſertationis ac partitio.* III. *Connexio & methodus.*

I. EXPLICATIO LITERALIS.

IV. *A. Unde oriturus Meſſias*, verſ. 4. *Ubi a. particula* הנה / V. *b. Auctor promiſſionis* JEHOVA *Pater.* VI. *c. Promiſſio ipſa: ubi* 1. *Objectum* germen juſtum. צמח *an* germen? *an* origo? VII. *Poſterior explicatio præfertur priori, utut duriſſime id reprehendat magnus Scaliger.* VIII. *Quid ſit* juſtum? IX. 11. *Actio Dei circa illud:* Suſcitabo *germen.* X. *Et quidem præciſe* Davidi, *quod varia ſignificat.* XI. *B. Qualis futurus, & quæ facturus* verſ. 5. *ubi* 1. *In genere munus ejus:* Rex regnavit. 2. *In ſpecie effecta hujus regni vi muneris præſtanda.* XII. א. *Active a parte Regis A. Modus adminiſtrandi. a.* השכיל /

pru-

prudenter aget, *aut* proſperabitur, *ex Guſſetio, Wolphio &c. ubi Calvinus minus placet.* XIII. *Quorum utrumque Regi huic debet competere.* XIV. *b.* Faciet judicium & juſtitiam *ſenſu duplici.* 1. *Judiciali, ut Cramerus exponit.* XV. 2. *Senſu etiam ſacerdotali, qui priori multò illuſtrior eſt, etſi ipſi Coccejo in* h. l. *non ſatis expreſſus, uti neque Cramero.* XVI. *B. Locus. Faciet judicium* in terra. XVII. *C. Tempus.* Dies. XVIII. *Et quidem* venient: *quomodo Rabbini de Meſſia loquuntur.* XIX. ב. *Paſſive reſpectu ſubditorum, quibus beneficia allaturus eſt. Ubi A. Objectum,* Iſraël & Juda. XX. *B. Beneficia ipſa,* Salvabitur. XXI. *Et* ſecure habitabit. XXII. *C. Tempus.* In diebus ejus. XXIII. *C. Quo nomine a ſubditis honorandus:* Et hoc erit nomen ejus. XXIV. *Ubi* 1. *In genere. a. Quis ſic vocabit eum? An Deus Pater?* XXV. *An unuſquiſque homo, phraſi Hebraica?* XXVI. *An nomine hoc tanquam proprio germinis?* XXVII. 11. *In ſpecie partes hujus nominis. a. JEHOVA. Germen ergo verus Deus. b.* Juſtitia noſtra. XXVIII. *In quo titulo variæ latitant poſitiones.* XXIX. *Quæ omnia obſignantur grandi effato* נאם יהוה /

II. THEOLOGICA DETERMINATIO SUBJECTI.

XXX. *Quod non eſt Zerubbabel, quod vult Grotius.* XXXI. *Quia* 1. *Zerubbabel nec fuit, nec vocatur Rex, ubi exceptio Grotii diluitur.* XXXII. *Quia* 2. *Prædicata Zerubbabele majora ſunt.* XXXIII. *Quia* 3. *Epitheton, JEHOVA* juſtitia noſtra, *in eum haud quadrat. Quod ideo ipſe Grotius ad* Iſraëlem *detorquet, ſed male.* XXXIV. *Uti & malè hic confertur* Jer. 33: 16. XXXV. *Subjectum verum eſt Meſſias.* XXXVI. *Quod probatur.* 1. *Ex antecedentibus textus.* XXXVII. 2. *Ex præfatione repetitæ hujus promiſſionis* Jer. 33: 14. XXXVIII. 3. *Ex ipſis Textus verbis, uti α. Ex objecto* צמח / *quod Chaldæo & ipſis Judæis dicit Meſſiam.* XXXIX. *β. Ex prædicatis de eo, ex quibus ipſe iterum Chaldæus ac Judæi Meſſiam intellexerunt, ut ex. gr.* 1. *Ex titulo* Juſti. XL. 2. *Ex titulo JEHOVÆ* juſtitiæ noſtræ. XLI. *Et id quidem optime, uti diſtinctius demonſtratur A. Ex objecto: & quidem* 1. *Ex deno-*

mi-

minatione ejus ſoli Meſſiæ competente. α. Per nomen צמח *explicatum* א. *Sive per* Orientem: *idque ſenſu vel generaliori, quaſi de* novo ortu *glorioſæ perſonæ, ut Chryſoſtomus, Caſtellus &c.* XLII. *Vel ſpecialiori, quaſi de perſona glorioſa* ſolis inſtar in Oriente *oritura, quod illuſtratur ex Suetonio, Tacito, Clemente &c.* XLIII. *Sive* ב. *Explicatum per. a.* Germen, *idque reſpectu non* Deitatis, *quaſi de æterna generatione, uti Galatinus, Coccejus, Altingius, Guſſetius exponunt.* XLIV. *At perperam propter rationes tres quatuorve.* XLV. *Non etiam reſpectu* Sacerdotii *Meſſiæ, uti Braunius: etiam perperam.* XLVI. *Sed reſpectu* humanitatis & Meſſiatus *Chriſti, quæ ex Coccejo, Witzio, Spanhemio, illuſtrantur.* XLVII. *b. Per epitheton* germinis juſti, *acceptum & active & paſſive.* XLVIII. 2. *Ex actione Dei Patris circa illud, id eſt,* ſuſcitatione, *quæ triplici quidem emphaſi competit ſoli etiam Meſſiæ.* XLIX. *Et quidem* ſuſcitatione Davidi, *quod triplici iterum emphaſi exponitur.* L. *Et ſoli quoque Meſſiæ competit.* LI. *B. Ex qualitate & factis genuinis, ſoli Meſſiæ propriis: uti* 1. *Munere ejus,* Regnabit Rex, *quod oſtenditur e Scripturis & ipſis Rabbinis.* LII. *Errantibus tamen in indole* Regni hujus. LIII. *Effectus muneris Regii* א. *Activis, a parte Regis, ubi α. Modus regendi* השכיל / *ſive* ſapienter aget, *ſive,* proſperabitur. LIV. *Et* faciet judicium *ſenſu* judiciali & ſacerdotali. LV. β. *Loco amplo,* tota terra. LVI. γ. *Tempore etiam ſupra* §. XVII. *deſignato.* LVII. ב. *Paſſivis, a parte ſubditorum, ubi omnia ſoli iterum quadrant Meſſiæ, uti a. Objectum,* Iſraël & Juda. LVIII. *b. Beneficia,* Salvationis, LIX. *Et* habitationis ſecuræ. LX. *c. Tempus implementi.* LXI. *C. Ex remuneratione germinis per ſubditos ſoli etiam Meſſiæ competente, utpote qui vocandus & vocatus* JEHOVA, *& quidem* juſtitia noſtra, *apud Moſen, Prophetas.* LXII. *Immo & Chaldæum atque Rabbinos.*

III. DEMONSTRATIO IMPLEMENTI.

LXIII. *A. Reſpectu* Objecti, *ſeu* Perſonæ. *Jeſus Nazarenus fuit* Oriens *ſenſu generaliori, & ſpecialiori.* LXIV. *Fuit etiam*

etiam Germen *in omni emphaſi phraſeos, & quidem* juſtum. LXV. *Et quidem* ſuſcitatum a Patre, *triplici illa emphaſi* §. XLVIII. *indicata.* LXVI. Davidi *etiam* ſuſcitatum *triplici iterum emphaſi.* 1. *Generationis ex eo.* 2. *Reſtitutionis gloriæ Davidicæ.* 3. *Et promiſſionum ſic adimpletarum.* LXVII. *B. Reſpectu etiam* qualitatum *& factorum* Germini *adſcriptorum. Jeſus quippe* 1. *Munere* Rex *fuit, qui vere regnavit.* LXVIII. 2. *Factis quoque muneris* א. *Activis,* Sapienter egit *&* proſperatus eſt. LXIX. Exercuit judicium & juſtitiam *tanquam Judex, & tanquam Sacerdos.* LXX. *Et* in terra *quidem.* LXXI. *Idque* Tempore *demum Jeſu, non ante.* LXXII. ב. *Paſſivis, ubi Judæis, tam ex Iſraële quàm Juda,* Salvatio & ſecura habitatio *contigit.* LXXIII. *Spiritualiter maxime, ſed & corporaliter.* LXXIV. *Maxime poſt deſtructionem Hieroſolymæ.* LXXV. *C. Reſpectu* Remunerationis, *ſive* Nominationis, *JEHOVA* juſtitia noſtra, *pro quali Jeſus agnitus eſt a nobis Chriſtianis, & agnoſcetur etiam a Judæis, immo reſpectu fundamentalis rationis jam agnoſcitur.* LXXVI. *Objectioni Judæorum ab hodierna Judæorum miſeria reſpondetur in genere, oſtendendo eam non procedere.* LXXVII. *In ſpecie cur non procedat, & Concluſio.*

I.

Ingreſſus in materiam.

Poſtquam diſſeruimus de Meſſia PROPHETA ſicut MOSE *Deut.* 18: 15. animus nunc eſt eum quoque REGEM exhibere. Eum in finem conſtitui impræſentiarum illuſtrare locum illuſtrem *Jerem.* 23: 5. & 6. qui agit de GERMINE REGE SUSCITANDO DAVIDI, & cujus inſuper nomen foret JEHOVA JUSTITIA NOSTRA. Verba Oraculi Divini ita ſe habent: הנה ימים באים נאם יהוה והקמתי לדוד צמח צדיק ומלך מלך והשכיל ועשה משפט וצדקה בארץ: בימיו תושע יהודה וישראל ישכן לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו:

Quæ ſic interpretatur Junius: *Ecce dies venturi ſunt, dictum* JEHOVÆ, *quibus excitabo Davidi germen juſtum: qui regnabit Rex, ſecundabiturque, & exercebit jus & juſtitiam in terra. Diebus ejus ſervabitur Jehuda, & Iſraël habitabit ſecure: atque hoc nomen ejus eſt, quo vocabit eum* Iſraël: *ô* JEHOVA *juſtitia noſtra!*

Scopus Diſſertationis ac partitio.

II. Exſtant in *h. l.* tam eruditæ ac prolixæ ſummorum Virorum Dan. Crameri, M. Theod. Daſſovii, Joh. Friſmuthi, Joſ. Placæi, & præprimis Steph. le Moyne, Prædeceſſoris ac Præceptoris mei Honorandi, aliorumque diſſertationes Philologico-Theologicæ, ſpeciatim DE JEHOVA JUSTITIA NOSTRA agentes; nec non Clariſſimi Collegæ noſtri Joannis Marckii, qui poſt noſtram in *h. l.* diſſertationem Anno 1710. editam, eruditam in eundem hunc etiam conſcripſit Diſputationem Anno 1724. quæ in ejus *Faſciculo Diſſertat. Philol. Theolog.* ad *Select. Text Veteris Teſt.* ordine eſt XXIII. ut videar ferme in hoc quidem negotio, ne actum agam, omni nova commentatione ſuperſedere poſſe. Quia tamen inſtituti mei ratio poſtulat, ut Meſſiam per omnia Eccleſiæ ſecula demonſtraturus UNICUM ac PERPETUUM ejus eſſe FUNDAMENTUM, loco tam inſigni non prorſus abſtineam, quia etiam unicuique ſua propria commentandi methodus eſt, Juveneſque noſtri, in quorum præ primis gratiam noſtra conſcribimus, etiam noſtram in materia tam præclara etiam deſideraturi videantur; ſic ergo nunc procedam, ut dum ab una parte iſtis laudatis nihil detractum volens lucubrationibus elaboratiſſimis, Lectorem meum hic illic ad eas ſim amandaturus: ab altera tamen parte potiora quæque; cùm ex illis, tàm aliunde ſelecta, & quàm clariſſima methodo diſpoſita ſim exhibiturus. Quem in finem eadem, quæ antè ad *Deut.* 18: 15. veſtigia premam: nimirum. I. Grammaticam daturus, ſive literalem verborum ac rerum expoſitionem §. IV. uſque ad XXIX. II. Poſt eam explicatione Theologica demonſtraturus quale ſit Subjectum, in quod hæc cuncta adeo præclare hic prædicata quadrent §. XXX uſque ad LXII. III. Oſtenſurus denique promiſſi implementum veriſſimum, ab §. LXIII. uſque ad finem.

III.

III. Rerum nexus breviter ita ſe habet. Egerat Capite præcedenti Spiritus S. de *Regibus:* hoc verò Cap. de *Paſtoribus* populi Iſraëlitici malis impiiſque, quibus *verſ.* 1. horrendum iſtud *Væ* in genere denuntiat; idemque mox in ſpecie magis exaggerat *verſ.* 2. ubi cùm de ipſorum *peccato*, tum *judicio*. Huic tamen denuntiationi mox ſubjungit Deus conſolationes & temporales & ſpirituales, promittens diſperſæ Iſraëlis Eccleſiæ tria hæcce beneficia magna, recollectam ovium ex diſperſione reductionem in ſuam terram; reductarum ingentem multiplicationem; multiplicatarum prudentem, benignam, & ſecuram paſtionem, per paſtores in locum malorum illorum reſtitutos. Quam promiſſionem mox *verſ.* 5 & 6. obſignat nova promiſſione, excellenti prorſus & Euangelica, quæ illuſtrem aliquem heroem, ceu beneficiorum illorum antecedentium unicam cauſam & inſtrumentum efficaciſſimum futurum depingit hiſce verbis: *Ecce dies venient, & ſuſcitabo Davidi Germen juſtum &c.* In quibus nos primo loco conſiderabimus I. *Unde oriturum hoc Semen:* §. IV–X. II. *Quale* ſit futurum verſ. 5. & *quæ alia* facturum Iſraëli §. XI–XVIII. III. *Beneficia*, ab hoc ſic ſuſcitato Germine exſpectanda: *verſ.* 6. §. XIX–XXIX.

Connexio & methodus.

GRAMMATICA EXPOSITIO.

IV. Inchoamus a particula הִנֵּה / *ecce*, a qua ipſa exorditur promiſſio; quam adhiberi ſolitam ad rem aliquam miram, novam & maximi ponderis ſignificandam, notius eſt quàm ut probari neceſſe ſit. Meritò ergo etiam præfigendam noſtro oraculo, ad maximorum promiſſorum exſpectationem Lectoris animo injiciendam. Magis neceſſe eſt addi, hoc הִנֵּה inſuper innuere rem hoc vaticinio promiſſam poſthac demum futuram, adeoque ad præſens illud, quô hoc oraculum editum fuit, tempus haudquaquam ſpectare. Iſtud enim verbo in tranſitu notandum eſt contra Abarbanelem, qui animadvertens potiores de Meſſia promiſſiones conjunctam habere particulam *Ecce*, conatus fuit adſtruere eam

A. Unde oriturus Meſſias, verſ. 4. Ubi a. Particula הִנֵּה

docere rem quæ fiat extemplo, ſive ut dicitur, in præſenti: uti ſcribit ad *Eſai.* 7: 14. הנה / *Ecce, virgo pariet.* At quàm inſulſa hæc ejus ſit hypotheſis, quivis facile videbit, ſi conferat multa non modò Vatum loca, in quibus iſtud הנה præfigitur rebus, abſque omni dubio poſt longum demum tempus eventuris; verùm & ipſos Rabbinos, Kimchium alioſque ei contradicere, qui illud הנה ימים באים / quæ phraſis noſtro Jeremiæ maxime familiaris eſt, de futuro diſerte explicant. Conf. *Cap.* 16: 14. & 15. "הנה ימים באים וכו *Ecce dies venturi ſunt, quibus non dicetur amplius, vivit* JEHOVA, *qui eduxit Iſraëlitas ex terra Ægypti; ſed vivit* JEHOVA, *qui eduxit Iſraëlitas e terra Aquilonis, & ex omnibus regionibus, quò depulerat eos: poſtquam reduxero eos in terram ſuam, quam dederam majoribus eorum.* In quem locum ita Kimchius "וזה יהיה לימות המשיח וכו / *Hoc fiet temporibus Meſſiæ, quando congregabuntur multitudines captivæ.* Conf. etiam *Cap.* 30: 3. 31: 31. & 33: 14. ubi rurſus Kimchius diſerte ſcribit agi de futuro. Accedit quod non male obſervavit R. Salomo: *Si* הנה *ſignificat tempus præſens, tum addi ſolet particula* זה / confer eum in *Michl. Joph.* in 1. *Reg.* 19: 5. ubi in cauſa Eliæ Prophetæ dicitur: והנה זה מלאך וכ"ל / quod aptiſſime vertit Arias Montanus: *Et ecce tempore illo Angelus tetigit eum, & dixit ei; ſurge & comede.* Quid multa? Abarbaneli Abarbanelem ipſum opponimus, qui ſui quaſi oblitus in ſuo ad noſtrum locum commentario diſerte ait, eum agere על הגאולה העתידה / *de redemtione futura.* Quod ſi ſit, nequaquam idcirco hic loci poterit particula הנה denotare tempus præſens?

b. Auctor promiſſionis JEHOVA Pater.

V. Qui promiſſionem hanc inſtituit vocatur JEHOVA, qui ergo clariſſime hic diſtinguitur ab eo, quem promittit, quemque in ſequentibus deſcribit tanquam vocandum JEHOVAM JUSTITIAM NOSTRAM. Patet itaque per ſe, hunc JEHOVAM promittentem eſſe primam in Trinitate perſonam, nimirum Deum Patrem. Qui promittit *Germen juſtum ſuſcitandum Davidi.* Cujus porro deſcri-

ſcribit munus opuſque, nim. *Regnabit Rex*, & *proſpere aget*, *facietque judicium & juſtitiam in terra*: addita pariter temporis circumſtantia, qua id omne ſit futurum, ſcil. *venientibus diebus*. Perſona itaque hic promiſſa depingitur ut *Germen juſtum*.

VI. Ubi occurrit nobis decantatiſſima iſthæc vox צמח / *Tzemach*, de qua ſi juxta ejus vellemus agere dignitatem, ea congerendo quæ de ea annotarunt paſſim Interpretes, cùm Judæi, tum Chriſtiani, noſtramque interponere ἐπίκρισιν, totam poſſemus & prolixam ſatis conſcribere diſſertationem. Lubet nunc potiſſima duntaxat commemorare; unàque indicare ubi plura, & operoſius pertractata Juvenes noſtri reperire valeant. Offendimus hanc vocem צמח quinquies in Sacris Veteris Teſt. np. *Eſai.* 4: 2. *Jerem.* 33: 15. *Zach.* 3: 8. & 6: 12. Tandem & illo in loco quem præ manibus habemus. Eſtque duplex vulgò ejus interpretatio, *Germen* ſcilicet; aut, ut alii malunt, *Oriens*. Cui verſioni dubio procul occaſionem præbuit Græca, quæ Septuagintaviralis vulgò audit. Ea enim noſtrum צמח in tribus ex iſtis quinque locis, np. apud Zachariam, & loco noſtro confundens cum צרח / vel מזרח / reddidit per ἀνατολήν. Eum in modum quoque tranſtulit Syrus; quemadmodum & Vulgatus Interpres per *Orientem*, in ambobus *Zachariæ* locis, licet in illo *Eſaiæ*, nec non in duobus noſtri *Jeremiæ* reperiamus *Germen*. Quæritur autem ab Eruditis, quæ ſit præferenda verſio? Multi ſunt inter Veteres, cùm Græcos, tum Latinos, nimirum ſuam quoſque verſionem hic præeuntem ſecutos; neque deſunt noſtros inter Theologos recentiores, qui nomen צמח per *Orientem* quoque hic reddendum cenſent. Quos inter etiam fuit Theologus longè Doctiſſimus Steph. le Moyne, in ſua ad *h. l.* Diſſertatione *Cap.* 2. §. 4. conceptis verbis ita ſcribens: *Quibuſdam magis arridet interpretatio τῦ* צמח *per* ἀνατολὴν, *Orientem*. *Quam ſententiam, licet alteri* (ſcil. per *Germen*) *minus infenſior ſim, magis me probare ingenue profiteor. Sic enim fere ubique* LXX. *Interpretes, ut Zach.* 3. & 6. *reddunt* צמח *per* ἀνατολὴν. *Et in hoc ipſo loco habent etiam* ἀνατολὴν.

c. Promiſſio ipſa: ubi 1. *Objectum* germen juſtum. צמח *an* germen? *an* origo?

Posterior explicatio præfertur priori, utut durissime id reprehendat magnus Scaliger.

VII. Ad me quod attinet, pace tanti Viri dixerim, me cum plurimis longe Interpretibus præferre alteram versionem per *Germen:* uti & ipse Vulgatus, quod jam dixi, sic reddidit in nostro loco, & *Cap.* 33: 15. & *Esai.* 4. 2. quamvis postea sibi non constans in utrisque *Zachariæ* locis verterit per *Orientem.* Quam tamen versionem reprehendit ipse Pontificius Ribera ad *Zach.* 3: 8. Etiamsi enim res ipsa per se verissima sit, personam nempe hac sub notione צמח hic nobis descriptam, alibi quoque, prout docebitur in sequentibus, sub emblemate stellæ solisque depingi, utpote quæ omnia efficiat mystice, quæ hæc luminaria suâ naturâ, existimarim tamen cum Lud. de Dieu *Animadvers.* in *Hebr.* 1: 3. *Etsi enim apud Syros ea vox* splendoris *significationem habeat, non sequitur eandem habere apud Hebræos, ubi* צמח *proprie de herbis e terra, deinde de pilis & plumis e corpore animalium nascentibus dicitur.* Neque moramur impræsens Joseph. Scaligeri, summi & incomparabilis cæterùm Viri, verba duriora, in *Elench. Trihæres. Cap.* xx. dictantis: *Christiani, ne viderentur Judaizare, ad solem orientem adorabant: neque tantum ob eam causam, sed quia Christus a Prophetis vocatus est* ἀνατολὴ *Luc.* 1: 78. *ut recte verterunt Septuaginta Hierem.* 23: 5. *Zach.* 3: 8. 6: 12. *ubi Hebraice est* צמח / *Unde Judæi horoscopum, id est, locum Orientis in themate Genethliaco vocant* צומח / h. e. ἀνατέλλοντα. *Vox Hebraica duo significat,* Germen, *& per secundam notionem* ἀνατολήν. *Qui vertunt* Germen *imperite faciunt, audeo dicere, neque mentiar, contra verbum Dei.* Τὸ ἀπαύγασμα, *id est, splendorem, quod est in Epistola ad Hebræos, Syrus Paraphrastes vertit* צמח / *Christum* ἀνατολὴν *vocatum ter aut quater apud Justinum leges.* Unde enim, quæso, ea *imperitia* erit? Certè non ex indole vocis. Ea enim patitur eam versionem: uti idem eodem halitu proxime antè dixerat: *Vox Hebraica* צמח *duo significat,* Germen *&* (NB) *per secundam* demum *notionem* ἀνατολήν. An ergo sui intra tam paucas lineas oblitus tam palam contrariantia scripsit? Nec hoc cogitare finit nominis Scaligeriani reverentia. Quid ergo? Id vult Vir summus; *imperitè* sic

ver-

vertentem *facere*, utpote *contra verbum Dei?* Qua vero rationis ſpecie & hoc dici poſſit, fateor me non videre: quandoquidem non modò alibi in S. Scriptura Meſſias aliis vocibus Hebraicis, uti חטר / נצר depingitur, tanquam *virgula* & *ſurculus*, ſed & ſub ipſo hoc nomine צמח / Unus locus probationi ſufficiet, poſthac latius explicandus, nim. *Zach.* 6: 12. in quo de Meſſia ita dicitur צמח יצמח / id eſt, *germen germinabit:* ubi *germinandi* neceſſariam habet ſignificationem, uti tunc demonſtrabitur plenius. Et id tanto magis neceſſariò, quia eodem loco additur hoc צמח *germinaturum* מתחתיו / *deſubter ſe.* Quod verò verbum צמח / *germinare*, potiſſimum reſpiciat ad orientes e terra frutices, agnovit & Hieronymus, Linguarum Orientalium apprime peritus. Is enim ad *Zach.* 6: 12. ita ſcribit: *Ecce Vir, cujus nomen eſt Oriens: quod Hebraice dicitur* צמח / *non per* ש / *ſed per* צ *literam ſcriptum. Qui idcirco*, inquit, *Oriens, id eſt*, ἀναφύη, *ſive* βλάστημα *nuncupatur, id eſt, Germen, quia ex ſe repente ſuccreſcet, & ex radice ſua in ſimilitudinem Germinis pullulabit.* Et hæc quoque cauſa eſt, quod οἱ LXX. ipſa etiam voce ἀνατολῆς, *Orientis*, qua alibi, ut ſupra dictum, vertunt צמח / aliis etiam verſionis ſuæ locis, ubi & in Hebræo exſtabat צמח / utentes, eâdem non ſemper deſignarint *Orientem ſolem*, ſed *orientes* etiam *fructus* ex terra progerminantes Sic *Ezech.* 16: 7. Πληθύνου, καθὼς ἡ ἀνατολὴ τῷ ἀγρῷ δέδωκά σε, *Copioſam, ut germen agri reddidi te.* Et *Cap.* 17: 10. Καὶ ἰδὲ, πεφύτευται μὴ κατευθυνεῖ; οὐχὶ ἅμα τῷ ἅψασθαι αὐτῆς ἄνεμον τὸ καύσωνα ξηρανθήσεται; σὺν τῷ βόλῳ ἀνατολῆς αὐτῆς ξηρανθήσεται. *Ut ecce plantata ſit, proſperabiturne? an non attingente ipſam eurо exſiccabitur prorſus? cum areolis germinationis ſuæ exſiccabitur.* Quemadmodum ab altera quoque parte eos videas hoc noſtrum nomen צמח non ſemper in omnibus iſtis quinque locis, quibus occurrit, & antè recenſitis, conſtanter tranſtuliſſe ἀνατολὴν, ſed & βλαστὸν. Sic enim in noſtri *Jeremiæ Cap.* 33: 15. ubi verborum noſtri Textus repetitio eſt, habent, βλαστῆσαι ποιήσω τῷ Δαβὶδ βλαστὸν δικαιοσύνης. Ubi in Hebræo eſt אצמיח לדוד צמח צדקה / Eodem

dem modo illi multis in locis Verbum etiam צמח / unde nomen iſtud derivatum erat, tranſtulerunt ſenſu *germinandi*, ſive *oriendi ex terra*, idque non tantùm per ἀνατέλλειν, & ἐξανατέλλειν, de quibus ſupra dixi, ſed & per φύειν & βλαστάνειν. De quibus ne ſuſpicio eſſe poteſt, quin *originem* rerum *ex terra* ſignificent. Uti ea occurrunt *Gen.* 2: 5. Καὶ πᾶν χλωρὸν ἀγρὸν πρὸ τοῦ γενέσθαι ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ πάντα χόρτον ἀγροῦ πρὸ τοῦ ἀνατεῖλαι. *Et omnem ſtirpem agri, qui nondum fuiſſet futurus in terra, omnemque herbam agri, quæ nondum fuiſſet oritura.* Et ſequenti *verſ.* 9. Καὶ ἐξανέτειλεν ὁ Θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς πᾶν ξύλον ὡραῖον εἰς ὄρασι, καὶ καλὸν εἰς βρῶσιν. *Et fecerat Deus, ut germinaret e terra illa quævis arbor deſiderabilis ad adſpectum, & bona ad cibum.* Ex quibus omnibus abunde conſtat, & jubente loco *Zach.* 6: 12. & permittente auctoritate Hieronymi, atque ipſorum LXX. τὸ צמח ſatis *peritè* verti per *Germen.* Immo ne ipſam quidem vocem ἀνατολῆς, quâ in locis recenſitis ante τὸ צמח putantur ad *Orientem* ſolem retuliſſe, adeo certe notionem hanc penes ipſos inferre, quin & de *oriente germine*, quod alibi utique eâdem voce exprimebant, ibi forſan cogitari poſſit. Perinde judicandum de loco *Lucæ Cap.* 1: 78. ubi eadem voce Græca ἀνατολῆς Chriſtus ſignificabatur; quippe vel ipſe Theod. Beza cenſet ibidem notionem *Germinis*, loco *Orientis*, poſſe retineri; hac nimirum ratione, ut Chriſtus ibi dicatur *Germen ex alto*, ob cœleſtem originem, in oppoſitione ad *Germen* ex terra oriundum. Quod ſi quis durius putet, aliud ipſi reponam, quod ſcilicet ibi non abſolute Meſſias dicitur ἀνατολή, *Oriens*; ſed additur ἐξ ὕψους, *ex alto.* Quocirca dici poteſt ibidem non tam reſpici ad Prophetarum loca, in quibus notio צמח / *Germinis* occurrit, quam in quibus ea *ſtellæ*, *ſolis* &c. adeſt, ut *Num.* 24: 17. *Mal.* 4: 2. &c. Multo minus juvat contrarium exiſtimantes, Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Athanaſium, Cyrillum, Theodoretum, Theophylactum, alioſque inter Patres hoc nomen צמח per *Orientem* interpretatos fuiſſe, atque Chriſtum, uti deinceps videbitur, inde *Orientem* nuncupaſſe; quippe notum

ſatis

ſatis eſt, pleroſque illorum Hebraicæ linguæ plane exſtitiſſe ignaros. Alia inſuper dabit Abrah. Schultetus *Exercit. Euang. L.* 1. *C.* 12. Omnium inſtar eſſe poteſt Cl. Joan. Marckius antè in *Exercit. Miſcell. Diſput.* 6. §. 16 & 17. & deinceps in *h. l.* Quæ verò in ſpecie ſpectant ad ea, quæ Scaliger habet de צומח / *horoſcopo*, quod *locum Orientis in Themate genethliaco Hebræis ſignificaret, probatum*, inquit Lud. de Dieu, *voluiſſem. Et quamvis eſſet*, (ita pergit *loc. cit.* ad *Hebr.* 1: 3.) *refertur fortaſſe potius ad ipſum infantem, qui hoc aut illo ſydere oriente ex utero matris velut germen e terra* צומח / progerminat, *quam ad ipſum ſydus quod oritur. Sicut Chriſtus Hebr.* 7: 14. *ex tribu Juda dicitur* ἀνατεταλκέναι: *metaphora procul dubio deſumta a germine potius aliunde pullulante, quam a ſydere oriente. Præſertim quum &* ἀνατολὴν *apud* LXX. *pro germine terræ aliquando ſumi ſupra probaverimus. Malim autem Luc.* 1. ἀνατολὴν ἐξ ὕψους, ſplendorem ex alto, *vertere, quia id ſequens metaphora evincere videtur,* ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, *quæ omnia ad lucis metaphoram referenda.*

VIII. Retinemus igitur notionem *Germinis*, ſub qua hic nobis aliqua perſona deſcribitur; additur enim porro epitheton צדיק / Germen *Juſtum*. Id quod evidenter docet, quod jam ſuppoſuimus, non de inanimato ac bruto frutice, ſed humana ſobole rationis capace, id eſt, de perſona quadam intelligente hic agi. Ita quippe ſolet Spiritus S. liberos aliquando *Germina* nuncupare; quia, obſervante Dan. Cramero *Schol. Prophet. Claſſ.* 4. *Explicat.* 4. *Sicut herbæ, plantæ, & frutices in agris, ita liberi in domibus ſuccreſcunt.* Hoc ergo noſtrum Germen *juſtum* foret, & ſtatim primo quidem ſuo ortu. Quod etiam forſan de ipſo prædicatur, quatenus revera ortum ſuum ex Davide, (cui deinceps aſſignatur) ducens, jus haberet ad Davidis thronum atque privilegia titulo hæreditario repetenda, & ſibi arroganda. At præcipuè tamen, quatenus activa ſibi inhærente gauderet *juſtitiâ*, per quam regnaret in illo Davidis throno, abſque ullo crimine vel peccato, ita ut

Quid ſit juſtum?

foret adinſtar illius, ſed gradu longè excellentiori, qui integer vitæ ſceleriſque purus, meritò *juſti* titulo apud Athenienſes inſignitus fuit, nemini gravis moleſtuſve, omnibus contrà gratiſſimus, benignus, æquus, ſociorum amans, cunctaſque Dei juſtitiæque leges ſtrenue ac perfecte aſſerens atque obſervans. Quo ſenſu *juſti* epitheton nemini unquam ex Regibus datum fuit, aut dari poteſt. Cùm ne quidem multos ex Regum ordine reperias, qui, ſenſu etiam vulgari & exili, titulum *juſti* promereri potuerunt. Non poſſum quin in tranſitu addam verba elegantia Plutarchi, in *Vita Ariſtidis*, docentia quàm in hoc genere rari fuerint *Boni*. Ita autem ille: *Nullus Rex Juſti cognomen appetiit: ſed potius ſtudium Regibus fuit, ut urbium expugnatores & fulmina dicerentur, quia viribus & potentia præſtare, quam virtute maluerunt, quamvis ea nihil pulchrius, nihil honeſtius, nihil Divinius.* Optime. Et dolendum ſanè, quod de Gentibus ibi Plutarchus, idem & hactenus vitium, ſi non pejus, obtinere inter principes Regeſque, qui Chriſto nomen dederunt. Neque melior fuerit, cùm Jeremias hæc prophetaret, ipſorum quoque Regum ex Davide ortum ducentium, & tum in Judæa regnantium conditio. Qualis enim nuper fuerat Jojachimus? & qui nunc temporis erat Zedechias? Injuſtiſſimi pariter ac ſceleratiſſimi Reges, quorum etiam ſimiles prædeceſſores multi rerum iſthac in gente potiti fuerant temporibus præcedentibus. Aliter cum noſtro Germine res ſe haberet, quod *Juſtum* prorſus & inculpabile foret in toto ſuo regimine. Immo verò & tertia forſan, & infinitis parafangis adhuc glorioſior, titulo ſubeſſet emphaſis, non *jus* tantùm germinis ad Davidis thronum, aut *jura* ſubditorum in regno ipſius Germinis in tuto collocans, ſed & ipſius forſan Dei, atque peccatoris coram Deo. Hoc enim iſtud ipſum eſt quod præ primis innuitur in ſequentibus, ubi *Germen* hoc dicitur vocandum יהוה צדקנו / *Dominus juſtitia noſtra.* Cujus idcirco aſſerti adſtructionem differemus, uſque dum ad iſtius pericopæ tractationem perventum fuerit.

IX.

IX. Tantum porro Germen, cui producendo ne totum quidem ſufficit genus humanum, nil miri eſt, ſi promittat ipſe JEHOVA ſe *ſuſcitaturum*. In Hebræo eſt וְהִקִימוֹתִי / quod juxta literam notat; *Ego faciam ipſum ſtare*, ſive illud *producam:* & poſtquam productum erit conſervabo conſtanter. Duo enim ea promittit, qui dicit; *ſtare faciam*. Hac ergo phraſi *in genere* primò quidem cùm ejus in carne manifeſtatio deſcribitur, prout aliquando fieret homo, atque naſceretur ex muliere; tum etiam ejus ſic nati ad munus dignitatemque evectio. Iſto enim ſenſu de quorumvis hominum nativitate & generatione uſurpari videas: ex. gr. uti *Jud.* 2: 10. *Una generatio ſurgit poſt aliam*. Et *Deut.* 29: 22. *Dicet generatio ſequens, filii veſtri, qui exſurgent poſt vos*. Nec non de eorundem ad dignitates exaltatione. Uti *Exod.* 1: 8. *Surrexit alius Rex ſuper Ægyptum*. Secundò, ea etiam phraſis notat in genere ſtabilitatem conſtantiamque (nam & eam emphaſin קוֹם & הֵקִים videas *Job.* 15: 29. *Prov.* 15: 12. *Dan.* 2: 46. *Jer.* 11: 5.) hujus Germinis ita nati, & ad honores exaltati, id eſt, immortalitatem forſan vitæ, æternitatem verò regni ipſius, quæ in explicatione Theologica fortè clariora fient. At phraſis eadem magis in *ſpecie* enucleata (prout JEHOVA ſibi ipſi, ut unico auctori eam tribuit) tertiam adhuc ſuppeditat animadverſionem, quæ ad Germinis hujus & *nativitatem* & *munus* extraordinariam, quam haberet præ reliquis omnibus, ſibi in nativitate & dignitate ea cæteroquin ſimilibus, gloriam allatura eſt. Quod nempe & duo ea & accepturus eſſet, & conſtanter retenturus modo extraordinario, excellenti, & plane divino. Quod ut conſtet, probe attendendum eſt, in Textu non dici, hoc Germen יָקוּם / *ſurget*, at וְהִקִימוֹתִי / *Ego* Deus *ſuſcitabo* iſtud. Scilicet is, qui ordinario naturæ modo naſcitur, dicitur *ſurgere*. Qui etiam ordinaria viâ per conſilia humana ad munera pervenit, dicitur *ſurgere*, uti utrumque locis ſupra adductis docui. Qui verò neque homo fit, neque *Rex*, niſi per manifeſtiſſima miracula, ille ab eo, qui *ſolus facit mirabilia*

11. *Alius Dei circa illud*: Suſcitabo *germen.*

bilia Pſalm. 72: 18. *ſuſcitari* debet. Alibi etiam in S. Scriptura de *Judicibus Iſraëlis* dicitur (uti *Judic.* 2: 16 & 18. 3: 9. & 15.) quod Deus eos *ſuſcitaverit*. Atqui horum plerique, ſi non per apertiſſima miracula, per evidentiſſima ſaltem ſigna immediatæ a Deo vocationis & ordinationis ad munus iſtud pervenerunt. Ut ex. gr. Othniel ſpiritu Dei excitatus *Jud.* 3: 9, 10. Sic etiam Simſon *Cap.* 12: 25. & inſuper quoque vi promiſſionis divinæ ex matre infœcunda natus *Cap.* 13: 2, 3. Subinnui ergo Germen hocce haud ordinario hominum more ex naturæ viribus, aut carnis virive voluntate naſciturum, ſed modo plane ſupernaturali, idque ſolius *verbi promiſſionis* hic per Jeremiam, & forté antea per alios Dei Prophetas datæ, virtute, prorſus uti Iſaäcus *filius promiſſionis* erat: naſciturum ergo forſan æque ac ille *ſupra* naturæ curſum e *matre decrepita*, aut, ut *Dei* ea, quam hic promittit ſuſcitatio, tanto conſpiciatur evidentius, contra naturæ forſan curſum ex matre virgine, quod determinabitur poſtea clarius in explicatione hujus loci Theologica. Subinnuitur inſuper Germen hocce ad *munus Regium*, cujus fit mentio in ſequentibus, *ab ipſo evehendum Deo:* adeo ut iſtud haud priva auctoritate capeſſeret, illius uſurpator futurum, at verò rite vocandum, ac legitime ab ipſo JEHOVA ordinandum confirmandumque. Nec hoc tantùm, ſed & divina etiam ope & cura ita in utroque eo ſtatu conſervandum, ut ſi fortè vitam & honorem ipſi eripere velint hoſtes quidam, idem JEHOVA utrumque ipſi ſit incolume præſtiturus, aut ſaltem reſtituturus. Quæ omnia ingenioſus Lector ſatis jam prævidet de Meſſia, ſi ille iſtud *Germen* ſit, fore veriſſima. Et hæc quidem adeo abſolute Deus ſibi tribuit, ſimpliciter dicendo, *Ego ſuſcitabo*, ut & ſibi ſoli, ſine ullius concurrentis auxilio, illud adſcribat, & nulli illud conditioni alliget, ſed tantùm potentiſſimo & mero ſuo beneplacito Divino certum effectum habiturum.

Et quidem præciſe Da-

X. Et ita quidem Deus iſtud Germen miraculoſum ſuſcita-

taret: non tamen ſibi ſoli. Addit namque והקימותי לדוד / *Suſcitabo Dividi.* Id varia ſignificare poteſt, quæ ſuccincte ad hæc ſumma capita redacturi ſumus. Forſan Primùm illud לדוד indicat, Davidem quaſi fore ſubjectum & quaſi ſtirpem, ſuper quo Germen iſtud excitaretur. In quo duo ea continentur. 1. *Germen* hoc futurum hominem, hominiſque filium. 2. Ex Davidis ſemine ac lumbis naſciturum. Forſan Secundò, per haud obſcuram ex primo conſequentiam, & alia adhuc duo indicat. 1. Nempe, Davidem illum, ceu ſtirpem conſideratum, antequam *Germen* hoc ſuper ipſo effloreſceret, fore quaſi ſtipitem, aut truncum omni corona, ramis, & fronde orbatum: immo fortaſſe ne truncum quidem, ſed modò radicem in terra relictum, dum ipſe etiam truncus uſque ad terram foret demtus. Qualibus certè alibi emblematibus Davidis domus depingitur. Indicat ergo לדוד *fore tunc Davidis domum contemtam admodum, & in pauperum conditionem redactam*, uti probe annotavit Jac. Altingius in *h. l.* Inde ſponte ſequitur 2. Suſcitandum ergo *Davidi*, ita ad terram uſque humiliato, *Germen* tam illuſtre eum in finem, ut ſtirpi ejus, quando hujus omnis vis vigorque æternùm videretur exſtinctus abſorptuſpue, ſubito per vegetationem efficacem de novo effloreſceret, germinaretque ad recuperandam regni priſtinam, immo forſan majorem, quam antè, gloriam decuſque, utque quod permaneret conſtans in æternum. Poſſumus 3. Et iſtud tandem addere, quod Magnus noſter Calvinus habet in *h. l. Hunc*, id eſt, hoc Germen, *Davidi excitandum dicit Propheta, ut ſignificet Deum non Judæos reſpicere, qui indigni erant, ſed Davidem, pactumque cum illo ictum.* Quæ tamen obſervatio benigne obſervanda eſt. Aliàs enim Spiritus S. in ipſis terminis de ipſo quoque Iſraële dicit, *Deum ex Davidis ſemine ſuſcitaſſe Iſraëli Servatorem Actor.* 13: 23. Hoc tamen manet verum, & *Iſraëli* & *Davidi* dici poſſe *ſuſcitandum* fore illud *Germen*, quia pacto cum illis icto Deus hoc ipſis promiſerat *Rom.* 9: 4. *Act.* 2: 29. &c.

vidi, *quid varia ſignificet.*

B. Qualis futurus, & quæ facturus verſ. 5. *ubi* 1. *In genere munus ejus:* Rex regnavit. 2. *In ſpecie effecta hujus regni vi muneris præſtanda.*

XI. Deſcribitur deinceps ipſum hoc *Germen*, & quoad munus ſuum *Regium*, & quoad *Beneficia* varia per ipſum jure regni ſui Iſraëli aſſerenda. Ubi primum quidem iſtud phraſeos empathicæ genus conſiderandum venit, ומלך מלך / *Et regnabit Rex*, nimirum, quod id tria indicet. 1. *Regem* eum fore. Sed & 2. Regem fore *maximum*. Obſervant enim Judæi vocem מלך / *Regem*, uſurpari ſolitam de eo, qui ſolus regnat, ac proin ſe ſuperiorem neminem agnoſcit. Et ſic quidem hoc Germen Rex foret in ſummo dignitatis collocatus faſtigio; unde non male colligunt Magiſtri ipſum ſolum fore Regem in univerſa terra, & ſic in omnes prorſus populos regnaturum. Sed & 3. Regem fore manſuetum, felicem, meritiſſimum. Phraſis quippe ea, *regnabit Rex*; emphaſi nequaquam caret. Franc. Vatablus ita accipit: *Erit verus Rex*; cujus nempe eſt benigne *regnare* ſubditos; *non Tyrannus*, cujus eſt non tam *regnare*, quàm vexare & opprimere populum. Porro juxta Hebræorum regulam, quod Verbo jungatur Nomen ad ſignificationem magis intendendam, remque propoſitam confirmandam, uti plura hujus rei exempla congeſſit Sal. Glaſſius *Phil. Sacr. L. 3. Tract. 3. Can.* 32. reduplicatio ea & ſic exponi poteſt: *Erit ſtabilis, fortis, felix, glorioſus Rex. Rex* ergo non nomine, ſed re. Bene quod ad Syntaxin Dav. Kimchius ad *h. l. Loquitur*, inquit, *Propheta duplo, ut confirmet Verbum*, Regnare ſcil. *Nam dum Verbi meminit, Nomen memoratur ſimul: quando autem ei poſtponit Nomen, ſit ad confirmandum.* Et melius quod ad rem ipſam Calvinus noſter: *Nomen Regis conſulto addit Propheta, q. d. magnifice regnabit, ut non tantum appareant reliquiæ aliquæ priſtinæ dignitatis, ſed ut Rex floreat, vigeat, & obtineat perfectionem, qualis fuit ſub Davide & Salomone, ac multo præſtantior.* Quæ cuncta nunc porro ex prædicatis additis pateſcent.

8. Active a parte Regis A. Modus

XII. Ubi tanquam primum adminiſtrati ab ipſo regni beneficium occurrit והשכיל / Duplex vulgò eſt hujus verbi inter-

terpretatio: poteſt verti, *prudenter*, ſive *intelligenter aget*. Poteſt etiam verti, *proſperabitur*. Quo reſpectu in varia hic eunt Interpretes; at ſine ulla cauſa. Neque enim video quin iſtud verbum latiſſimo hic queat accipi ſenſu, & ſignificatu ſuo utrumque iſtud ſimul complecti, quorum poſterius prioris genuinum eſſe ſolet effectum. Primò ſane denotat שכל *intelligens, prudens fuit, cognovit, providet, attente* ſcil. & cum debita animi circumſpectione. Inde verò ſecundò per Metonymiam dicit *felix, proſper fuit*. Cujus derivatæ ſignificationis hæc dari poteſt ratio, quam ita effert Jac. Guſſetius in *Comment. Ling. Hebr.* ad *h. voc. Idcirco oportet*, inquit, *ſub verbo* שכל *involvi prudentiam inſignem, qua fundarentur ſucceſſus, eaque primario loco conſtitueretur: is enim eſt naturalis ordo, ita ut prudentia ſit tanquam ratio formalis, ex qua flueret proſperitas ſucceſſuum, velut proprietas quædam ejus.* Verba verò Wolphii in *Comment.* ad 2. *Reg.* 18:7. de noſtro hoc verbo pariter diſſerentis ita habent; *Non modo* proſpere, *verum etiam* provide *aliquid agere ſignificat: ob id fortaſſe, quod quæ temere ſuſcipiuntur, plerumque in adverſam partem cadunt: quæ rurſus conſulto fiunt, ſecundos ac lætos eventus habent, ut recta conſilia cum ſecundis ſucceſſibus minime male conjungantur.* Ita illi: neque opus de meo aliquid addere quod ad vocem: niſi quod Calvinus hic mihi minus placeat, ita ſcribens: *Prudenter aget, vel proſpere aget: nam* שכל *utrumque ſignificat. Videtur tamen hic potius loqui Propheta de recto judicio, quam de felici ſucceſſu, quia hæc conjunctim legenda ſunt*, prudenter aget; *deinde*, faciet judicium & juſtitiam. *Videtur in ſumma id velle, fore ipſum præditum tam prudentiæ, quam rectitudinis & æquitatis Spiritu, ut omnes numeros boni & perfecti Regis impleat. Primo autem loco neceſſaria eſt prudentia; nam probitas non ſufficeret in Rege. In privatis quidem hominibus tenet mediocrem laudis gradum, ſed in Regibus ſi deſit ingenium, probitas parum valebit.* In his enim ego primum illud haud probo quod τὸ *faciet judicium*, ſenſu exponat tam tenui, de quo mox. Deinde etiam, quod

adminiſtrandi a השכיל *prudenter aget, aut proſperabitur, ex Guſſetio, Wolphio &c. ubi Calvinus minus placet.*

ex

ex conjunctione quasi utriusque hujus prædicati, eliciat notionem *prospere agendi:* quasi verò *Rex*, ut possit in *terra facere judicium & justitiam*, non debeat habere *prosperitatem*, & felicem conatus sui eventum; aut quasi, ut ipsius Calvini paulo mutatis utar verbis, *in Regibus si desit prosperitas, prudentia multum sit valitura ad justitiam in terra ampla faciendam.*

Quorum utrumque Regi huic debet competere.

XIII. Quod verò ad Rem ipsam attinet, observo utramque illam vocis significationem verè etiam huic Regi, a JEHOVA ipso suscitando competere omnino debere, ut verum fieri possit, quod modò dictum fuerat in emphasi phraseos duplici, *regnabit Rex.* Eum in finem *Germini Regi* competere primò, quoad *Regiminis modum*, deberet, *agere intelligenter*, id est, regnum hocce suum prudenter admodum & summa cum sapientia administrabit. Quo ipso simul tum innuitur, eum Spiritus S. donis copiose fore instructum; præ primis autem sapientia illa prudentiaque recta. Sic demum *sapienter aget.* Inde verò tum consequetur, quod quoad *Regiminis eventum* etiam *prosperabitur.* De quo Vatablus: *Prosperabitur, felix erit.* Quemadmodum in significatione illa hoc verbum usurpabatur de Davide 1 *Sam.* 18: 15.

Quum videret Saul eum (Davidem) משכיל *secundari valde*, sive *prospere agere.* Comprehenditque hæc notio sequentia. *Prosperatur* Rex, qui 1. Subito Rex magnus evadit ac glorioſus supra omnes. 2. Qui felix erit in debellandis inimicis suis, nec non Regni sui limitibus extendendis undequaque dextrorsum ac sinistrorsum, ita ut amplissimum habeat Regnum. 3. Qui sub suo regimine subjectos multa felicitate ac rebus prosperis frui faciat.

b. Faciet judicium & justitiam *sensu duplici. 1. Judiciali, ut Cramerus exponit.*

XIV. Cum regimine illo *felici* conjungitur alia adhuc laus his verbis: ועשה משפט וצדקה בארץ / *Et faciet judicium & justitiam in terrra.* Quibus, quemadmodum antecedentibus *Germen* descripserat Divinus Vates ceu *Regem*, nunc ipsum hic ceu *Judicem* videri potest voluisse describere. Non enim

enim ſufficit, ut ſapienter agat Germen Rex, & proſperetur reſpectu externorum, niſi inſuper pariter æquus ſit & juſtus rerum Judex, qui interne inter ipſos ſubditos ſuos *judicium* exerceat atque *juſtitiam*. Diſtincta vocabula משפט & צדקה accuratè nobis diſtinguenda veniunt, ne idem bis hic dici exiſtimemus, quod cum ſumma Spiritus S. ſapientia nequaquam convenire videtur. Jam olim Calvinus noſter hæc verba primùm ita exponit in genere: Faciet judicium & juſtitiam, *non tantum quia defendit & adjuvat innoxios, & compeſcit improbos, (ſicut terreni Reges faciunt:)* Deinde verò diſtinctius in ſpecie addit; *Sed* exercet juſtitiam, *quia regenerat nos Spiritu ſuo*; & judicium, *quia frænum injicit Diabolo.* Res autem tota adhuc diſtinctius exponitur per ea, quæ habet Dan. Cramerus *loc. cit. Hæc phraſis* (ſcil. faciet judicium & juſtitiam) *admodum uſitata eſt in Sacris; tum quando in genere Spiritus S. de bono Magiſtratu, tum quando in ſpecie de Chriſto loquitur. Quando in genere de Magiſtratu quovis hæc verba ſonant, tunc continentur illis verbis duæ officii boni Magiſtratus partes, quæ conſiſtunt in poenis ac præmiis, h. e. in vindicta nocentium, & laude recte agentium. Quando vero in ſpecie de Chriſti regno accipiuntur, ut hoc in loco, & Pſalm. 99. 4. Eſai. 9:7. & alibi, tunc* judicium *ſignificat damnationem impoenitentum & infidelium ad ſupplicium aeternum.* Juſtitia *vero ſignificat liberationem piorum, & remiſſionem omnium peccatorum ad vitam aeternam. Rex igitur hic juſtus & ſapiens dicitur in regno, i.e. in Eccleſia ſua in hiſce terris,* facere judicium & juſtitiam, *ita ſcilicet adminiſtrando officium boni Magiſtratus, ut ſimul & poenas & præmia is tribuat, ſimulque ſit honori probis, & dedecori improbis, & ſalvaturus ſit pios ac fideles, damnaturuſque impios & incredulos.*

XV. Non ſunt iſta certè contemnenda. Cur verò his ipſis verbis *Rex* hic deſcribatur tantùm ut *Judex*, & non etiam ut *Sacerdos*, cauſam nullam video: etiamſi ipſe Coccejus in *h. l. faciet judicium*, exponat de actu judiciali *ſeparandi amatores Dei, & oves Dei a petulantibus hircis* &c. Et addat; *fa-*

2. *Senſu etiam ſacerdotali, qui priori multò illuſtrior eſt, etſi ipſi Coc-*

Cujo in h.l. non ſatis expreſſus, uti neque Cramero.

faciet etiam juſtitiam exſequendo Patris teſtamentum, juſtitiam Dei promulgando, electos vindicando, regnum juſtitiæ colligendo. Quæ etiam generaliora ſunt. At phraſin certe illam, עשה משפט / & עשה צדקה / video non adhiberi tantùm de Regibus, vel Magiſtratibus, uti *Prov.* 29: 14. &c. ſed de privatis etiam fidelibus reſpectu vitæ ſuæ ſanctæ, non cum hominibus ſolùm, ſed & coram Deo inſtituendæ, uti *Ezech.* 18: 5. *& ſeqq.* Adeo ut voces iſtæ משפט & צדקה non modò in ſpecie notent *actum* & *qualitatem judicis*, quà *talis*; ſed & generalius *uniuſcujuſque rectitudinem* & *juſtitiam*. Unde tunc porro factum eſt, ut notent eædem voces *jus* illud atque *juſtitiam* Dei *Judicis*, cui ſatisfieri debet a Meſſia: uti & ipſam ſatisfactionem a Chriſto ſacerdote præſtitam. Sic enim *Eſai.* 1: 27 & 5: 16. 42: 1. 3. 51: 4, 5, 7. & alibi videbis eas voces uſurpatas eſſe. Audiamus ex. gr. Coccejum ad locum primum *Eſai.* 1: 27. *Modus redemtionis* (hanc modò vocaverat λύτρωσιν & expiationem peccati &c.) *eſt*, ait, in JUDICIO & JUSTITIA. Id eſt, in משפט & צדקה / JUDICIUM verò illud porro exponit, ceu *quo Deus damnat peccatum, & peccatorem* &c. *& demonſtrat ſanctitatem ſuam* &c. quô etiam *damnavit Satanam & peccatum* &c. Denique addit: JUDICII HUJUS, i. e. τῆς משפט / *Sanctitas & æquitas fundatur in* JUSTITIA, i. e. in צדקה / *hoc eſt, in* δικαιώματι, *quod Chriſtus pro nobis præſtitit* &c. Ad reliqua loca, quæ clariora ſunt, clarius adhuc commentatur. De vocibus ergo ipſis dubitari non poteſt. At dubitare fortè poſſet quiſpiam, an tota phraſis עשה משפט וצדקה / *facere judicium*, ſive *jus & juſtitiam*, de eadem redemtione adhibeatur? At inſpiciatur *Jer.* 9: 24. & ibi Coccejus, verba illa, *quod ego* JEHOVA *ſim faciens gratiam*, & N. B. *judicium & juſtitiam in terra*, ſic exponens: *Qui facio gratiam* &c. *ſtudioſe & enixe beatitudinem eorum, quos amo, efficiendo*; & judicium, *damnando peccatum, quod lex infirmata per carnem damnare non poterat Rom.* 8: 3. &c. & juſtitiam, *condonando peccatum, & ſanctificando peccatorem ſancte & juſte*

propter

propter Juſtitiam גואל/ *vindicis* &c. Et apponit ibi Vir Clariſſ. tanquam parallela loca *Eſai.* 1: 27 & 5: 16. in quibus abſque dubio de peccatoris agitur juſtificatione. Adde his, quod ipſum nomen hujus *Regis*, quod mox apponitur tanquam futurum JEHOVA JUSTITIA NOSTRA, brevius comprehendat, quod hic latius dicebatur, Regem eum *facturum*, ſive *productūrum jus & juſtitiam in terra.* Atqui nomen illud ipſe ille Dan. Cramerus ſenſu illo Euangelico, quem nos modò vocibus משפט & צדקה tribuebamus, explicat: *Vocatur*, ait, JEHOVA *juſtitia noſtra, idque non tantum, quod in ſe juſtus, & ipſe juſtitia ſit; ſic enim* ſibi *juſtus & juſtitia, non* nobis *juſtus aut* noſtra *juſtitia eſt; ſed per metalepſin effective, eò quod comparaturus nobis ſit juſtitiam, & nos effecturus juſtos ſuo opere & merito, qui antea ignari eramus veri Dei & veræ juſtitiæ, quæ coram Deo valet. Affluxu igitur gratiæ, juſtitiæ & meriti ſui reddet is Eccleſiam ſuam juſtam, & imputabit ei juſtitiam ſuam.* Ita ille. Qualem emphaſin cùm in compendioſo hoc nomine videat, mirum eſt eandem ipſi non apparuiſſe in latiori ſignificatione, quæ in Regis illius *factis*, *jure* ſcilicet & *juſtitia*, præſtruebat nominis ſecuturi fundamentum.

XVI. Neque ſingulari caret animadverſione quod additur, *Germen Regem* iſtud *judicium & juſtitiam facturum* בארץ/ *In terra.* Id eſt, prout vox ea ſimpliciter accepta primo ſenſu indicat, in Canaänæa. Non tamen in Canaänæa tantùm, at verò in *tota* etiam *terra* habitabili, regno Germinis noſtri ſubjiciendis non tantùm Judæis, ſed in primis omnibus terræ nationibus. Quod ipſe Dav. Kimchius agnoſcit, quando in *h. l.* rationem redditurus, cur vox *terræ* fuerit addita, ideo id factum ait, ut ſignificaretur, *Regnum illud in toto terrarum orbe futurum, non ſola Palæſtina.* *B. Locus. Faciet judicium in terra.*

XVII. Atque ſic quidem primam hujus Divini Oraculi partem explicuimus. Reſtat ſolùm indaganda circumſtantia Temporis, quô hæc adimplenda foret promiſſio, quam Divinus quidem Vates præmittit, nos verò hic demùm explicanda- *C. Tempus Dies.*

candam duximus, ut ita tanto clarius pateſcat nexus *horum dierum* cum iſtis noſtri *Germinis diebus*, quorum mentio fit initio *verſ. ſequentis*, quibus Judæ & Iſraeli obventura eſſent cuncta iſthæc beneficia per *Germen Regem* adducenda. Temporis itaque circumſtantia ſic deſcribitur, ימים באים / *veniunt dies.* Nihil apud Hebræos uſitatius quàm *diem* venire pro *tempore:* quod ex Rabbinorum ſcitis ſufficienter probat Daſſovius in ſua in *h. l. Diſſert.* §. 4. Nec tantùm pro tempore quovis; ſed etiam in ſpecie pro tempore κατ' ἐξοχήν ſic dicto, id eſt, pro *tempore Meſſiæ.* Sic R. Dav. Kimchius ad *Eſai.* 26: 1. 27: 13. & alibi, ubi agitur de diebus Meſſiæ, ad voces illas ביום ההוא hunc in modum eſt commentatus: כל זה בזמן הישועה / *Omne illud intelligitur de tempore ſalutis.* Neque ad ſingulare duntaxat יום / verùm & ad plurale ימים idem ille Doctor in *Eſai.* 27: 6. ubi ita fatur: הימים הבאים / *Per quos intelligitur*, inquit, *tempus ſalutis.* Et tum provocat ad noſtra verba, ut extra omnem dubitationis aleam poſita; *uti dicitur*, ait, *ecce dies venient*, & *excitabo Davidi Germen juſtum.* Qua de cauſa Literaturæ Hebraicæ periti non male ex Rabbinis obſervarunt, ſolere eos frequentiſſime tempus Meſſiæ appellare ימות המשיח / *dies Meſſiæ.*

Et quidem venient: quomodo Rabbini de Meſſia loquuntur.

XVIII. De his porro diebus effertur, quod ſint באים / *venientes:* ſubintelligitur יהיו / *erunt*, vel, *ſunt venientes*: atque ita hic ponitur Participium pro Futuro. Ex quo pateſcit omnino hic agi de re poſthac demum futura. Quod idem Kimchius denuo confirmat ad *Jerem.* 30: 3. hanc noſtram phraſin הנה ימים באים interpretans de *tempore futuro*, eamque conferens cum illa *Geneſ.* 49: 1. באחרית הימים / *In extremo dierum.* Nec non cum *Eſai.* 2: 3. *Et erit in extremo dierum*, & *conſtitutus erit mons domus Domini in vertice montium.* Ad quæ verba etiam Aben-Ezra notat ſcripſiſſe olim R. Moſem Nagmanidem, quod *ubicunque dicitur in extremo dierum, intelliguntur dies Meſſiæ.* Ex quibus ſequitur per hanc phraſin hic denotari 1. Rem oraculo noſtro promiſſam tempore Jeremiæ, i. e. inſtantis captivitatis Babyloni-

cæ,

cæ, conſiderandam fuiſſe ut adhuc futuram. 2. Et futuram quidem non procul ab implemento iſtarum rerum, quæ præcedenti *verſ.* 3. & 4. erant promiſſæ; id eſt, non ita diu felices hoſce dies ſecuturos Iſraëlis *reductionem in patriam ſuam*, & ea quæ cum iſthac habitura eſſent nexum indivulſum, in prioribus recenſita. Immo & 3. Futuram præciſe in diebus Meſſiæ ipſius adventui deſtinatis. Unde ſuſpicari ſtatim licet *Germen* hoc *regium a* JEHOVA *ſuſcitandum*, fore vel Meſſiæ comitem & ſocium, aut, ſi talem ille non habeat, cui grandia hæc prædicata competant, ipſum fore Meſſiam, quod poſthac determinabimus.

XIX. Reſtant adhuc ex *verſ.* 6. beneficia *diebus* hujus Germinis Regis expectanda. Primum iſtud eſt: בימיו תושע / יהודה וישראל ישכן לבטח: *In diebus ejus ſalvus erit Jehuda, & Iſraël habitabit in fiducia. Jehudæ & Iſraëlis* nomenclatione comprehenditur tota Patriarchæ Jacobi poſteritas, quæ duodecim conſtans tribubus, inde a tempore Rehabeami Regis in duo ſciſſa regna, ut duplex conſiderari coepit populus, politiâ, & religionis forma & fatis diſtinctiſſimus: at ſub Meſſia olim denuo in unum redigendus. Quo reſpectu duo illa nomina in Prophetarum oraculis, ad tempus Meſſiæ ſpectantibus, ſæpius conjunguntur, conf. *Jerem.* 31: 31. 32: 33. *Ezech.* 37: 16. Hi ergo primi erant quibus jus competeret exſpectandi hujus *Germinis Regis*, & omnium beneficiorum per ipſum adducendorum implementum. Non tamen aliæ excluderentur Gentes, ſuo etiam tempore hac ipſa ſalute Judæ & Iſraëlis in & per hoc Germen itidem ſalvandæ. Ipſe Kimchius hunc in modum ſcribit: כי בתשועת ישראל יהיו נושעים / וגם כל הגואים / *Nam in ſalute Iſraëlis ſalvæ erunt omnes etiam gentes.* Quod Rabbini ſolent confirmare iſthoc Jacobi dicto *Gen.* 49: 10. ולו יקהת עמים / *Ipſi erit obedientia populorum.* Quod beneficium Rabbini eouſque aliquando extendunt, ut credant omnes homines per hoc Germen Regem ſalvandos fore. Quod tamen ita univerſaliter haud eſſe capiendum, ut intelligatur de ſingulis Judæis Iſraëlitiſque; multo minus de ſingulis

b. *Paſſive reſpectu ſubditorum, quibus beneficia allaturus eſt. Ubi A Objectum,* Iſrael & Juda.

gulis hominibus, res ipſa docet: capiendum verò eſſe de electis, uti ex ſingulis Judæorum tribubus, ſic ex Gentium ſingulis nationibus, i. e. de Iſraële ſpirituali. Atque adeo in eum ſenſum per *Jehudam* hic indigitari poſſet, ſi nominum originem ſpectes, iſte Dei populus qui nomen Dei *confitetur*; & per *Iſraëlem*, qui *luctatur* cum adverſariis, eoſque *vincit*. Exiſtimârim tamen ſimplicius hic nomina ea directe eſſe intelligenda ſecundum literam de *Juda* & *Iſraële*, qui ex captivitate in unum reuniti populum, conjuncti participes forent hujus Germinis Regis, omniumque Regni ejus bonorum ac prærogativarum.

B. Beneficia ipſa, Salvabitur.

XX. Quæ quidem in eo conſtituuntur, quod Jehuda tunc *ſalvabitur*, & Iſraël *habitabit ſecure*. Quae nequaquam diviſim ſunt accipienda, ut ſic *ſalus* ſoli Judæ, *habitatio ſecura* ſoli Iſraëli adſcribatur; verùm hæc beneficia ambo ad ambos illos pertinent; ita ut ſub *ſalute* comprehendatur *ſecuritas*, quæ *ſalutis* ſit effectus; & ſub *ſecuritate ſalus*, quæ illius *cauſa* exiſtat. In eo autem quod primo loco dicitur, Juda הושע / *ſalvabitur*, obſervandum eſt, quod verbum hoc ſit in tertia fœminini generis, cùm contrà Juda ſit generis maſculini. Hic nempe obtinet Judæorum regula: *Scriptura in negotio Eccleſiæ Iſraeliticæ loquitur in genere maſculino ad* העם / *populum*; *ſed in genere fœminino ad* הכנסה / *Eccleſiam*. Ex qua obſervatione conficimus, hoc vaticinium non tam ſpectare ad externum, aut politicum ſtatum *Iſraëlis* conſiderati tanquam *populi*, quàm quidem ſpiritualem & interiorem ejusdem ſtatum ſpectati tanquam *Eccleſiæ*. Quod ſi ſit, inde porro ſequitur, hæc de *ſalute & ſecura habitatione* prædicata itidem cum reſpectu ad Eccleſiam eſſe intelligenda, ſenſu non literali, ſed myſtico & ſpirituali. Et ita juxta hanc obſervationem per hanc *ſalvationem* intelligimus Eccleſiæ ex Judæis Iſraëlitiſque colligendæ liberationem a quocunque malo omnibuſque inimicis, corporalibus etiam quidem, at præcipue ſpiritualibus: id eſt, a peccato, ejuſque ſequelis: quatenus ſcilicet foret ille Rex JEHOVA *Juſtitia noſtra*, ſuoſque æterna ſalute ſalvaret, idque in oppoſitione ad *ſalutem* illam,

illam, quam Gideon, Saul, David, aliique bellicoſi Judices Regeſve olim adduxerant, & quæ ſolummodo temporalis fuit.

XXI. Alterum beneficium eſt; *Iſraèl habitabit in fiducia.* Verbum שכן in Sacris fæpenumero uſurpatur de habitatione, quæ fit in tabernaculis, conf. *Pſalm* 120: 5. unde & Tabernaculum Moſaicum venit ſub nomine משכן / *Exod.* 39: 33. *Numer.* 1: 50. & 51. Cùm verò habitatio in tabernaculis tempore feſti Tabernaculorum ſummo cum gaudio celebraretur inter Judæos, hinc nonnulli cenſent, ac ſi talis hic promitteretur *habitatio*, quæ ſub *Germine Rege* lætiſſima foret, & ſummo undequaque gaudio perfuſa. Ex quo habitationis genere porro ſponte fluit, quod additur, Iſraëlem habitaturum לבטח / quod juxta literam eſt *in fiducia:* quodque οἱ LXX. rem explicantes reddunt per πεποιθὼς, *ſecure, confidenter.* Ex ipſa illa ſcilicet, quam in hoc Germen Regem habent fiducia, ſecuri ac in conſcientia tranquilli nihil prorſus habent quod extimeſcant, neque hoſtes, neque amiſſionem bonorum, vel urbis, vel ipſius quoque Templi, ita ut nihil ſit futurum quod eos angat excrucietve in mundo: conf. *Pſalm* 4: 9. 16: 9. *Prov.* 1: 33. Aliàs tamen etiam hæc loquendi norma magis juxta literam capi poſſet ſenſu, ſive magis generali, ſive magis ſpeciali, prout *terra*, ubi Meſſias beneficia hæc omnia præſtaret, vel ſtricte ſumitur pro Canaäne, vel late pro tota terra, uti §. XVI. diximus. Si ſtricto accipiatur ſenſu, eſſet, quod Juda & Iſraël in terram ex captivitate ſuam reſtituti, ibi habitarent *ſecure*, non amplius inde denuo expellendi. Quò diſerta penes noſtrum Jeremiam Vatem loca facere videntur. Ex. gr. *Cap.* 32: 37. *Reducam eos in locum hunc, & faciam ut habitent ſecure.* Et *verſ.* 41. *Plantabo eos in terra hac firme.* Et *Cap.* 33: 16. iſta promiſſio ſpeciatim magis ad ipſam *Hieroſolymam* adſtringitur. Poſſunt & plura loca eòdem ducentia reperiri apud Ezechielem *Cap.* 28: 26. 34: 27 & 28. *Zach.* 14: 11. In quibus eadem hæc noſtra vox בטח occurrit. Verùm & hæc

Et ſecure habitabit.

am-

ambiguitas phraſeos poſthac per rem ipſam determinabitur.

C. Tempus, in diebus ejus.

XXII. Tempus certe, quando hæc ſalvatio ac ſecura habitatio obtineret, deſignatur בימיו / *in diebus ejus*, id eſt, Germinis Regis, & qui *ejus* ſpeciatim forent: *&* κατ' ἐξοχὴν in diſtinctione *aliorum* dierum, qui præceſſerant, & tunc præterire debebant. In qua tamen temporis deſcriptione abſque ſpecifica determinatione, dubium relinquitur, utrum hic promiſſa accipienda ſint de toto dierum illorum decurſu; an verò de eorumdem initio, progreſſu, vel fine? At verò nihil impedit, quò minus latiſſimo hos *dies* ſenſu ſumamus, ita ut iſthæc, quæ pollicetur Deus, *iſtorum* quidem *dierum* principio exhiberi incipiant, donec temporis porro tractu magis magiſque impleantur, donec tandem in *fine dierum* ad ſuam perveniant ἀκμὴν & conſummationem plenariam.

C. Quo nomine a ſubditis honorandus: Et hoc erit nomen ejus. Ubi.

XXIII. Supereſt tandem Tertia pars literalis explicationis, ut ſcilicet conſideremus quid hic *ſalvatus* ita & *ſecure habitans Juda & Iſraël* in ſignum accepti gratique beneficii ipſe ſit acturus: ſcil. *Nominabunt* hunc ſuum Regem Germen titulo inſigni יהוה צדקנו / JEHOVAM JUSTITIAM NOSTRAM. Infiniti ferme operis foret, & taedioſi plane, ſi omnes hic Interpretum in hæc verba vellemus ſententias adducere: quiſque enim illa eum in modum interpretatur, prout hypotheſi ſuæ, quam ſemel ſtatuit, inſervire poſſunt. Et ut verum fatear, non omni quoque carent hæc verba difficultate; præ primis cùm iſtud encomium, quod hic loci de *Rege Germine* dicitur, in horum verborum repetitione *Cap.* 33: 16. *Hieroſolymæ* adſcribi videatur. Verùm ad ea, & ad alia a Socinianis, (contra quos in ſpecie agit Joſ. Placæus *Diſputat. Part.* 2. p. 216.) & ab Illuſt. Grotio (contra quem ex profeſſo agit Abr. Calovius *Bibl. Illuſtrat.* in *h. l.*) allata, & nos reſponſuri ſumus in ſequentibus. Nunc unam modo alteramve ex præcipuis aliorum ſententiis commemorabimus, & noſtram præ primis, quam ſelecturi ſumus, rationibus adſtruemus.

1. In genere

XXIV. Sunt qui hæc verba, *vocabit ipſum*, JEHOVA

VA JUSTITIA NOSTRA, ad Deum Patrem referant, ac ſi ille, qui *Germen Regem* JEHOVAM *Juſtitiam noſtram* vocaturus eſſe hic prædicitur, foret ipſe ille Deus Pater, qui hoc Germen & ſuſcitaret, & Regem felicem faceret, nomenque etiam tam excellens ei imponeret. Hoc ſenſu οἱ LXX. Καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτῷ, ὃ καλέσει αὐτὸν Κύριος, ὃ εἰρηκὲν τοῖς Προφήταις. Quod ultimum videtur deſumtum ex initio *verſ.* 9. Conferri hic ea poſſunt quæ hac in parte ex Judæis citantur a Friſmutho in *h. l. Cap.* 2. §. 15. Non verò placet hæc explicatio duas potiſſimum ob cauſas. 1. Quia JEHOVA ipſe eſt, qui hanc enunciat Prophetiam: qui ergo, ſi ipſe ille hoc nomine appellaret Germen Regem, non utique debebat de ſe ipſo ſermonem inſtituere in tertia perſona, *Vocabit* ipſum; ſed pergere, uti antè cœperat de ſe loqui in prima perſona, *Vocabo* ipſum. 2 Quia etiam, ſi ipſe Deus Pater hic loqueretur, hoc nomen impoſiturus, non deberet dicere, JEHOVA *juſtitia noſtra*, ſed JEHOVA *juſtitia illorum*, Judæ puta ac Iſraëlis. Quid enim hoc eſt, Germen fore *juſtitiam* JEHOVAE, nulla prorſus indigentis juſtitiâ? Quæ tamen ratio priore infirmior eſt. Poſſet enim forſan excipi, quod Deus Pater videatur Regem hunc vocaturus eſſe, *juſtitia noſtra*, id eſt, juſtitia, quam Deus Pater & Rex ille pariter procurarent darentque Iſraëli & Judæ, uti phraſes illæ *juſtitia Dei*, & *quæ ex Deo eſt*, nec non *juſtitia Chriſti*, etiam apud Paulum frequentiſſimæ ſunt, ubi agit de peccatoris juſtificatione per alienam *juſtitiam*, a Deo ſcil. Patre donandam, a Chriſto verò Mediatore impetrandam. Prorſus uti in V. T. *Ad tuam juſtitiam non perveniant*, ait Meſſias ad Deum Patrem *Pſal.* 69: 28. At de ipſo Meſſia dicitur *Pſal.* 22: 32. *Annunciabunt ipſius juſtitiam populo naſcenti.* Fatendum tamen eſt ſimplicius pergere orationis ductum, ſi ſupponantur homines peccatores *vocaturi* Regem hunc, *Juſtitia noſtra.*

a. Quis fic vocabit eum? An Deus Pater?

XXV. Alii, uti præter alios multos, noſtri quoque Interpretes Belgæ, verba וזה שמו אשר יקראו reddenda autumant juxta genium hunc linguæ, quô tertiæ perſonæ verbum

An unuſquiſque homo, phraſi Hebraica?

bum activum interpretandum venit, vel *paſſive*, vel potius per *ellipſin* alicujus nominativi commodè ſubintellecti. Quô modo יקראו explicandum eſt, vel per *vocabitur*, a quolibet nimir. ad ejus regnum pertinente; vel potius, *vocabit eum*, np. quod ſubintelligitur, *unuſquiſque homo*; vel potius, quod ex proximo repeti poteſt, *Juda & Iſraël ille*, de quo modò ſermo factus erat. Convenit autem verſio τῶν LXX. Καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτῷ, ὁ καλέσει αὐτὸν, quiſque ſcil. Κύριος Ἰωσιδέκ. Ita quoque Chaldæus hanc paraphraſin inſtituit: *Et hoc eſt nomen ejus, quod ipſi vocabunt eum.* Hieronymus: *Vocabit eum.* Ita & R. Dav. Kimchius: *Iſraël vocabit Meſſiam hoc nomine:* JEHOVA *juſtitia noſtra.* Unde ſenſus admodum commodus fluit, quod ſcil. *Juda* & *Iſraël*, qui hujus Regis populus cùm ſit, ab ipſo *ſalvandus* & accepturus *habitationem ſecuram*, propterea & ipſum agniturus pro Rege ſuo, jure etiam in ſignum gratitudinis pro beneficiis acceptis, ipſum vocabit, JEHOVA *juſtitia noſtra*, ſcil. *eſt*: vel in Vocativo; ô JEHOVA *juſtitia noſtra!* quemadmodum ſic legunt Junius ac Tremellius, Altingius, aliique. *Quomodocunque autem conſtruantur*, (*quo*, vel *qui vocabit eum*) *ſenſus verus eſt & ad rem facit. Nec unus ſenſus abſque alio conſiſtere poteſt*, inquit Celeb. Coccejus, qui hac in cauſa fuſius conſuli poteſt, nec non Eruditus Altingius, in ſuis ad *h. l.* Commentariis. Poteſt cum fructu multifario etiam conferri Sal. Glaſſii *Philol. Sacr. L.* 1. *Tract.* 1. de *Text. Hebr. Purit.* §. 66.

An nomine hoc tanquam proprio Germinis?

XXVI. Quod ita tamen haud capiendum, ac ſi hic prædicatur illud, JEHOVA *juſtitia noſtra*, tanquam proprium hujus Germinis Regis nomen, ei a Deo, vel hominibus imponendum fore, ubi manifeſtatus in carne foret: nequaquam. Quippe *vocari* Hebræis idem ſæpe eſt quod *eſſe*; & conſequenter pro tali *agnoſci*, *prædicari*, *laudari*, uti ex *Eſai.* 7: 14. *vocabitur Immanuel*, & aliis locis paſſim obviis jam dudum annotarunt Interpretes. Duo tamen alia habeo obſervata, quæ huc videor poſſe accommodare. Primum, quod

quod habet Mohammed Alcorani *Surat.* xx. §. 8. *Deo ſunt nomina pulcherrima.* Alterum, quod Chaldæus ad *Zach.* 4: 7. nomen Meſſiæ dicit eſſe מלקדמין / *ab æterno.* Quorum certè neutrum de *nomine* hoc Meſſiæ negari poteſt. Nam uti nihil majus cogitari poteſt, quàm quod ipſe JEHOVA fiat *Iſraëlis juſtitia*, uti in reali explicatione patebit; ſic admirabile hocce opus neque fieri, neque prædicari potuit, niſi juxta æternam Dei prædiſpoſitionem.

XXVII. Hæc verò ita breviter in genere dicta nunc in ſpecie paulo magis deducamus ac confirmemus. Primum igitur hic in *Germinis* noſtri *Regis* nomine occurrit, quod vocandus eſſet JEHOVA, quod cùm ſolius veri Dei ſit memoriale, quemadmodum demonſtratur abunde in locis Catecheticis, conſequenter hinc deducimus, quod *Germen Rex* ipſe revera Deus ſit futurus. Vim hujus ſequelæ pervideruntJudæi ipſi, apud quos ſolenne eſt *Germen* hoc vocare JEHOVAM, atque nomen hoc ex textu noſtro probare: quemadmodum deinceps ex ipſorum ſumus allegaturi teſtimoniis, quæ & multa etiam congeſſerunt Daſſovius & le Moyne in ſuis in *h. l. Exercitationibus.* Ab iis autem Deitatis Chriſti hoſtibus, qui, ut pariter ex Syſtematicis notum eſt, nomen JEHOVA maligno ſcopo etiam creaturis dari contendunt, de qua re hic poteſt conferri Buxtorfius *de Nominibus Divinis pag. m. 6. & ſeqq.* ab illis, inquam, quod mireris, non admodum etiam alieni ſunt Chriſtiani nonnulli. Sed uti paſſim omnes hoc tentant Theologi, ita omnes iſtas cavillationes ſolide etiam refutavit le Moyne *loc. cit. Cap.* 5. §. 11. & 12. Melius profectò ſcribit Moſes Maimonides *Mor. Neboch.* L. 1. C. 61. *Nomen hoc* (JEHOVA) *non communicatur cum altero.* Et dat rationem: eò *quod ſignificat Divinam eſſentiam per ſe ſine ullo reſpectu ad creaturam.* Id quod R. Albo ita brevius exprimit: *Propter eſſendi rationem.* Similia habent Abarbanel, & alii, hic non tranſcribenda cuncta. Poſſunt hac de re plura videri apud Theod. Hackſpanium in *Notis Philol. Theolog.* ad *h. l.* qui & ibi re-

11. *In ſpecie partes hujus nominis. a.* JEHOVA. *Germen ergo verus Deus b.* Juſtitia noſtra.

futat Socinum, *Epiſt.* 3. ita de hoc loco ſcribentem: *Senſus revera non eſt, iſtum vocatum iri* JEHOVAM *ſimpliciter & abſolutè; ſed per eum a* JEHOVA *datum iri Juſtitiam, propter quam cauſam poterit nomen ejus dici* JEHOVA *juſtitia noſtra.* Quæ aperta omnino noſtrorum verborum detorſio eſt. Alterum quod in hoc ejus nomine conſideramus, eſt, quod nominabitur ſimul; *Juſtitia noſtra.* Cujus epitheti emphaſin ſatis eleganter, prout ego quidem judico, Magnus noſter Calvinus delineavit in *h. l. Propterea*, inquit, *in prioribus redemtionem promiſerat, hic vero Redemtorem deſcribit; eumque fore pronunciat &* Deum, JEHOVAM, *qui etiam quatenus eſt Deus, nos juſtificat, regenerat &c. &* hominem, *Filium Davidis.* Quid autem ſit *juſtitia*, quô modo ea in Adamo perdita, in Chriſto peccatori reſtaurari debeat: quid etiam ſit *juſtificatio*, quare ad eam Mediatore Deo & homine opus fuerit, etiam Junioribus ex Catecheticis notiſſima ſunt. Relegi hic poſſunt, quæ ſuprà ad phraſin, *facere jus & juſtitiam*, explicandam etiam ex Cramero attuli §. XIV.

In quo titulo variæ latitant poſitiones.

XXVIII. Id tamen addam, quæ, & quàm magna illi, qui Regem hunc *vocaturi* eſſent JEHOVAM *juſtitiam ſuam*, eo nomine exprimere velle forent cenſendi. Illi igitur eo ipſo nomine confitentur. 1. Se nullam prorſus habere juſtitiam propriam, contrà verò impuros ſe, & condemnationi eſſe obnoxios, *Jeſ.* 64: 6. 2. Seſe plane tamen eſſe perſuaſos, ut coram Deo ac juſto ejus compareant conſiſtantque tribunali, ſe omnimodo ſufficienti & perfectiſſima quadam opus habere juſtitia, conf. *Pſalm.* 15: 10. & 143: 2. 3. Se ergo dum eam nequaquam inveniant in ſe, abnegatâ omni ſua, quæ nulla omnino eſt, juſtitia, palam ad hoc ſe Germen Regem ejuſque juſtitiam confugere, qua nitantur toti, ſibi applicatâ per fidem. 4. Seſe verò, dum ita faciant, velle id per nomen glorioſum ipſi inditum publice profiteri, & de Rege illo, tanquam unica ſalutis ſuæ cauſa gloriari. Immo vero 5. Se pro ea non gratias modò, quas ſummas ſane debent, Deo agere, verùm & de ea maximopere, ut unica ſuæ ſalutis cauſa, gloriari, quæque ſimul ſit omnium porro

ro benedictionum Divinarum origo, tendentium vel in ſempiternam animarum ſalutem. De qua quidem juſtitia ſibi applicata ita plane certi ſint ac convicti, ex ejus fructibus ad ſanctificationem pergentibus, ut nihil prorſus habeant de quo glorientur, vel in vita, vel in morte, niſi de hoc unico, hoc Germen Regem eſſe JEHOVAM *Juſtitiam ipſorum*. Rerum modò indicavimus fundamenta: & alia plura dabit Celeb. Coccejus in *h. l.* qui hac in cauſa conferri omnino meretur.

XXIX. Quæ magnifica cùm hac promiſſione continerentur, operæ erat pretium, ne quis vel minimum ambigat, quin hæc omnia, cùm ratione Germinis noſtri Regis, tum etiam Judæ & Iſraëlis revera ſic eſſent futura, ideo pro ratione additur, quod hic promiſſio ſit, נאם יהוה / *Pronuntiatum* JEHOVÆ. Non modò dicitur אמר יהוה / tanquam *per ſententiam a Judice latam*, ſed נאם יהוה / quod majus eſt, notatque *aſſeveranter dicere*, & tale quid *denuntiare*, quod certò *effectum ſit conſecuturum*. Quare & in rebus ſummi momenti majoris certitudinis cauſa adhibetur; uti jam probe notavit Forſterus in Lexico ad hoc verbum. Qui porro *Nomen* id eſſe credit Participiale, notareque *ſermonem certum*, *dictum indubitatum* & *fidele*: uti & Buxtorfius, exponens illud *dictum*. Qui poſterior in Lexico Rabbinico ſcribit: *Nota literarum hujus vocis tranſpoſitionem* נאם / אמן / Cùm verò in Lexico Hebraico ad *h. v.* dicat; *Vid.* אמן / componit itaque נאם cum verbo האמין / cum quo & nomen אמת / *veritas*, *certitudo*, cognationem habet. Idcirco exponi poteſt non per, *dictum* ſimpliciter, ſed per, *certum veriſſimumque dictum*. Quod Deo tribuitur per modum jurisjurandi, ut notet id, quod *dicit* Deus, certo eventu comprobatum iri. Adeo ut hæc locutio ſit ſigilli inſtar, quo ſua dicta Deus conſignet firmetque. Alii verò τὸ נאם *Verbum* eſſe cenſent: de quo conſuli poteſt Jac. Guſſetius in *Lexico*: convenientes tamen in eo omnes, hujus verbi emphaſin eſſe quam modò dixi: de quo plura ſuppeditabit Mart.

Quæ omnia obſignantur grandi effato נאם יהוה /

Geierus ad *Pſalm.* 36: 2 & 110: 2. Quibus id addiderim, quod Ainſworthus ad *Gen.* 22: 16. ubi de Deo, jurante apud Abrahamum, refertur, quod dixerit נאם / ad hoc verbum ita commentatur: *Iſtud*, inquit, נאם *peculiari modo competit oraculis divinis, quæ omnia ſunt eloquia fide digniſſima, uti dicitur* 1. *Tim.* 1: 15. πιςὸς ὁ λόγ@. Quin nec deſunt, qui illud נאם exiſtiment expreſſum eſſe per iſtud Pauli ſolenne, πιςὸς ὁ λόγ@, quod præmittere vulgò ſolet Apoſtolus, ubi rem certam plane ac indubitatam aſſerturus eſt. Cæterum obſervat quoque Vir ille inſignis, ex hoc נאם per tranſpoſitionem literarum derivari אמן / *Amen.* Adeo ut hæc vox ſummam denotet & indubitatam certitudinem illius reī, quam promittit ille Deus, qui ipſe ob veracitatem ſuam eſt Deus אמן / *Deus verax.*

THEOLOGICA DETERMINATIO SUBJECTI.

Quod non eſt Zerubbabel, quod vult Grotius.

XXX. Grammatica prædicatorum explicatione abſoluta, nunc ex ordine §. II. præſcripto ad inquirendum *Subjectum* tranſeo. Judæorum recentiorum plurimi, ſed hac in parte ab orthodoxia Patrum ſuorum longè recedentes, hic de *Zerubbabele* agi opinantur. Horum non lubet teſtimonia hic deſcribere paſſim obvia. Atque id quidem in eis fortaſſe aliquo modo eſſet ferendum, utpote quorum cordibus velum Moſis impoſitum eſt, quo interjecto, uti viſu ſuo penetrare non valent ad eum, qui Legis finis eſt unicus; ſic eôdem impediente *liber viſionum*, ſive prophetiarum ipſis factus *liber obſignatus*, quemadmodum comminatus iis eſt Deus per Eſaiam *Cap.* 29: 10. *& ſeqq.* Verùm ſimile quid nonnullos etiam inter Chriſtianos ſomniaſſe, id difficile prorſus eſt toleratu, & in tanta Euangelii luce vix, aut ne vix quidem, ignoſci poteſt. Neque tamen ſoli Judaizantes Sociniani, vix aliud niſi corporalia in promiſſis Divinis reperientes, citra ullum ad Meſſiam reſpectum ſic inſtituunt; ſed & paria hac in parte cum ipſis faciens Illuſtr. Hug. Grotius in noſtrum locum ſic ſcripſit: *Illud Germen juſtum eſt Zerubbabel, qui* צמח (*Germen*

men aut *Surculus*) *ut hic appellatur, ità & Zach.* 6: 12. *nimirum quod velut ſurculus renatus eſſet ex arbore Davidis quaſi præciſa. Juſtitiæ nomine commendatur Zerubabel etiam Zach.* 9: 9. Hactenus ille.

XXXI. Verùm enim verò male primùm ad probationem ejus aſſerti affert illa Zachariæ loca, quandoquidem & in illis locis nequaquam agitur de *Zerubbabele*, at verò de *Meſſia*. Quemadmodum & ſecundò hæc ſententia ex re ipſa quoque refellitur. Nullibi quippe vocatur *Zerubbabel Rex*: quo tamen nomine gaudet Germen Davidicum in noſtro textu. Nunquam etiam *Zerubbabel* Rex fuit, cum Regia poteſtas fuerit exſtincta in Jechonia, & Ducalis ceperit in Salalthiele Jechoniæ ſucceſſore, Zerubbabelis verò prædeceſſore, quæ & in poſteris quoque brevi exſpiravit. Conf. Spanhemius Pater in *Dub. Euang. P.* 1. *dub.* XX. §. XV. Unde & diſerte audit פחה / *Dux, Præfectus, Gubernator*, in diſtinctione τῶ מלך / quo nomine inſignitur Darius in uno eodemque loco, ubi hæc duo nomina ſimul occurrunt *Hag.* 1: 1. conf. inſuper *Mal.* 1: 8. Grotius verò prævidens hanc objectionem, uti malè inceperat, ita pejus pergit. Excipit ad hanc rationem laudatus Grotius: *Nomen quidem*, ait, *Regis & Regni inſignia non ſumſit ſibi Zerubabel, ſed a ſuis pro Rege cultus fuit, quantum res ferebant, vera quippe Davidis progenies: ideoque Rex appellatur etiam apud Zach.* 9: 9. *& hic infra Cap.* 33: 17. *figuram gerens Chriſti ſatis manifeſtam.* Mera iterum & tanto viro indigna petitio principii; nam neque in illis locis de Zerubbabele, at de Meſſia ſermo fit. Præterea, Zerubbabelem hic vocari Regem, quia vel ex Davidis proſapia oriundus fuit, vel figuram Chriſti geſſit, gratis quidem dicitur, nullo autem exemplo idoneo confirmatur. Quid? An omnes illi, qui Davidis ſunt progenies, vel Meſſiæ typi, *Reges* ſtatim ſunt dicendi? Nemo, ut reor, id affirmaverit. Summus certe Sam. Bochartus, videns Illuſtr. Grotium hunc noſtrum Textum ad Zerubbabelem trahere, maximè ſtomachatur, & citans Theodoreti verba in Judæos, ea & in ipſum Grotium Judaizantem dicta velit. Illa autem verba hæc ſunt:

Quia 1. *Zerubbabel nec fuit, nec vocatur Rex, ubi exceptio Grotii diluitur.*

Ταῦ-

Ταῦτα οἱ ἐμβρόντητοι Ἰουδαῖοι εἰς τὸν Ζοροβάβελ ἕλκειν ἀναιδῶς ἐπιχειροῦσιν &c. *Hæc fulguriti Judæi* (id eſt, tam ſtupidi & attoniti, quàm qui fulmine icti ſunt) *ad Zorobabelem trahere impudenter conantur. Sed illos conſiderare oportuit eum non fuiſſe Regem, ſed populi Ducem; neque vocatum fuiſſe* Joſedek (quomodo οἱ Septuaginta reddunt, & quod laudatus Bochartus credit poſitum pro יהוה צדקנו, *Dominus juſtitia*) *imo nec ei convenire hujus appellationis interpretationem. Significat enim hoc nomen*, Dominus juſtitia noſtra; *aut juxta Syram verſionem*, Domine juſtifica nos. Ita Theodoretus apud Bochartum, *Hierozoic. L. 2. C. 17.* Plura ex eodem hoc Theodoreto, nec non Euſebio, teſtimonia congeſſit Cl. le Moyne *loc. cit.* C. 1. §. 13. Poteſt itidem conferri Calovius contra Illuſtr. Grotium diſputans in *h. l.*

Quia 2. prædicata Zerubbabele major a ſunt.

XXXII. Sed & 11. Aliud contra hos Judaizantes argumentum adeſt ex prædicatis cæteris, quæ talia ſunt, ut nulla veriſimilitudinis ſpecie Zerubbabeli attribui queant. Nam 1. Quis eſt ille Zerubbabel, ut ut excellens Princeps, qui κατ' ἐξοχὴν צמח / ſive *Germen* appelletur? Quo emblematico titulo indicatur ab *una parte* Davidis regia domus ad terram uſque ſucciſa adeo, ut nec corona, nec ſtirps ampliùs appareat; ab *altera* autem parte eodem titulo commendatur nova quaſi domus latitantis efflorescentia, quae priſtinam ei gloriam reſtituat? Iſthoc enim ſenſu titulus ille jam ante Jeremiam ab Eſaia *Cap.* 11. uſurpatus fuerat. Neutrum verò horum in Zerubbabelem quadrat. Palam enim tunc exſtabat domus Davidica, corona ſua quidem nuper orbata in perſona, attamen in ducali adhuc dignitate perſeverans. Et Zerubbabel gloriam amiſſam nequaquam illi reſtituit. 2. Porro quis & ille Zerubbabel, qui *juſtitiam & judicium ſit facturus*, non in Judæa tantùm, vel Paleſtina, at *in terra*, quod regnum aliquod œcumenicum & univerſale prorſus deſignat? Adſcribam verba Abarbanelis *Zach.* 3: *Qualis es Rex? Meſſia! qui mons magnus coram Zerubbabele, q. d. quod in comparatione & reſpectu ejus futurus ſis mons magnus. Nam Zerubbabel fuit Dux Judæ; hic autem erit Rex omnium Regum terræ.* 3. Quæ etiam ſub Zerubbabele fuit *ſalus*

lus Judæ, & habitatio ſecura Iſraëli: cùm vivente adhuc Zerubbabele, loco *ſecurae habitationis* omnia a vicinis Gentibus maximè turbarentur, quod ſatis liquet ex libris Ezræ ac Nehemiæ.

XXXIII. Denique III. Peremtorium argumentum oritur ex nomine illo huic *Germini* dando, JEHOVA JUSTITIA NOSTRA. Quod cùm nec ipſe quidem Grotius Zerubbabeli applicare auderet, detorſit ultima hæc verba a Zerubbabele ad populum Iſraëlis poſt captivitatem Babylonicam, ita ſcribens: *Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum: nempe populum.* Verùm enim verò pudenda iſta eſt detorſio. Quodnam enim ſignum mutati tam ſubitò *ſubjecti* hic adeſt? De *Germine* omnia prædicata hactenus enunciata erant. Nunc tandem apponitur nomen, quo vocarent *eum* (יקראו) Nemo ſanus id pronomen demonſtrativum de alio explicet ſubjecto, quàm de quo omnia hactenus prædicata explicanda erant. De *Germine* initio pericopæ memorato evidentiſſime modò dictum erat, בימיו *in diebus* IPSIUS *ſalvabitur Juda.* Nunc de *eodem Germine* continuata oratio eodem illo pronomine ait: *Et hoc nomen* IPSIUS, *quo vocabit* quisque EUM, i. e. evidentiſſime iterum *Germen ipſum* JEHOVA *juſtitia noſtra.* Qui ſimplicitatem amat, neque doloſas quærit ambages, de nemine alio hic cogitabit. At, inquies, *Juda* & *Iſraël* memoratus proximè erat, ut *ſalvaretur, & ſecure habitaret.* De ſubjecto itaque illo proxime memorato, tanquam adeo felici futuro, commode ſatis hic addi poterat: *Et hoc erit nomen, quo unuſquiſque populum tam felicem adſpiciens vocabit ipſum, JEHOVA beneficentia noſtra,* ſive *nobis benefecit.* Verùm ſi hoc nomen ab aliis dandum foret populo Iſraëlitico, tum non deberet legi, JEHOVA *Juſtitia* NOSTRA, ſed EORUM. Conf. quæ antè obſervavimus. §. XXIV.

Quia 3 Epitheton JEHOVA juſtitia noſtra, in eum haud quadrat. Quod ideo ipſe Grotius ad Iſraëlem detorquet, ſed male.

XXXIIII. Et alia inſuper illuſtri Grotio inſtantia eſt, ex collatione *Cap.* 33. 16. noſtri ejuſdem Vatis, ubi eadem ferme verba repetuntur, quæ in hoc loco *Cap.* 23. occurrunt: hac tantùm cum varietate, ut ibi dicatur non de Iſraële, ſed de ipſa *Hieroſolyma*, eam *habitaturam ſecure*; & tum

Uti & male hic confertur Jer. 33. 16.

addatur: וזה אשר יקרא־לה יהוה צדקנו / quod juxta literam quidem ita transferri poſſet: *Et iſte qui vocabit eam, Dominus juſtitia noſtra.* Sed contendit Vir Eximius, idem quod de *populo* dicitur in noſtris quæ præ manibus habemus, nuncupari *Cap.* 33: 16. de civitate Hieroſolyma; & idcirco, quod *Cap.* 23: 6. eſt יקראו / *vocabunt eum*, id *Cap.* 33: 16. eſſe יקרא־לה / *vocabit eam.* Neque abludunt Ludov. Cappellus *Spicil.* ad *Matth.* 1: 17. Et Corn. a Lapide in *h. l.* Quibus & præivit Joan. Piſcator, qui per Hieroſolymam tum intelligunt *Eccleſiam Novi Teſt.* quæ vocanda eſſet JEHOVA *juſtitia noſtra, propter connexionem Chriſti capitis cum hoc corpore myſtico.* At hæc quoque interpretatio perverſa rurſus hypotheſi nititur. Non enim Jeruſalem vocatur JEHOVA *juſtitia noſtra*, ſed tantummodo innuitur quid in illa civitate prædicandum foret, prodituros ſcil. præcones ac Euangeliſtas, haec verba, ceu fidei ac confeſſionis ſuæ ſymbolum, continuo in ore habituros, JEHOVA *eſt juſtitia noſtra.* Quod ſi per omnia fortè non placet, poſſumus dicere, locum *Cap.* 33. aliter explicandum ac noſtrum *Cap.* 23. Etenim *Cap.* 33. non reperitur τὸ שמו / *nomen ejus*; quod exſtat *Cap.* 23. Inſuper aliud ibi quid occurrit, quod in noſtro loco non offendimus, ſcil. τὸ לה / quod cùm fœmininum ſit, ſatis claret ad ירושלים / cujus *Cap.* 33. diſerta eſt mentio, eſſe referendum. Atque adeo verba ea & ſic commodè verti poſſunt: *Ille, qui prædicabit illi* (ſc. Hieroſolymæ) *eſt Dominus juſtitia noſtra.* Et ſic ſenſus erit, hoc Germen Regem eum fore, qui per prædicationem ſuam vocaturus eſſet Hieroſolymam ad ſui communionem, & qui foret JEHOVA *juſtitia noſtra.* Cujus rei notabilis caſus exiſtit *Matth.* 23: 37. Ut ut ſit, hæc omnia ſatis, ut opinor, probant, hæc prædicata neque ad Hieroſolymam, multo minus Zerubbabelem referri poſſe: quod & fuſe refutavit Abr. Calovius in *Bibl. Illuſtr.* in *h. l.* & noſter Cl. le Moyne in *h. l. Cap.* 5. §. 14. Cum quo

quo conferri ea poſſunt quæ ſcripſit Joan. Jac. Cramerus in *Theolog. Iſraëlis Part.* 2. *Diſſert.* in *Exod.* 23: 20...23. *Cap.* 8 §.7. nec non Camp. Vitringa *Obſerv. Sacr.* P. 3. p. 339.

Subjectum verum eſt Meſſias.

XXXV. Quæ hactenus diſputavimus eò præcipuè ſpectant, ut remotis hypotheſibus falſis vero tandem & genuino ſubjecto hoc noſtrum Vaticinium applicemus. Id quod ſine ambagibus dicimus eſſe Meſſiam, Davidis iſtud Germen Juſtum, ſuo olim tempore ex ejus lumbis naſciturum, & cuncta iſthæc præſtiturum quæ hic pollicetur Deus. Quod dogma, ſive potius interpretamentum Oraculi hujus præclariſſimi, tanti in Chriſtianam rem videtur eſſe momenti, ut operæ pretium videar facturus, ſi aliquanto diligentius id demonſtrem argumentis ſelectioribus.

Quod probatur. 1. Ex antecedentibus textus.

XXXVI. Horum *Primum* eſto illud ex ipſo Textus noſtri nexu cum antecedentibus, quæ nos ad tempora Meſſiæ liquido perducunt. Quam enim *viſitationem* comminatur paſtoribus Deus *verſ.* 2. ea ipſis evenit in captivitate Babylonica. *Recollectio* porro diſperſarum ovium, *multiplicatio* earundem *vers* 3. *& ſuſcitatio paſtorum*, ſub quibus *tutæ forent & ſecuræ*, *vers* 4. uti clarè ſatis conveniunt cum ſignis temporum, jam olim à Moſe traditis *Deut.* 30:1-6. & quæ infra etiam offendemus *Jerem.* 30. *vers.* 18. & *ſeqq.* ita ordine nobis exponunt reductionem ex captivitate in Canaänem, multiplicationem ibi factam, & reſtaurationem Eccleſiæ ac Politiæ ſub Maccabæis Ducibus & deinceps. Cum harum porro rerum lætiſſimarum præſtatione ordine connectitur promiſſio de ſuſcitatione iſtius Germinis Davidici; tanquam a quo afferenda eſſet felicitas adhuc longè celebrior præ illa, quam unquam antea expertus fuerat Iſraël, quantumvis ſplendida illa eſſet ac memorabilis. Quæ ſanè promiſſionis, & cum anterioribus connexio, & præ illis excellentia nos neceſſariò ducit ad ipſum Meſſiam. Quam in rem eleganter Calvinus noſter in *h. l. Confirmat hic Propheta, quod nuper promiſit de Eccleſiæ inſtauratione, & Paſtorum fidelium exhibitione, proponendo illis unicum illum Paſtorem, in quo fœdus Dei omnesque promiſſiones fundantur* 2 *Cor.* 1:20. *Et hinc ſolenne eſt Prophetis, quoties*

populo ſpem ſalutis facere volunt, adducere in medium adventum Meſſiæ, quia nihil ſalutis ſperandum erat niſi in Mediatore promiſſo. Quò etiam pertinent verba Abarbanelis in *Eſai.* 2: 1. de אחרית ימים / *extremo dierum*, quos eſſe eoſdem cum ימים באים / *diebus venientibus h. l.* memoratis, ſuprà diximus, ita ſcribentis: יאין ספק שיכוון לימות המשיח וכ"ל /

Non eſt dubium quin intenderit (Propheta) *dies Meſſiæ, qui erunt extremum, ſive finis anguſtiæ & exilii Iſraëlis; non enim affligentur amplius exilio alio, ſed ſalvabuntur ſalute æterna.*

2. *Ex præfatione repetitæ hujus promiſſionis* Jer. 33: 14.

XXXVII. Alterum peto ex præfatione, ſive commendatione præclara, ſub qua Deus eandem hanc promiſſionem repetit *Jer.* 33: 14. *Ecce*, ait Deus, *dies venturi ſunt, dictum* JEHOVÆ, *quum præſtabo* את הדבר הטוב / *verbum illud bonum*, quod *locutus ſum erga domum Iſraëlis* &c. ubi *illud verbum bonum* in Hebræo effertur cum duplici ה demonſtrativo: ut tale *verbum* denotetur quod reliquis Dei verbis antecellit, & quod κατ' ἐξοχὴν *bonum* eſt, id eſt, *optimum.* Dederat nempe Deus multa verba *bona*, ſeu plures egregias promiſſiones Iſraëli, verùm primas facile tenebat, ceu reliquorum omnium caput & coryphæum, Ευαγγέλιον iſtud, ſeu bonum verbum *promiſſionis de dando Meſſia*, quod ipſi Judæi uno ore affirmant omnes. In *hoc* ergo *bono verbo* agitur de Meſſia.

3. *Ex ipſis Textus verbis, uti α. Ex objecto* צמח / *quod Chaldæo & ipſis Judæis dicit Meſſiam.*

XXXVIII. Ex quo argumentum ergo Tertium, ſive potius argumentorum plurium caterva prodeat, ex ipſis oraculi hujus verbis, quæ tam evidenter Meſſiam deſignant, ut & ipſi Judæi id agnoverint, quanto magis Chriſtiani. De illis prius dicam. Occurrit nempe hic α. Nomen ſubjecti צמח / *Germen.* Quis autem, & qualis per iſtud *Germen* deſignaretur, jam diu antè publicè edocta fuerat Judaica Eccleſia ex Eſaia Vate, qui *Cap.* 11: 1. de Meſſia vaticinans, pollicitus fuerat, eum fore præclarum *ſurculum ex trunco & radicibus Iſai orituram*; quod nemo non de Meſſia intelligit. Notiſſimum ergo jam tunc in Theologia Prophetica nomen Meſſiæ erat צמח /

nec

nc ipſis quidem diffitentibus Judæis antiquis. Vetus enim Jonathanis Targum, non in noſtro Textu duntaxat, ſed ubique, ubi vox צמח / *Germen*, occurrit; quod præter noſtrum locum adhuc quatuor aliis fieri notavimus. §. VI. ſemper illud reddidit per *Meſſiam*. Inter Judæos etiam recentiores Kimchius in *h. l.* diſertè ſcribit: צמח צדיק זה המשיח / *Germen juſtum ille eſt Meſſias*. Et R. Salomo hoc ad Zerubbabelem referre annitens, eo nomine ab Abarbanele notatur. Quæ itidem ratio eſt, quod inter varia nomina quæ Judæi ſolent Meſſiæ adſcribere, & hoc noſtrum nomen צמח recenſeatur. Levius quidem eſt quod adducit Corn. a Lapide in *Zach.* 3:8. np. צמח per metatheſin idem eſſe quod משיח / mutatâ litera צ in ש / ob affinitatem. Magis verò ſtringit, qui hunc in finem citatur inſignis locus ex Tractatu *Sanhedrin Cap.* 11. qui utut prolixior, dignus tamen eſt ut hic totus inſeratur, utpote *ex quo*, uti eximiè obſervat Clar. le Moyne in ſuo Tractatu in *h. l. innumera in gratiam Meſſiæ noſtri ſit colligere*. Is verò ſic ex ejus mente reddendus eſt, prout reperitur *Cap.* 2: §. 2. *Rabbi Johanan dixit, quodnam eſt Meſſiæ nomen? Qui ex R. Schilo* (οἱ περὶ Σίλα, qui ex ſchola R. Schilæ) *dixerunt, quod vocatur SCHILO, ſecundum id quod habetur Geneſ.* 49. *donec veniat Schilo. Qui ex ſchola R. Iannai dixerunt Meſſiæ nomen* INNON, *quia Pſalm.* 72. *dicitur, illius nomen erit in æternum, ante ſolem Innon nomen ejus. Qui ex R. Chanina dicunt, quod* CHANINA, *gratioſus, ſit nomen Meſſiæ: quia Jerem:* 16. *dicitur, non dabo vobis Chanina Gratioſum. Sunt qui dicunt* MENAHEM *filium Ezechiæ eſſe nomen Meſſiæ, quod nimirum ſit* MENAHEM, *conſolator, quia dicitur Lament.* 1. *Longe receſſit a me conſolator. At Doctores alii dicunt, quod nomen Meſſiæ ſit* CHAUARIATA, *leproſus, quia morbos noſtros tulit, & dolores noſtros portavit, at nos reputavimus illum vulneratum, percuſſum Dei & afflictum &c.* His addam quæ habet R. Huna, citatus etiam ab eodem Clar. le Moyne *loc. cit.* ſed & ante eum a Cel. Coccejo in *Notis* ad *Excerpt. Gemar. Sanhedrin, Cap.* XI. p. 379. in 4to. *Octo hiſce*, inquit ille Magiſter, *nominibus inſignitur Meſſias*; Jin-

non, *Pſalm* 72: 17. DOMINUS, juſtitia noſtra, *Jer.* 23: 6. Germen, *ſive* ſplendor, *Zach.* 6: 12. Conſolator, *Eſai.* 51: 3. David, *Pſalm.* 18: 51. Elias, *Mal.* 4: 5. Silo, *Gen.* 49: 10. Porro Judæi ex eo, quod Meſſias vocatur מנחם / *conſolator*, eum quoque denominari צמח / *Germen*, conficiunt per ſuam adeo decantatam Cabbalam, cujus ſpecies eſt *Gematria*, hoc modo ſcil. quod in voce מנחם litera מ faciat numerum 40. נ 50. ח 8. מ rurſus 40. Qui numeri unà ſupputati conficiunt 138. Hunc autem eundem numerum conficiunt literæ תּ צמח / nam צ facit 90. מ 40. ח. 8. Qui denuo idem numerus eſt 138. Tali autem pacto, uti notum eſt, ſolent Judæi Cabbaliſtæ unam vocem per aliam, cujus literæ eundem cum priori conficiunt numerum, interpretari. Ejuſmodi plura reperire eſt penes Buxtorfium in *Lex. Talmud. Rabb.* ad vocem גמטריה / pag. 446. nec non Hottinger. *Theſaur. Phil. l.* 1. *C.* 3. *Sect.* 5. de *Cabbala* p. 452. Non quidem abnuerim in iſthoc argumentandi genere nihil ſoliditatis ſitum, ubi cum Chriſtianis res eſt, valet nihilominus *ad hominem*, veluti loquuntur, id eſt, ad ipſorum Judæorum convictionem, ex quorum medio hoc, quicquid eſt, argumentum deductum eſt, & nequaquam effictum a Chriſtianis. Solidius eſt quod petitur ex *Midraſch* ſuper *Proverbia*, ubi idem occurrit teſtimonium modò adductum de *octo nominibus Meſſiæ*, hic non repetendum. Quô quid clarius & diſertius dici queat non equidem video. Obſervarunt inſuper Judæos adhuc ſolitos in quotidianis ſuis precibus Meſſiam vocare *Germen*, in quibus pro ejus adventus acceleratione ita precantur: צמח דוד עבדך וכ"ל / *Germen Davidis ſervi tui cito fac progerminet, & cornu ejus exalta ſalute tua.*

β. Ex prædicatis de eo, an quibus ipſe iterum Chaldæus ac Judæi Meſſiam intellexerunt, ut ex gr. 1 Ex titulo Juſtl.

XXXIX. β. Occurrunt præterea varia prædicata alia in hoc loco nulli ſubjecto præter Meſſiam quadrantia. Quod argumentum tantæ eſt efficaciæ, ut quemadmodum cœperam dicere, ipſos etiam Judæos cordatiores in aſſenſum traxerit, coegeritque non tantùm Veteres Hebræorum Interpretes ad unum omnes, ſed & Recentiorum ſapientiſſimos, totum

tum hoc vaticinium de Meſſia explicare: ſive eam explicationem fundent ſuper epitheto *juſti*, ſive JEHOVÆ, aut conjunctim etiam JEHOVÆ *juſtitiæ noſtræ*, uti in ſequentibus obſervabis clariſſime. 1. Ad priorem nempe claſſem pertinet, quod vetus Targum Chaldaicum habet: *Ecce dies veniunt, & ſuſcitabo Davidi Meſſiam Juſtorum.* Dav. Kimchius citatus a Doctiſſ. Cartwrigto in *Mellific. Hebr. Cap.* 5. de hoc Germine loquens ait, זהו המשיח / *Iſte eſt Meſſias.* Hujus verba plenius adducta apud Joan. Friſmuthum *Cap.* 1. §. 4. talia ſunt, ut ſi quem lateret hunc Kimchium fuiſſe Judæorum Doctorem inſignem, ille profectò ſeſe interpretationem aliquam Chriſtianam legere putare poſſet. Verba autem ea ſic ſonant; צמח צדיק זהו המשיח וקראו צמח וכ"ל / *Germen juſtum iſte eſt Meſſias. Vocat autem eum Germen, quia ortus ejus inſtar Germinis ex agro creſcentis futurus erat. Cum vero ille juſtus ſit, multi cum ipſo juſti erunt in mundo: quemadmodum dicitur Pſalm.* 72: 7. *Florebit in diebus ejus juſtus. Cum dicitur, & regnabit Rex, ſit illud ad intentandam ſignificationem. Actionis facta mentione, nomen quoque memoratur ipſum: & dum poſtmodum ejus nominis meminit, ad ſignificationis intentionem id eſt:* Ex. gr. *Ezech.* 22: 27. *Eſai.* 5: 6. *Jer.* 12: 1. *Ita hoc loco dicitur, regnabit Rex. Sane dum ait, regnabit, in eo cognoſcimus, eum regem fore. Cæterum hanc quoque vocem addendo, emphaſin voluit ſignificare in regno, np. quod illud in totum terrarum orbem ſit futurum, non ſola Palæſtina: quemadmodum ait de illo Pſalm.* 72: 8. *Regnabit a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos terræ.* Habes hic ex Judæo Chriſtianam ferme interpretationem. Plura etiam ex aliis adduxit laudatus Friſmuthus *loc. cit.* Horum plurima jam antè notaverat Sam. Bochartus *Hierozoic. L.* 2. *C.* 17. Uti & alios inſuper Hebræorum Doctores ſcriptaque, in quibus hæc ad Meſſiam haud indubitanter relata ſunt, velut in libro Talmudico *Berachot*, *Bava Bathra*, *Bereſchit Rabba*, *Middraſch Tehillim* &c. allegavit Illuſtriſſ. Præſul Daniel Petrus Huetius *Demonſtr. Euangel. Propoſ.* VII. §. 16. *pag. m.* 628. *Edit. Lipſ. in* 4. Pertinet huc quod in loco inſigni ex

libro

libro antiquo *Peſikta* allegatur in *Jalkuth Eſai.* 60. citaturque a Jo. Jac. Cramero de *Ara Exteriore Cap.* 12. §. 3. ubi tres Patriarchæ cum Meſſia colloquentes introducuntur, eum plus una vice hunc in modem compellantes; אפרים משיח / צדקנו: *Ephraim Meſſia juſtitia noſtra.* Quod & nos citavimus antè *Diſſert.* ad *Deut.* 18: 15. §. LIV.

2. *Ex titulo* JEHOVÆ juſtitiæ noſtræ.

XL. Addiderim ego 2. Nonnulla ad ſecundam claſſem referenda, & ipſum noſtrum locum, ſive aperta alluſione, ſive diſertiſſima allegatione deſignantia. Ita Midraſch in *Pſ.* 20: *Et de Meſſia Rege ſcriptum eſt* (*Jerem.* 23: 6.) *& hoc eſt nomen ejus quo vocabitur, Dominus Juſtitia noſtra.* Inde legitur in explicatione Rabbinorum in *Threnos Jeremiæ: Quod eſt nomen Meſſiæ? Et reſpondet R. Abba: Deus* (ſcil. *nomen Tetragrammaton*) *eſt nomen ipſius, ſicut dictum eſt Jerem.* 23. *Hoc eſt nomen ejus, quo vocabunt eum, Deus* (*Tetragrammaton*) *juſtus noſter.* Eſt & aliud inſigne teſtimonium R. Chaninæ: *Vocavit autem Regem Meſſiam nomine ſuo. Et quod eſt nomen ejus?* JEHOVA *vir pugnæ. Et de Meſſia ſcriptum Jerem.* 23: 6. *Et hoc eſt nomen ejus quo vocabunt eum, Deus juſtus noſter.* Hæc & alia plura contulit Galatinus *Cathol. Verit. L.* 11. *C.* 1. *& L.* 3. *C.* 9. quæ maximam ille partem deſcripſit ex Raymundi *Pugion. Fid. Part.* 3. *Diſt.* 3. *C.* 2. §. 12. *& ſeqq.* Neque prætereundus locus Talmudicus in *Maſſechet Bava Bathra Cap.* 5. & Jalkuth in noſtrum Textum: שלשה נקראו על שמו של הקדש ברוך וכ"ל / *Tres appellantur nomine Sancti Benedicti* (id eſt, JEHOVÆ) np. *Juſtus, Hieroſolyma, & Meſſias:* & hoc ultimum ex loco noſtro probatur. Immo & inter recentiores Judæos Rabbinos Sal. Jarchus fatetur Meſſiam hic loci dici JEHOVAM *juſtitiam noſtram*, licet *juſtitiam noſtram*, epitheton poſterius, ſic interpretetur, quod Meſſiæ tempore juſtitia ubique ſit locum habitura: ſed quod refutat Jo. Braunius *Select. Sacr. L.* 3. *C.* 5. §. 39. uti ſanè nomen JEHOVÆ competere Meſſiæ, ex multis Rabbinorum commentariis adſtruxit multis teſtimoniis Cl. le Moyne in *h. l.* per *Cap.* 3. *totum.* Quæ ibi coacervata hic brevitatis cauſa omittimus. Nec non

Joan.

Joan. Friſmuthus *Cap.* 1. & Cramerus *loc. cit.* §. 9, 11, 12. Notabile eſt quod illa verba *Eſai.* 26:4. *Quia cum* JAH *eſt* JEHOVA *petra ſeculorum*, a Moſe Gerundenſi, qui floruit ineunte ſeculo decimo quinto, ita explicentur: *Quia in* JEHOVA *eſt* JEHOVA: quorum poſterius ille de Meſſia intelligit, & nos Chriſtiani ita interpretari poſſumus: *Cum* JEHOVA (*Patre*) *eſt* JEHOVA (*Filius*) *qui eſt Petra & lapis angularis Eccleſiæ.* Vid. le Moyne in *Jer.* 23: 6. *Cap.* 3. §. 3. Concludimus ergo hoc noſtrum vaticinium evidenter agere de Meſſia, quod Hebræorum ne quidem pertinaciſſimi negaverint, ne quidem ipſe Abarbanel, Chriſtianorum aliàs adverſarius acerrimus: quæ lubet efferre potius verbis Cartwrigti quàm meis, *Mellif. Hebr. L.* 1. *C.* 5. *Abarbanel etiam agnoſcit hic ſermonem eſſe de Meſſia, etiamſi, Judæorum more, promiſſionem iſtam nondum impletam cenſeat, quia ſcilicet, ſub Templo ſecundo non erat Rex de domo Davidis. Sic Regnum Meſſiæ non niſi carnale & terrenum eſſe ſomniant.*

XLI. Quod ſi ergo ipſi Judæi ex prædicatis nonnullis viderint Meſſiam hujus oraculi ſubjectum eſſe; agedum, nos Chriſtiani idem evincamus, cùm ex nomine צמח, tum ex prædicatis reliquis. Exordiamur a notione nominis צמח, *Germen*; quod duplicem habere interpretationem, & *Orientis*, & *Germinis*, docuimus ſupra §. VI, VII. quorum utraque commodiſſime Meſſiam deſignat. Qui per *Orientem* reddunt, aut vocem hanc acceperunt ſenſu *generaliori*, in quantum ſignificat aliquam perſonam aut rem, quæ antè non viſa, tamen lucida & glorioſa, ſolis ſubito orientis inſtar prodit: aut *ſpecialiori*, in quantum ad ſolis orientis cùm lumen, tum locum magis alludat. Priori maximè modô Chryſoſtomus, citante Photiô (prout notat Dan. Heinſius *Exercit. Sacr.* in *Luc.* 1. *p.* 138.) hoc nomen utrique naturæ Servatoris convenire docet his verbis: Αὐτὴ γὰρ ἡ ἀνατολὴ ἐξ ὕψους ἀνέτειλε, καὶ ἀπὸ τῆς γῆς. Ἐξ ὕψους μὲν &c. *Hic igitur Oriens ex alto ortus eſt, & e terra: ex alto quod ad Divinitatem; e terra, quod ad humanam naturam.* Neque diſſen-

Et id quidem optime, uti diſtinctius demonſtratur A. Ex objecto: & quidem 1. *Ex denominatione ejus ſoli Meſſiæ competente.* a. *Per nomen* צמח *explicatum* א. *Sive per* Orientem: *idque ſenſu vel generaliori, quaſi de novo ortu gloriosæ perſonæ, ut Chryſoſtomus, Caſtellus &c.*

ſentit Edm. Caſtellus in *Lexico* ad vocem צמח / cui duplicem, & *Orientis*, & *Germinis* attribuens ſignificatum, illô cœleſtem, hôc terreſtrem Chriſti generationem indicari ſcribit.

Vel ſpecialiori, quaſi de perſona glorioſa ſolis inſtar in Oriente *orituræ, quod illuſtratur ex Suetonio, Tacito, Clemente &c.*

XLII. Poſteriori magis acceperunt alii, qui multas finxerunt de lumine & illuminatione allegorias, utut orthodoxas, non tamen omnes æque tempeſtivas aut ſubjecto aptas. Contemnendæ non ſunt iſtæ. 1. Quod ſicuti ſol diſpellit tenebras, & omnia illuminat, ita quoque Meſſias nuncupetur *Oriens* ob claritatem, quam mundi ille tenebris afferret, inſtar orientis ſolis in ortu ſuo *illuminaturus omnem hominem veniens in mundum: Joan.* 1: 9. uti idem idcirco etiam audit *Sol Juſtitiæ Mal.* 4: 2. Quare & Zachariam, patrem Joannis Baptiſtæ, ad id nomen alludere putant, quum in Cantico ſuo ita fatur *Luc.* 1: 78. Ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους· *Viſitavit nos Oriens ex alto*, ſive *qui prodit ex alto*, ſicut verſio Theod. Bezæ habet; & reperitur ibidem eadem vox ἀνατολὴ, qua etiam LXX. pro צמח utuntur. Porro 2. Non deſunt etiam qui arbitrantur Meſſiam deſcribi inſtar *Orientis* ſolis, non luminis tantùm reſpectu, verùm quoque reſpectu Orientalis terræ plagæ. Quæ ſi ſententia ſtaret, non malè fortaſſis hac in re poſſet conferri illud, quod prodit Suetonius *in Veſpaſiano Cap.* 4. *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum eventu poſtea patuit, prædictum Judæi ad ſe trahentes, rebellarunt.* Ita ille. Pariter Tacitus *Hiſtor. L.* 5. *Cap.* 13. *Pluribus*, inquit, *perſuaſio inerat antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur, quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant.* Recte de Meſſia credita male de Veſpaſiano interpretati ſunt Ethnici. Immo *Oriens valeſceret*, dum ex Judæa, id eſt Oriente, prodiret Meſſias, atque id multis Prophetarum locis prædictum fuerat. Ex eadem hac conſideratione porro ortus fuit mos inter primos Chriſtianos uſitatiſſimus, quod precaturi facies ſuas ad Orientem converterent. Cujus quidem

dem ritus quidam eam quoque rationem reddunt, ſcil. quod id facerent ut ſeſe Judæis, qui ſoliti erant verſus occidentem, ubi Sanctum Sanctorum erat, orandi cauſâ ſuas facies componere, diſtinguerent, atque ſic teſtarentur ſe Judaiſmum deſeruiſſe. Præcipua tamen fuit ratio, quam dixi, ut ita juſtitiæ ſolem Meſſiam ibi ortum venerarentur. Hanc rem egregiè tractat Clemens Alexandrinus *Stromat. L. 7.* verbis, quorum ſumma eò ferme redit: *Sicut Oriens*, inquit, *diei naturalis eſt origo, ubi omnis luminis fons ſol exoritur; ita Chriſtus, ſol juſtitiæ, qui exortus eſt mundo in tenebris errorum ſedenti cum luce veritatis, in Sacris appellatur* ORIENS: *& hæc ratio quare verſus Orientem preces noſtras fundamus.* Unde & Chryſoſtomus in *Homil.* ad *Zach.* 6. *Ecce Vir* ORIENS *nomen ejus: ſub umbra ejus orietur ſol: ipſe veniet ad ſalvandum populum ſuum. Quale*, inquit, *nomen* ORIENS? *Delectabile, dulce, ſuave. Hoc ſemper appetamus, ut converſi ab Occidente, intenti ad Orientem, agnoſcamus Deum omnipotentem.* Qua de re plura dabit Vir ſummus Joſ. Scaliger *Elench. Trihær. Cap.* XX. Item Guil. Caveus in *Primi Chriſtianiſmi Deſcript. L. 1. C. 9.* Clar. le Moyne in *h. l. Cap. 2. §. 9.* Clar. Melch. Leideckerus *de Repub. Hebr. L. 8. C. 1.* qui multa huc facientia ex Patribus teſtimonia allegant. Quibus ego ea modò addiderim, quæ habet Tertullianus, hanc ob cauſam Orientem vocans *figuram* ipſius Chriſti, *contra Valentinianos Cap. 3.* pag. mih. 290 Edit. Rigaltianæ: *Amat*, inquit, *figura Spiritus S. Orientem, Chriſti figuram.*

XLIII. Atque hæc quidem ſic dicta ſunto de priori τῷ צמח / ceu *Orientis*, notione. Magis autem mihi placere interpretationem τῦ צמח per notionem *Germinis*, antè jam dixi. Et cum hac notione conveniunt & alia ſynonyma, quibus Meſſias appellatur apud alios Prophetas; qualia ſunt נצר / חטר / פרי ארץ / *Eſai.* 11: 1 & 4: 2. Videamus qua ſignificationis iſta omnia prædicentur emphaſi, & an illa notio *Meſſiæ* conveniat & reſpectu *Deitatis*, & reſpectu *humanitatis*, & reſpectu *Meſſiatus* ſui, (ſit venia verbò) & reſpectu *Sacerdotii* ſui: an verò tantùm reſpectu duorum ex his qua-

Sive 2. Explicatum per a. Germen, idque reſpectu non Deitatis, quaſi de æterna generatione, uti Galatinus, Coccejus, Altingius, Guſſetius expenſum.

quatuor? De primo & quarto primùm dicam. Opinantur nempe hanc denominationem, quum *Eſai.* 4: 2. ad nomen צמח appoſito nomine יהוה vocatur צמח יהוה / opponi τῷ פרי ארץ / & ſic referri ad ipſam Meſſiæ æternam ſive Deitatem, ſive etiam modum habendi Deitatem, i. e. generationem ex Patre: quia יהוה hic eſt vel caſus nominativus, hoc ſenſu; GERMEN, JEHOVA; vel genitivus, GERMEN JEHOVÆ. Quorum prius notaret Meſſiæ Deitatem, ut unà cum Patre ſit naturâ Deus verus, JEHOVA & Dominus. Poſterius verò æternam ex Patre generationem. Ita diſſerit Galatinus de *Arcanis Cathol. Verit. Lib.* 3. *C.* 16. *Meſſias erit Germen Dei, id eſt Filius Dei ſecundum Divinitatem: & Germen David, id eſt, Filius David ſecundum humanitatem.* Et plenius Joan. Oecolampadius: *Dicitur hic Chriſtus Germen Domini, & fructus terræ. Nam & Patrem habet in cœlis Deum, ut verus Deus, propter quod Germen Domini dicitur; & matrem in terris, ut verus homo, propter quod fructus terræ vocatur. Ecce habes incarnationis myſterium.* Similia habent Oſiander in *Zach.* 6: 12. Brentius, Varenius, Mollerus, alii. A quibus neque alienus eſt Celeb. Coccejus noſter in *Eſai.* 4: 2. ita commentans §. 5. *Duo nomina hic tribuuntur Chriſto.* 1. *Germen* JEHOVÆ. 2. *Fructus terræ. Per hæc nomina ſignificatur* 1. *Perſona & natura Divina.* 2. *Natura humana. Nam Germen* JEHOVÆ *tantundem eſt ac Filius* JEHOVÆ, *fructus terræ tantundem ac homo.* Et poſt quædam interjecta: *Æquivalens eſt* צמח יהוה / *Mal.* 1: 12. & *Luc.* 1: 78. Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. *Definitio vocabuli eſt: qui proceſſionem ex Deo habet: Mich.* 5: 1. *Quod idem ſignificatur per* בן *Filius Eſai.* 9: 5. *Pſ.* 2: 7. Comperio inſuper Jac. Altingium ad *Eſai.* 4: 2. in eo totum eſſe, ut oſtendat, cùm uti geminam naturam, ſic geminam originem Scriptura Meſſiæ aſſignet, etiam hanc *Germinis* notionem & Divinam & humanam Meſſiæ indicare originem: in noſtro ſcilicet Jeremiæ loco, per *Germen Davidis* nempe, Meſſiæ deſcribi humanam naturam; verùm apud *Eſai.* 4: 2. ejuſdem ſub hac notione deſcribi Divinam natu-

naturam, quia vocatur *Germen* JEHOVÆ, *tanquam Filius Dei de ſubſiſtentia Patris genitus.* Addit præterea: *Immo non male redditur Germen* JEHOVA; *hoc eſt* Germen *quidem qui Patrem habet & originem; attamen* JEHOVA *quoque, quia eandem habet eſſentiam cum Patre: cum enim* JEHOVA *unus ſit Deut.* 6: 4. & *tamen Germen quoque* JEHOVA, *utique apparet eſſe in uno* JEHOVA *& perſonam gignentem, quæ nequit dici* Germen, *& genitam, quæ* Germen *hoc loco appellatur.* Neque videtur abludere Jac. Guſſetius in ſuo *Lexico* ad *hanc vocem: Nota igitur*, ait, *hujus radicis uſum conſecratum rebus quæ non ſeparantur à ſuo principio. Quare apta eſt generationi Divinæ Filii, qui* צמח יהוה.

XLIV. Verùm enimvero, licet de re ipſa conſtet, pace tamen tantorum Virorum, quorum aliàs ſemper merita maximi facere ſoleo, ingenuè dixerim, hanc interpretationem, ſi rite ea examini ſubjiciatur, haud videri conſtare poſſe. Ratio *prima* hæc eſto, quæ ſimplex apparet, *germen* propriè id eſſe quod ex terra enaſcitur. Vocem ergo hanc propriè proinde *de rebus e terra naſcentibus* uſurpari, quemadmodum obſervavimus §. VII. & pluribus adſtruit Sal. Glaſſius in Ὀνοματολογίᾳ *Meſſiæ Prophetica p. m.* 403. *Edit. Lugd. Bat. Altera* mihi ratio illa eſt, *germen* a ſuo quidem *procedere principio*, ita tamen ut *creſcendo* procedat a *minori ad majus:* quod perfectam illam Filii Dei a Patre generationem parum commode exprimit. Accedit, *germinis* notionem in ſe quandam quoque tenuitatem involvere: quatenus deſignat non arborem, non ſtirpem, non ramum; ſed partem arboris minimam, ſive *ſurculum*, uti *Eſai.* 11: 1. Quæ extenuatio vix iterum conſiſtit cum *proceſſione a Patre, per quam Filius vitam ita in ſe habet, uti ipſe Deus Pater, Joan.* 5: 26. i. e. Deitatem æquè conſummatam. Neque tanti videtur Meſſiam *Germen* JEHOVÆ nuncupari; nam id ſemel modò fit *Eſai.* 4: 2. ita & ſtatim quoque ibidem loci explicatur per *fructum terræ.* Si inſtes, attamen צמח יהוה exprimere aliqualem a JEHOVA *proceſſionem*, quæ non videatur de humanæ ipſius naturæ *ex terra* origine poſſe intelligi; reſpondeo, ſubordina-

At perperam propter rationes tres quatuorve.

ta ea minime pugnare. De *terra efflorescit* humanitas Messiæ: at ita ut JEHOVA Pater unica *efflorescentiæ* illius causa sit. Quod disertissime legitur *Jerem.* 33: 15. ubi Deus Pater ipso verbo radicali utens, a quo derivatur nostrum צמח/*ait* אצמיח/ *progerminare faciam*: uti aliàs etiam מקים/ & מביא/ *excitaturus* & *adducturus*, *Zach.* 3: 8. hocce *Germen* Deus Pater eadem notionis efficacia prædicitur. In nostro certè Textu clarissimum putem per *Germen* non Divinam, sed humanam Messiæ intelligendam esse naturam; & quidem in distinctione a Divinâ, quæ in posteriori demum loci hujus parte designatur titulo τῆ JEHOVA *Justitia nostra*. Neque ergo causa est, ut idcirco vapulet noster Calvinus, vel alius quivis, per *Germen* Divinam Messiæ naturam forsan non intelligentes; ac si tali more agendo eluderetur egregium Deitatis Christi argumentum. Male. Validiora enim argumenta nobis ad manum sunt, Deitatem Filii contra ejus hostes quàm felicissime vindicantia, quæ sola proferre multò præstat, quam adjectis imbecillioribus, quale hoc ex notione צמח esse satis ostendi, præbere occasionem adversariis ipsi bonæ causæ suspicionem paris imbecillitatis affricandi.

Non etiam respectu Sacerdotii Messiæ, uti Braunius: etiam perpetuam.

XLV. Hac igitur opinione prima missa, de quarta adhuc disquirendum est, an scilicet forsan ad *Sacerdotale Messiæ munus* hac germinis appellatione alludatur. Id enim verò conjectat Jo. Braunius, de *Vestitu Sacerdot. Hebræorum Cap.* XXVII. §. 779. ita scribens: *Flores*, ait, *erant symbolum sacerdotii.* Id confirmat *ex Numer.* 17: 8. coll. *Hebr.* 9: 4. quando de *Virga* Aäronis sola florente ei ejusque familiæ hoc signo obsignatum est sacerdotium. *Per istos autem flores*, pergit, *significabatur verum sacerdotium Christi*, ἀρχιερέως *nostri. Is enim* flos *dicitur*, *qui floret & crescit*, *Zach.* 6: 6: 12. & 3: 8. *Ibi quidem* Germen *vocatur*, *sed perinde erit*, *sive* Germen, *sive* florem *dicas. Et de Messia venturo intelligitur: Esai.* 58: 8. & 11: 1. Verùm hæc mihi conjectura ingeniosa magis quàm solida est. Non enim est *Germen* idem atque *flos*, cùm distinctis hac in re utatur vocabulis S. Scriptura; & ipsæ res valde differant. *Germen* repræsentat nobis surculum

culum veteris arboris, futurum poſtea in novam arborem, quæ poſtea etiam ipſa flores fructuſque ferat. *Flos* verò eſt ſive arboris, ſive caulis jam adultioris ornamentum. Malè inſuper ſupponitur ſolos *flores* ſacerdotii eſſe ſignum. Non enim ſoli *flores*, ſed & ipſi amygdalorum *fructus* conſummati *Num.* 17: 8. ſignum erant ſacerdotii Aäronici, quatenus Deo id gratum, & Iſraëlitis fructuoſum futurum eſſet.

Sed reſpectu humanitatis & Meſſiatus Chriſti, quæ ex Coccejo, Witzio, Spanhemio, illuſtrantur.

XLVI. Nos itaque potius ſimplicitate notionis *Germinis* contenti, dicemus Meſſiam צמח nominari, & reſpectu *humanæ naturæ*, & reſpectu *Meſſiatus* ſui, ſive ſalutaris operis, quod in & per humanam eam naturam efficit. 1. Quatenus ergo *homo* eſt, *Germen* dicitur, reſpectu tenuis nativitatis, quod non modò inſtar ſurculi, ſeu germinis e terra proditurus eſſet, *i. e.* ex ſtirpe terreſtris Adami, ſed & e trunco ad terram uſque veluti ſucciſo, & omni ramorum, viroris, & florum gratia deſtituto; i. e. ex familia Davidis, omni ſplendore & majeſtate orbata, & ex regiis palatiis ad tugurium collapſum redactâ: 2 *Sam.* 23: 5. *Eſai.* 11: 1. *Amos.* 9: 11. inter ſe collatis. Ita tamen, ut idem ille Meſſias, uti tandem fit *ſurculus arbor*, ex tenuibus illis initiis mirabili incremento, (prout eleganter exhibetur loco illo egregio *Ezech.* 17: 22–24.) foret *Germen* ſuccreſcens in arborem magnam. De qua notionis emphaſi etiam Sal. Glaſſius *Phil. S. L.* 5. *Tr.* 1. *C.* 8. p.m. 786. Edit Ao. 1694. iſta habet: *Notatur* (per *Germen*) *principaliter ortus ipſius* (Meſſiæ) *ſecundum carnem, ſeu nativitas temporalis, ſicut germen & ſurculus terram habet originem, & terram quaſi matrem agnoſcit: conſequenter vero regni ejus viriditas, felicitas & perpetuitas, ut & aliàs verbum* צמח / germinavit, crevit, *de Chriſti regno & beneficiis uſurpatur Eſai.* 43: 19. 61: 11. 12. *Pſalm.* 85: 12. Sed & cum his concinunt ipſi Hebræorum Magiſtri. Ita enim Kimchius: *Vocat* (Propheta) *nomen ejus* Germen, *quia egreſſus ejus in mundum ſe habiturus erat, ut egreſſus germinis agri, quod in multitudinem excreſcit.* Similiter ferme Abarbanel in *h. l.* et adfert præterea *Eſai.* 11: 1. docetque hoc Germen Meſſiam eſſe illum *ſurculum egredientem ex radice Iſai.*

2.

2. 11. Quatenus *Meſſias eſt*, *Germen* eſt, quia ſatus quaſi *in*, aut exoriens *ex* radice æterni decreti Patris gratioſi, prodiit in lucem in verbo primæ promiſſionis Paradiſiacæ: mox verò temporis tractu magis magiſque efflоruit in promiſſionibus ſequentibus, ac Prophetarum prædictionibus: donec tandem in plenitudine temporis per paſſiones exaltatus factus eſt valida ſtirps novorum ramorum in omni bono opere frugiferorum, *plantarum* puta JEHOVÆ, & *quercuum juſtitiæ*, quæ creſcerent in atriis Domini, atque *ad canam uſque ſenectutem virides eſſent atque vegetæ*. Conf. *Eſai.* 60: 2. 61: *Pſalm.* 92: 13. Rem eandem ſi verbis Cocceji audire velis, ecce tibi quæ ille habet ad *Zach.* 6: 12. *Nomen ejus*, inquit, *quo hic deſignatur, eſt* Vir, Germen, *h. e. homo, qui rectè & meritò* Germen *nominari poſſit & debeat: quippe ſtirps nova novi generis, ſive filiorum Dei ſecundum promiſſionem Dei & regenerationem; Adamus ſecundus. Ut enim Adamus fuit Germen & ſtirps generis vetuſti; ita hic prima origo generis novi & inſtaurati.* Ex quibus breviter deſcripſit Clar. Witzius *Oecon. L.* 2. *C.* 2. §. 7. quod ſequitur: *Nomen ejus eſt* Germen &c. *ſtirps nova novi generis, ſive filiorum Dei ſecundum promiſſionem & regenerationem. Adamus ſecundus.* Idem autem jam antè, & ſub diverſo paululum adſpectu obſervaverat Frid. Spanhemius Pater *Dub. Euang.* P. 2. *Dub.* 90–92. §. V. ubi inter rationes, quare Meſſias vocetur *Germen*, & hanc reddit: *Sic indicata inſitio & inoculatio fidelium in hoc ſurculo, qui ei per vim Spiritus, & per veram fidem veluti implantati & inoculati reperiuntur, & tanquam germina e ſurculo efflореſcunt.*

Per epitheton germinis juſti, *acceptum & activè & paſſivè.*

XLVII. Tanta ergo emphaſi Meſſiæ competit nomen *Germinis*, cujus, vel tenuiſſimo ſenſu acceptæ, nullam in Zerubbabele umbram invenias. Quod magis adhuc conſtabit ex ſequentibus prædicatis. Nempe dicitur id Germen *Juſtum*: quod & de *activa* & *paſſiva* ejus *juſtitia* capimus. Adeo certè ille *juſtus* fuit, & omnis plane peccati, quod vel cogitatione, vel verbo, vel facto committitur, exlors, ut הריחו ביראת יהוה / ipſum *odorari ejus eſſet in timore Domini: Eſai.* 11: 3. & ille eſſet יפח / *teſtis iſte mentiri neſcius*

Hab.

Hab. 2: 3. in *cujus ore nullus dolus*, & qui *nullum patraturus peccatum Eſai.* 53: 9. Ideo etiam pluries κατ' ἐξοχὴν *juſtus* audit, non à Zacharia tantùm *Cap.* 9: 9. ſed a Davide etiam 2 *Sam.* 23: 5. etiam ab ipſo Patre *Eſai.* 53:11. uti & dicitur plane *ſanctus Pſalm* 16: 10. *qui ſciret ſpernere malum & eligere bonum Eſai.* 7: 15. Quare & de eo vaticinatur Zephanja *Cap.* 3: 5. JEHOVA *juſtus in medio ejus*, Hieroſolymæ puta, quam civitatem ſua præſentia illuſtraturus erat JEHOVA MESSIAS. *Juſtus* porro etiam fuit obedientiâ paſſiva, qua natura injuſtos juſtos ſuâ faceret juſtitia. Verùm de hac re plenior erit agendi locus ad ultima verba coli ſequentis, ubi deſcribitur JEHOVA *juſtitia noſtra*. Nunc addo, ipſos Judæos obſervaſſe hunc *juſti* titulum omnino ſumma in ἀκμῇ convenire ſoli Meſſiæ. Ita quippe Abarbanel: *Meſſias omnes populos deducturus eſt in ſemitas juſtitiæ, & futurus ſanctus omnium Iſraëlitarum, immo ſanctus ſanctorum.* Poteſt ille videri ad *Dan.* 8: 13. Quod & de activa Meſſiæ & paſſiva juſtitia intelligi non ineptè poteſt.

XLVIII. Hoc Germen juſtum *ſuſcitaturus*, ſive *ſtaturus* erat JEHOVA. Nobis §. IX. indicabat iſta *tria*; hujus ſcil. *Exortum*, cùm per nativitatem è muliere, tum per evectionem ad munera. Deinde ſtabilem firmitatem. Tertiò etiam miraculoſam utriuſque iſtius prædicati excellentiam. Ea verò *tria*, uti Meſſiæ competunt omnia, ita, ſi ſimul ea ſumas, nemini præter Meſſiam competunt alteri. 1. Meſſiam naſciturum *è mulieris ſemine*, tota Prophetarum ſeries inde a Paradiſo prædixerat. Uti loca ea ex Catecheticis nota ſunt. Meſſiam ex tenui conditione ad ſummum adſcenſurum gloriæ faſtigium, pariter in Catecheticis docetur, ubi de cohærentia ſtatuum humiliationis & exaltationis agitur. Nec opus ea hic repetere. 11. Porro ſemel ſic exortus Meſſias nunquam iterum occumberet, neque reſpectu vitæ per *nativitatem* acceptæ, neque reſpectu *honorum & munerum*. Vitam quippe ſemel depoſitam mox reſumeret, *non viſa corruptione in ſepulchro*, *Pſalm.* 16: 10. & porro *victurus in æternum Pſalm.* 21: 5. 41: 11. 13. *Eſai.* 53: 10 &c. & *ad dextram Dei poſitus* maneret ibi

2. *Ex factione Dei Patris circa illud, id eſt, ſuſcitatione, quæ triplici quidem emphaſi competit ſolt etiam Meſſiæ.*

in *æternum*: *Pſalm.* 16: 11. 21: 7. 72: 17. 19. &c. *regno* ejus *nunquam corrumpendo Dan.* 2: 44. &c. III. Acciperet etiam Meſſias ea modô prorſus divino, & immediate ab ipſo JEHOVA. Nam Deus *daturus ſignum erat eum ex virgine naſciturum*, *Eſai.* 7: 14. JEHOVÂ ipſi vitam redderet, ipſumque exaltaret, quemadmodum in locis jam allegatis expreſſis verbis ea omnia JEHOVÆ attribuuntur. Quibus addi poteſt *Pſalm.* 2: 6. *Ego inungens Regem meum præfeci Tzioni monti ſanctitatis meae.*

Et quidem ſuſcitatione Davidi, quod triplici iterum emphaſi exponitur.

XLIX. Cæterùm & Meſſiæ ſoli competit, eum ſuſcitandum fore *Davidi*. Qua phraſi diximus poſſe deſignari tria. I. Fore germen promiſſum 1. Et *hominem*: atque 2. Ex *Davidis* quidem *familia* oriturum. II. Oriturum ex familia Davidis 1. Depreſſa quidem. 2. At per hoc ipſum Germen denuo exaltandum. III. Et ea quidem vi pacti ac promiſſionis Davidi datae. Nihil horum eſt quod *Meſſiæ* non competat; poſteriora verò nemini præter Meſſiam competunt alteri. Et adſunt hic loca in omnem partem clariſſima. I. De *humana nativitate ex familia Davidis* promiſerat Deus ipſi Davidi 2 *Sam.* 7: 12. 13. *Quando completis diebus tuis, occubueris cum Patribus tuis, excitabo ſemen poſt te, quod prodibit ex viſceribus tuis, & ſtabiliam Regnum ejus; ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam ſolium Regni ejus in ſeculum.* Id idem repetitur ac confirmatur *Pſalm.* 89: 36, 37. *Semel juravi per ſanctitatem meam, Davidi non mentiar; ſemen ejus in ſeculum fore, & ſolium ejus ut ſolem coram me.* Adeo ut conſtet id quod promittitur *Jerem.* 33: 17. *Non exſcindetur Davidi vir ſedens in ſolio Iſraelis: quem Deus conſtituturus eſſet primogenitum, & principem ſupra omnes Reges terræ Pſalm.* 89: 28. 11. De *familia Davidis* tunc *depreſſa futura*, vel ipſe David antea in *Ultimis ſuis* docuerat 2 *Sam.* 23: 5. & deinceps Amoſus Vates *Cap.* 9; 11. uti & ejuſdem per Meſſiam erectio luculenter fuit adumbrata per *Ezech.* 17: 22. *ſeqq.* ſub emblemate *arboris maximæ de minimo ſurculo excreſcentis*: qui locus maxime conferri meretur. III. Hoc omne etiam Davidi in ſpecie promiſſum fuit tanquam ſpeciali

ciali pacto ei debitum *Pſalm.* 132: 17. Quò facit itidem illa Meſſiæ promiſſio *Eſai.* 55: 3. diſertiſſime *pactum* illud Davidis memorans his verbis: *Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite & vivet anima veſtra: & pangam vobiſcum fœdus æternum* חסדי *gratias*, ſeu *benignitates Davidis certiſſimas*, ſeu *fideles*: id eſt, firma illa, ſolida ac beatifica bona, quæ unà cum *Meſſia*, unico horum fonte, *Davidi* promiſſa erant tanquam propria familiæ ejus: quæque hic Meſſias, Davidis antitypus, & veri *pacti* illius *Davidi* olim promiſſi executor, credentibus offert. Unde & Meſſiæ, ut ejuſdem *pacti* hæredi, promiſſiones fiunt iisdem ferme verbis, quibus eæ Davidi factæ fuerant: uti 2 *Sam.* 7: 15. *Benignitas mea non amovebitur ab ipſo.* Et *Pſalm.* 89: 29. *In ſeculum ſervabo ei benignitatem meam.*

L. Animadverte autem hic characteres Meſſiæ proprios Quod *Germen* aliquod ſortiatur humanam nativitatem ex *Davidis familia*, & ea *depreſſa*, id multis profectò poſt captivitatem Babylonicam commune fuit. Sed quod *Germen* aliquod ex ea familia depreſſam eam evehat ad priſtinam gloriam regiam, immo & ſupra antiquam gloriam attollat, idque vi *pacti*, *Davidis familiæ* ſub tam ſolenni juramento a JEHOVA addicti, ut ſæpius *pacti* ejus mentio renovetur; id verò omne, uti *Meſſiæ* competere oſtendi, ita & omne proprium eſſe *ſoli* Meſſiæ facile quivis videt. *Germen* ergo hocce ipſe *Meſſias* eſt. *Et ſoli quoque Meſſiæ competit.*

LI. Tranſimus nunc ad reliqua de *Germine* prædicata: inter quod eſt, quod *regnabit Rex.* Quod *tria* indicare diximus §. XI. I. *Regem* fore. II. Fore Regem *Maximum.* III. *Feliciſſimum.* Atque I. Nihil notius ex univerſa S. Scriptura non tantùm, verùm & ex Judæorum effatis paſſim obviis, & ob nimiam copiam hic non citandis, quàm Meſſiam fore *Regem.* Hoc tamen cum diſcrimine, quod quæ Spiritus S. de Regno ſpirituali Meſſiam decente prædicet, ea Hebræi tenuiter nimis de mundano interpretentur. Interim Meſſiam, utpote qui κατ' ἐξοχὴν ſolus ſit regna- *B. Ex qualitate & factis genuinis, ſoli Meſſiæ propriis: uti* x. *Munere ejus*: Regnabit Rex, *Quod oſtenditur e Scripturis & ipſis Rabbinis.*

gnaturus, ſemper ſalutant מלך המשיח / *Regem Meſſiam*, quem modo etiam ſingulari a Deo coronandum ajunt. Et ipſe etiam Spiritus S. regiam dignitatem Meſſiæ adeo facit propriam & amplam, ut variis eam aliis titulis exprimat: uti ex. gr. נגיד / *Anteceſſor*, *Dux*, *Dan.* 9: 25. מושל / *Dominator*, *poteſtatem & auctoritatem habens*, *Mich.* 5: 1. de quo agemus ad *Jerem.* 30: 21. שפט / *Judex Iſraelis*, *Mich.* 4: 14. רעה / *Paſtor*, *Ezech.* 34: 23. מחקק / *Legislator*, *Eſai.* 33: 22. שבט / *Sceptrum Num.* 24: 17. קרן / *Cornu Pſalm.* 132: 17. Quæ quidem etiam locutiones emblematicæ Regii muneris auctoritatem exhibent. Quô verò hic deſcribitur τῷ מלך titulo, eôdem pluries in Sacris decoratur: uti *Pſ.* 2: 6. 72: 2. *Zach.* 9: 9. & alibi paſſim. *Rex* JEHOVA ipſe, de quo proclamatur *Eſai.* 33: 22. JEHOVA Judex noſter, JEHOVA *Legislator noſter*, JEHOVA *Rex noſter*, *ipſe ſervabit nos.* Quod porro II. *Germen* hac phraſi prædicaretur tanquam *Rex* κατ' ἐξοχὴν, omnibus ſuperior abſolutuſque Monarcha, uti §. XI. obſervavi; idem proprium eſt Meſſiæ *ſuperiori illi Regibus terræ*, *Pſalm.* 89: 28. atque ab *omnibus Regibus judicibuſque oſculando Pſalm.* 2: 10, 12. utpote *dominaturo a mari ad mare, & a flumine uſque ad fines terræ*, adeo ut *Reges* terreni tam amplo terrarum ſpatio comprehenſi *dona* ipſi eſſent allaturi, ut Vaſalli ſuo Domino. Vid. *Pſalm.* 72: 8, 10, 11. Id ipſum verò de Meſſia etiam agnoſcunt Rabbini. Omnium inſtar erit unus Dav. Kimchius, in ſuo in *h. l.* commentario ita ſcribens: *Futurum eſt ut Regnum ejus ſit in totam terram, non in Iſraëlem; quemadmodum de eo dicitur (ſc. Pſalm.* 72.) *& dominatus ejus erit a mari ad mare, & a fluvio ad fines terræ.* Et plures ſunt inter Magiſtros qui hic conferunt illud quod habetur *Dan.* 7. ubi id quod ibi legitur *de filio hominis* ita extendunt: *Et ei dabatur dominium, & gloria, & regnum, ut omnes populi, nationes, & linguæ ei ſervirent; dominium ejus eſt dominium æternum, quod non deſinet priorum inſtar, nec diffluet. Hic autem eſt Meſſias juſtitia noſtra,*

ſtra, qui appropinquavit ad Deum; quod ultimum ex *Jerem.* 30: 21. deſumtum eſt.

LII. Hactenus illi ſuo id quidem more intelligunt de temporali & mundana quadam regiminis forma; at contra totam non modò Scripturam, ſed & contra indolem œconomiæ Novi Teſt. Erant quippe ſub priori illa Legis œconomia multi, qui carnali magis ratione ſuper Iſraële regnabant, *Dii* nominati *Pſalm.* 82: 2 & 6. & Iſraëli dati in tutores paſtoreſque, ſedentes in cathedra Moſis: de quibus proclamatur *Eſai.* 26: 13. JEHOVA *Deus noſter, imperabant nobis Domini præter te.* Horum verò imperium terreſtre ceſſaret, regnaretque Meſſias ſolus regimine cœleſti in totam ſuam Eccleſiam. Optimè Celeb. Coccejus id *regnabit Rex*, explicat per *Eſai.* 9: 5. *Principatus in humerum ejus fiet, hoc eſt*, inquit, *abrogatis paſtoribus Ezech.* 34: 10. *Pſalm.* 82. 7. *ipſe ſolus ſine ſociis Pſalm.* 45: 8. *erit Rex: quippe Dominus ovium, quos mercatus erat ſuo ſanguine. Gen.* 49: 10. *Ipſi erit obedientia populorum, & non alii. Igitur ipſe erit* ἀρχιποίμην, *& cæteri paſtores erunt tantum miniſtri ejus, narrantes verba ipſius.* Et rectè ſic explicat Coccejus. Namque phraſis ea penitius introſpecta repræſentat eum tanquam ſumma *familiæ Davidicæ* auctoritate prædituni. Illuſtrari enim ea phraſis debet ex *Eſai.* 22: 22. ubi de Eljacimo dicit Deus: *Imponam ejus humero clavem domus Davidis: eo aperiente nemo claudit* &c. Clavis enim, uti ſingularis poteſtatis eſt inſigne, ita eleganter adumbrat ipſius Chriſti principatum ac dominium ſummum, ubi ipſi talis quoque clavis, excellentiori modó quàm Eljacimo, attribuitur. Quod ibi *Eſai.* 9: 6. fiebat clara ſatis alluſione, in Novo autem Teſt. *Apoc.* 3: 7. diſertiſſima fit deſcriptione. Meretur in id conferri Illuſtr. Huetii *Demonſtr. Euang. Prop.* IX. *Cap.* 105.

Errantibus tamen in indole Regni hujus.

LIII. Cæterum illud de *Germine* prædicatum והשכיל quacunque demum ſignificatione iſtud verbum ſumatur, in Meſſia etiam obtinet. Si enim vertatur, *ſapienter aget*, idem revera de Meſſia deprædicatur *Eſai.* 11: 2. ubi dicitur: *Et ſuper ipſo requieſcet Spiritus* JEHOVÆ: *Spiritus ſapientiæ*

Effectus muneris Regii א. *Activis, a parte Regis, ubi* ב. *Modus regendi* והשכיל, *ſive*

sapienter aget, *sive* prosperabitur.

& intelligentiæ: Spiritus consilii & potentiæ: Spiritus scientiæ & timoris JEHOVÆ. Quemadmodum verò Judæi subjectum verbum שכל/ quod de Messia etiam usurpatur *Esai.* 52: 13. *Servus meus* ישכיל/ i. e. sive *sapienter*, sive *prudenter aget*, interpretantur de *scientia* & *theoretica* & *practica*, ita & utramque Messiæ illo Esaiæ loco describi putant. Ita enim Abarbanel ad *Esai.* 11: 2. *Sicut enim*, ait, *Messias excellet intellectu speculativo, similiter excellet intellectu practico. Hoc est quod dicit Propheta de Spiritu sapientiæ & intelligentiæ.* Id vult, debere simul Messiam excellere sapientia speculativa, & prudentia practica: quorum primum per חכמה/ alterum per בינה in loco Esaiæ efferatur: quemadmodum ibidem & omnia priora tria epitheta Spiritus, nimirum *sapientiæ, consilii*, & *scientiæ*, ad Theoriam magis, posteriora verò, np. Spiritus *intelligentiæ, potentiæ* & *timoris* JEHOVÆ, ad Praxin Messiæ spectant. Immo verò ulterius pergit idem ille Hebræorum Doctor, & citatum Esaiæ locum diserte comparat cum hoc nostro Jeremiæ. Verba ejus hæc sunt: כאשר אמר ישעיה ונחה עליו רוח יהוה וכ"ל/ *Sicut dixit Esaias: & quiescet super eum Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ & intelligentiæ; ita dicit Jeremias: & regnabit Rex, & sapienter aget.* Si vero τὸ הישכיל malis vertere per *prosperabitur*, np. in regno suo; & hoc Messiæ in emphasi proprium est. Ita namque *prosper* foret in suo regimine, *ut habeat populum amplum, & justitiam Dei annuntiet in cœtu magno Psalm.* 40: 11. *non tantum Israëlitarum, sed & Gentium.* Confer. *Esai.* 52: 13, 14, 15. & 53: 12. observante Celeb. Coccejo in *h. l.* utpote egregio ubique successu perfecturus, uti dicitur *Psalm.* 45: 4, 6. ex interpretatione Junii & Tremellii: *Accinge gladium tuum super femur, ô robustissime*; gladium *gloriæ tuæ & decoris tui: & decore tuo prospere equita cum verbo veritatis, & proloquere justitiam: & ede documenta tui terribilibus* gestis *dexteræ tuæ. Sagittis tuis acutis populi sub te procident, ex animo* procident *inimici Regis.* Immo diserte dicitur de Messia *Esai.* 53: 10. *Beneplacitum* JEHOVÆ *per*

per eum proſperabitur. Quæ proſperitas etiam pertineret ad ſubjectos ejus, tanquam ſub hoc Meſſiæ regno rebus valde ſecundis gaviſuros. Hoc reſpectu de Meſſia vaticinatur Spiritus S. *Pſalm.* 72: 6. *Florebit temporibus ejus juſtus, & amplitudo pacis, donec non ſit luna*: proſperitate ſcilicet magis ſpirituali, convenienter Meſſiæ regno, quàm mundana. Non male hac in cauſa Corn. a Lapide: *Sapiens erit. Hebr.* השכיל / *id eſt*, inquit, *feliciter æque ac ſapienter rem geret, ut Patri æterno nos conciliet, dirigatque ad vitam & gloriam æternam.*

LIV. Si porro de Germine prædicatur: *Faciet judicium & juſtitiam in terra*, in neminem & hæc aptius quadrant quàm in Meſſiam, ſive ſenſu *judiciali*, ſive *ſacerdotali*, uti diſtinxi ego §. XIV & XV. accipias. Meſſiam quippe ceu *Judicem* deſcribi agnoſcunt Hebræi. Inde Kimchius ad verba *Eſai.* 11. *Et judicabit in tenues, & corripiet in rectitudine manſuetos terræ*, ita eſt commentatus: השפט הוא מלך המשיח / *Judex iſte eſt Rex Meſſias.* Et Abarbanel: *Putant Interpretes*, ait, *quod judex & redarguens futurus ſit Rex Meſſias.* Qui & ideo verba noſtra confert cum illis modò citatis & *Eſai.* 11: 4. *Sicut dixit Eſaias, & judicabit in juſtitia tenues &c. ita dixit Jeremias: & faciet jus & juſtitiam in terra.* Secundum ea quæ diſputavimus §. XIV. per iſtud judicium diſtincte intelligendum eſt *judicium*, ſeu ſupplicium exercendum in hoſtes. Ea verò de cauſa Meſſiæ adſcribitur *virga ferrea, qua hoſtes ſuos confracturus ſit ac diſſipaturus ut vas figlinum Pſalm.* 2: 9. Eleganter id deſcribitur *Pſalm.* 110. 5 & 6. *Dominus* ille Davidis, *ſedens ad dextram Dei*, qui nemo alius niſi Meſſias, *franget die iræ ſuæ Reges, & judicium exercebit in gentes, complens corporibus.* Terribile itaque admodum foret hoc judicium, eaque propter rogatur etiam *Mal.* 3: 2. *Quis ſuſtinebit diem adventus ejus? aut quis conſiſtet quando apparebit &c.* Ita quoque *exercebit judicium*, uti paſtor hircos petulantes ſeparaturus ab ovibus, ac *judicaturus inter pecudes*, ſub quo emblemate res ea-

Et faciet judicium *ſenſu* judiciali & ſacerdotali.

eadem depingitur *Ezech.* 34: 22. Conferatur etiam *Deut.* 29: 21. Si verò *Germen* hoc *faceret etiam juſtitiam*, i. e. beneficentiam erga oves ſuas, uti & hoc diſtincte explicui ex Cramero §. XIV. nec hoc Meſſias negligeret. Vide modò loca *Pſalm.* 72: 2. *Eſai.* 2: 4 & 11: 4. *Sacerdotali* etiam ſenſu idem prædicatum Meſſiæ competit. Sic enim, præterquam locis ad enucleandam phraſin jam §. XV. allatis, proclamatur *Pſalm.* 72: 1 & 2. Qui Pſalmus eſt *Pro Salomone*, vero ſcil. illo, prioris anti-typo, id eſt, Meſſia: *ô Deus! judicia tua da Regi, & juſtitiam tuam filio Regis:* ubi itaque illa verba משפט & צדקה offendimus, quæ & hic loci uſurpantur: ea verò porro explicantur, quando dicitur; *Judicet populum tuum juſte, & pauperes tuos jure.* Et additur *vers.* 12 & 13. *Eripiet egentem vociferantem, & pauperem cui non fuerit adjutor. Parcet attenuato & egenti, animaſque egentium ſervabit.* Quæ inter ſe comparata clariſſime repræſentant ſalutem a Meſſia peccatoribus procuratam vi δικαιώματος ab eo allati. Huc etiam facit locus eximius de regno Meſſiæ agens *Pſalm.* 99: 4. *Ut celebrent robur amantis* judicium. *Tu conſtituis quod eſt rectiſſimum*, judicium & juſtitiam *tu perficis in Jacobo.* Nec non *Eſai.* 9: 7. *Amplitudini illius principatus, & paci nullus erit finis, in ſolio Davidis & regni ejus, ſtabiliendo illud* judicio & juſtitia. In quibus locis diſtincte denuo illa duo nomina משפט & צדקה a Spiritu S. uſurpantur.

β. Loco amplo, tota terra.

LV. Uti verò id omne facturum erat *Germen in terra*; i. e. in Canäane quidem primùm. Nam ea erat terra Immanuëlis, *Eſai.* 8: 8. in qua *ad Templum ſuum venire* debebat *Mal.* 3: 1. & ex cujus urbe Bethlehemo prodiret *Dominator in Iſraële Mich.* 5: 1. ſed & deinde ubivis terrarum, quandoquidem regnum Meſſiæ non debebat concludi terminis *Iſraëlis*; ſed extendi *ad fines uſque terræ* inter omnes Gentes *Eſai.* 49: 6. idque vi fœderis Dei cum Meſſia, cujus virtute, poſtquam *inunxiſſet eum Regem, illumque præfeciſſet Tzyoni*, id quod legitur *Pſalm.* 2: 6. ipſi dicere poſſet *verſ.* 8. *Pete à me*,

me, & dabo tibi gentes in poſſeſſionem tuam, & fines terræ jus poſſeſſionis tuæ. Inde & *Rex magnus totius terræ* audit, *regnans ſuper gentes, Pſalm.* 47: 3, 8, 9. *Dominans a mari uno ad alterum, & a flumine quaquà ſunt fines terræ Pſalm.* 72: 8. cujus *prædicatio prodiret in totam terram, & in extremitatem orbis habitabilis Pſ.* 19: 5. Subſcribam verbis R. Dav. Kimchii, ita commentantis in *h. l. Sane, dum ait, regnabit, eo ipſo cognoſcimus eum Regem fore. Cæterum hanc quoque vocem addendo, emphaſin voluit ſignificare in Regno, quod np. illud in toto terrarum orbe ſit futurum; quemadmodum ait de illo (Pſalm.* 72: 8.) *dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad fines terræ.* Poſſunt etiam conferri ea quæ ex Kimchio §. XVI. & ex Abarbanele adduximus antè §. XXXII. *Meſſiam Regem fore omnium Regum terræ.* Quæ omnia iterum in nemine præter Meſſiam reperias.

LVI. Cùm itaque omnia, quæ hactenus de *Germine* prædicta erant hoc loco, tam apte conveniant Meſſiæ, nil miri eſt tempus, quô *Germen* haec omnia efficeret, a Jeremia deſignatum fuiſſe in *diebus venturis*, i. e. ipſiſſimis illis Meſſiæ adventantibus diebus, quemadmodum phraſin illam explicuimus §. XVII. & XVIII. Neque opus eſt addere plura. Per ſe enim notum eſt acta regnantis Meſſiæ ad Meſſiæ pertinere tempora.

γ. *Tempore etiam ſuprà* §. XVII. *deſignato.*

LVII. Uti verò hactenus vidimus omnia, quæ de modo adminiſtrandi regnum a parte *Regis Germinis* hic prædicta erant, nobis explicata §. XII. & *ſeqq.* egregiè competere Meſſiæ, ita nunc porro videamus, an, quæ de eodem a parte *Subjectorum* prædicta reſtant, nobis expoſita §. XIX & *ſeqq.* eâdem convenientia quadrent. Ibi verò occurrebat tum *Objectum beneficiorum Germinis*, ISRAEL ſcil. & JUDA. Tum etiam *Beneficia ipſa*, np. *ſalvabitur, & habitabit ſecure.* Hoc verò ante omnia conſtat, inter privilegia gentis Judaicæ & iſtud recenſeri, quod *ejus eſſent promiſſiones, & ipſe Meſſias, quod ad carnem attinet, Rom.* 9: 5. Quomodo & ante Paulum Petrus palam ipſis annuntiârat *Act.* 2: 39. *Vobis enim competunt promiſſiones.* Inde ſequitur, quicquid boni de Germi-

δ. *Paſſivit, a parte ſubditorum, ubi omnia ſoli iterum quadrant Meſſiæ, uti a. Objectum,* Iſraël & Juda.

ne Rege promiſſum eſt, illud primo loco ad Iſraëlem & Judam pertinere. *Salus enim*, i. e. Meſſias, (quam *ſalutem*, Meſſiam ſcilicet, *oculis ſuis* coram *cernebat* Simeon ſenex *Luc.* 2: 30.) uti *ex Judæis eſt Joan.* 4: 22. ita *gloria Iſraëlis Luc.* 2: 32. Huc faciunt Divina iſthæc promiſſa *Jerem.* 30: 7. *Eheu, quia magnus eſt dies hic, adeo ut nullus fuerit par ei: utut tempus anguſtiæ eſt Jacobo, tamen ex eo ſervabitur. Et Hoſ.* 1: 7. *Domus Jehudæ miſerebor* (inquit Deus) *& ſervabo eos per* JEHOVAM *Deum ipſorum.*

b. Beneficia Salvationis, LVIII. Salvatio autem ipſa ſe exerit generatim loquendo in liberatione a peccato: quo reſpectu Meſſias hanc *ſalutem* allaturus, a Judæis nonnunquam vocatur ישועה / uti & Jacobus Patriarcha jam morti proximus, illam ישועה / ſeu *ſalutem* anhelans proclamat: *Salutem tuam exſpecto, ô* JEHOVA: *Gen.* 49: 18. In quæ verba hanc paraphraſin inſtituit Targum Hieroſolymitanum: *Dixit pater noſter Jacobus; Non redemtionem Gideonis filii Joas expectat anima mea, quæ eſt temporalis: neque redemtionem Samſonis, quæ eſt ſalus creata: ſed redemptionem, quam dixiſti verbo tuo venturam eſſe populo tuo filiis Iſraël; hanc redemtionem expectat anima mea.* Et Targum Jonathanis: *Dixit Jacobus, quando vidit Gideonem filium Joas, & Simſonem filium Manoë, qui futuri erant liberatores; non liberationem Gideonis ego exſpecto; neque liberationem Simſonis ego perſpicio, quia liberatio eorum temporalis fuit; ſed ego ſalutem tuam expecto & perſpicio, Domine, quia liberatio tua eſt liberatio ſeculorum.* Et notat Clar. Altingius in *h. l. Oper* T. 2. p. 47. col. I. alterum Jonathanis exemplar habere: *Sed expecto liberationem Meſſiæ filii Davidis, qui liberaturus eſt filios Iſraëlis, & educturus eos ex captivitate ſua, & hanc liberationem expectat anima mea.* Exinde doctus Aben Ezra: *Vocabulum* TUAM, inquit, *refertur ad Davidem, aut Meſſiam filium ejus.* Hæ interpretationes omnes eò ſpectant, ſicuti rectè obſervavit idem Altingius *loc. cit. Ut liqueat veterem Eccleſiam Judaicam velle Simſonem ita fuiſſe ſpectatum a Jacobo, ut tamen in ejus liberatione non acquieſceret, ſed longe altius ſpectaret, in eam nempe redemtionem, quæ Chriſti eſſet,*

Meſ-

Meſſiæ veri typo Simſonis adumbrati, quæ ipſa futura erat, & in quam ſolam ſua fiducia recumberet. Chriſtiani certè præeunte Euangelio, iſtud ישועה interpretantur conſiſtere in eo, quod Meſſias *populum ſuum ſalvaturus ſit ab omnibus peccatis*, *Matth.* 1:21. Huc pertinet teſtimonium iſtud inſigne *Pſalm.* 68: 20. & 21. ubi de Meſſia prædicatur; *Benedictus Dominus qui quotidie nos onerat: Deus ille fortis* ישועתנו *ſalus noſtra; ſelah. Deus ille fortis nobis Deus eſt fortis ad ſalutem omnimodam, & apud* JEHOVAM *Dominum ſunt exitus contra ipſam mortem.* Qui idem ille ſuorum *delet defectiones propter ſe ipſum, & peccatorum non recordatur Eſai.* 43: 25. Quæ porro in ſpecie ad eam a peccatis ſalvationem confluant, in ſumma ad *h. l.* dixit Celeb. Coccejus: *Nempe*, ait, *peccatis ſuis & reatu, & accuſatione Legis, a poteſtate Paſtorum, ſive Principum, à ſervitute elementorum mundi, a ſubjectione in certum pignus & ejus dilectionem, a commixtione injuſtorum, a ſiti denique & exſpectatione, ut præ ſatietate poſſint ovare. Ita ſalvabitur anima ipſorum.* Plurima autem S. Scripturæ loca huc ſpectantia penes ipſum videri poſſunt allegata.

Et habitationis ſecuræ.

LIX. Alterum beneficium foret *habitatio ſecura* (α.) comitem habitura ingentem lætitiam, uti viſum §. XXI. Id verò beneficium quoque Meſſiæ foret. Tunc enim *lætarentur coram Deo ea quaſi lætitia*, quæ agitur *in meſſe, ut qui exultant partientes prædam*: quando dicere poſſent: *Puer natus eſt nobis, filius datus nobis, in cujus humero eſt principatus: Jeſai.* 9: 2–5. Quam lætitiam (β) illi agitarent, etiamſi in *tabernaculis habitarent:* uti hanc verbi ישכן emphaſin. *loc. cit.* obſervabamus: nempe, quia Iſraëlitæ ſub Novo Teſt. *in terris non haberent permanentem civitatem Hebr.* 13: 14. habitabunt *in fiducia*, etiamſi & Templo, & Hieroſolymis, & Canaäne expellerentur; utpote pro iſtis umbris præſentem habentes ipſum Deum in Meſſia reconciliatum, qui ipſis exſtiturus eſſet Salvator, & prodomus in *meliorem civitatem fundamenta habentem, cujus artifex & conditor Deus, Hebr.* 11: 10. Optimè Coccejus: *Nihil habebit in mundo metuendum veras Iſraël, non ſollicitus de urbe vel politia, vel Templo, vel ſimi-*

ſimilibus rebus, acquieſcens in Deo. Hoc ergo beneficium, *ſpirituali* hoc ſenſu acceptum, in Meſſiæ diebus veriſſimum eſſet. (γ) An verò idem *corporali* ſenſu, de quo dixi §. XXI. acceptum, i. e. de tranquilla in Canaäne inhabitatione ſub Meſſiæ diebus exſpectandum ſit, diſquiri poſſet. Quod certè Iſraël poſt captivitatem Babylonicam ita in Canaäne haberet, ut ex ea non amplius ab hoſtibus ejiciendi ſint, contrà verò omnis generis beneficiis in ea accumulandi, pluribus apud noſtrum Prophetam deſcribitur *Cap.* 33. Unde, uti & ex aliis locis, nos quidem credimus Judæos, cum converſione ſua ad Meſſiam, inhabitaturos iterum terram ſuam: conf. *Hoſ.* 1: 10-12. & ea quæ diximus in Diſſertatione de *Scala Jacobi* §. XXVI.

c. Tempus implementi.

LX. Id verò, uti adhuc exſpectandum eſt, ita non deberet putari prædictum eſſe a Jeremia, ac ſi foret in *diebus Meſſiæ*, i. e. in omnibus iſtis diebus, adeoque per totum tempus N. T. Contrarium quippe hactenus Iſraëli evenit. Sed ita prædictum eſſe, quod tamen foret *in diebus Meſſiæ*, ſive incipientibus, ſive etiam ultimis, & ad finem vergentibus: de qua temporis latitudine etiam dixi §. XXII. Sed in implemento demum id clarius determinari poterit.

C. Ex remuneratione germinis per ſubditos ſoli etiam Meſſiæ competente, utpote qui vocandus & vocatus JEHOVA, & quidem juſtitia noſtra, apud Moſen, Prophetas.

LXI. Atque ſic quidem ad ultimam verborum partem deventum, ubi nomen iſtud deſcribitur, quo ſic *ſalvatus Iſraël* & *Juda* in grati animi teſtimonium, nuncupaturus erat hoc *Germen*, ſcil. JEHOVA *Juſtitia noſtra*. Nihil horum eſt, quod non pariter ad amuſſim Meſſiæ competit. Eum quippe JEHOVA Meſſe, & ſic in S. Script. nominari, vel ipſi Judæi affirmant. Conf. §. XXVII. Idem verò etiam vocatur JEHOVA *Deus noſter, per quem Deus nos liberaturus eſſet: Hoſ.* 1: 7. Immo & *Deus noſter*, qui pariter eſt *noſtra ſalus: Pſalm.* 68: 20. Ut verò talis eſſe poſſet ſuis, non tantùm juſtus eſſe debuit pro ſe ipſo; ſed & per activam et paſſivam ſuam juſtitiam, ſive obedientiam illam, qua juſtificarentur per eum, & in eo, *credens* hic atque *fidelis* noſter *Juda* atque *Iſrael*. Atque ea Meſſiæ *juſtitia* deſcribitur paſſim in Prophetarum oraculis; ea-

eadem a priſtinis quoque Judæis agnita fuit. Neque ullum verbum auditum unquam fuit olim in Eccleſia, inde ab initio, per omnia ſecula, ad hoc uſque tempus, in quo peccatori conſolatio eſſe poſſit, niſi hoc omni conſolatione & gratia refertiſſimum verbum de hac *per Meſſiam adducenda juſtitia ſeculorum*. Quod verbum verè eſt illud ΑΙΩΝΙΟΝ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ *Apoc.* 14: 6. Id enim omnes Viri Dei, Moſes atque Prophetæ, & quotquot deinceps ſecuti ſunt, omni ab ævo fuerant locuti. Inde Paulo Apoſtolo tanta fuit confidentia, ut dixerit *Rom.* 3: 21. *illam juſtitiam Chriſti*, quam ille cæterique Apoſtoli prædicabant per Euangelium, *comprobatam fuiſſe teſtimonio Legis ac Prophetarum*. Quì verò, quæſo, auſus fuiſſet tam confidenter eloqui, ſi, inquam, ſumma *Legis* ac *Prophetarum* Iſraëlem ad illam Meſſiæ juſtitiam non deduxiſſet? Certè prima promiſſio non aliam agnoſcit juſtificationem, non aliam ſanctificationem, niſi eam, quam accipit peccator a Deo per *Semen Mulieris*. Quid aliud voluit tota iſthæc Lex Moſaica omni ſuo choragio, ſacrificiis, ablutionibus, totque aliis infinitis ferme ceremoniis, niſi oſtendere carnis impotentiam ad ſe cùm juſtificandum, tum etiam ſanctificandum? Nonne hac quoque Meſſiæ juſtitiâ pleni ſunt omnes Prophetarum libri? Ubi initium, ubi dicendi finis eſſet, ſi omnia ex illis hic vellemus teſtimonia in medium producere? Tantùm ſpeciminis cauſa notes, non modò in genere dici *Eſai.* 53: 11. JUSTUM *Dei ſervum ſui cognitione* JUSTIFICATURUM *eſſe multos, eorumque bajulaturum iniquitates*: nec non *Dan.* 9: 24. Meſſiam adducturum JUSTITIAM SECULORUM; ſed in ſpecie etiam *Eſai.* 45: 21–25. hunc SERVUM JEHOVÆ fore & ipſum JEHOVAM, atque *tantummodo in eo* JEHOVA *omnem eſſe* JUSTITIAM *& robur*: & *in eo* JEHOVA JUSTICATUM IRI, *& in eo gloriaturum totum ſemen Iſraëlis*. Quod qua ratione fieret idem porro JEHOVA exponit *Eſai.* 54: 17. *Nullum inſtrumentum formatum contra te proſperabitur: & omnem linguam inſurgentem contra te in jus condemnabis: hæc eſt poſſeſſio hæreditaria ſervorum* JEHOVÆ, *quorum* JUSTI-

TIA eſt EX ME, *dictum* JEHOVÆ. Meretur hac in cauſa conferri Celeb. le Moyne noſter *Cap.* 4 *& ſeqq.* in *h. l.* ubi multus eſt hoc ut adſtruat.

Ipsmo & Chaldæum atque Rabbinos.

LXII. Neque id dictitant modò Prophetarum oracula, verùm & ipſi Judæi Veteres & Recentiores Prophetarum veſtigiis, nec non priſcæ Patriarcharum Catecheſeos articulis inhærentes, totidem verbis docuëre, Meſſiam ſcilicet fore *juſtitiam noſtram.* Hic valent ea quæ jam adduximus ante §. XL. ubi demonſtrabamus & ipſos Judæos hoc *Germen* de Meſſia interpretatos fuiſſe. Inde etiam ſequi debet epitheton *juſtitiæ noſtræ* Germini illi, quod juxta Judæos Meſſiæ ſit attributum, juxta eoſdem Judæos etiam Meſſiæ competere. Veruntamen quid attinet per conſequentiam colligere, quod diſertiſſimis teſtimoniis demonſtrare poſſumus? Ubi primùm noto, quod Hebraicus Textus habet, JEHOVA *juſtitia noſtra*, id Symmachum vertere: *Domine juſtifica nos*: & Chaldæum; *Fient nobis juſtitiæ a facie Domini.* Quod Corn. a Lapide non male hunc in modum declarat: q. d. *Fideles, ut ſuum declarent in Chriſtum amorem, ſecuritatem, fiduciam, & gratiarum actionem, decantabunt aſſidue dicentque: hic eſt Deus qui nos juſtificavit & redemit.* Targum porro Jonathanis, ubi dixerat, *Suſcitabo Davidi Meſſiam juſtorum*; addit: *Hoc eſt nomen ejus, quo eum vocabunt: fient*, ſive contingent, *nobis merita a Domino in diebus ejus.* Quod R. Salomo ita effert: יהוה מצדיק אותנו בימיו של זה / *Dominus juſtificat nos in diebus hujus*, ſcilicet Meſſiæ. Quo ipſo clare docetur, Meſſia demum exorto, atque adeo Meſſia etiam auctore ac procurante, merita, ſive juſtitiam a Deo peccatori donari; ſicque nos in eo & per eum juſtos fieri, juxta illud *Eſai.* 45: 24. Porro & ita loquuntur R. Saadjah, & paſſim Abarbanel: משיח צדקנו / *Meſſias eſt juſtitia noſtra.* Neque deſunt inter Hebræos, qui rationem reddituri quare hoc nomine Meſſias inſigniatur, voceturque *juſtitia noſtra*, eam tradunt, Meſſiæ eſſe, qui ceu Mediator, ſuique populi Vindex, peccata eſſet ablaturus, & ſuâ nos juſtitia juſtos facturus, quoniam opera noſtra bona

bona peccatis ſunt inquinata, & nihil valent apud Deum. Quam in rem R. Dav. Kimchii verba hic a nobis adferantur digna ſunt, quæ habet ad *Eſai.* 64: 5. *Sicut pannus menſtruatus, qui ſpretus eſt, ita ſe habent omnes juſtitiæ noſtræ; etiam juſtitiæ quas nos facimus, non ſunt acceptæ, ſed ſpretæ, quia non facimus eas niſi ut gloriemur de iis, & extollamus nos, & invideamus alter alteri.* Quia igitur non poſſumus juſtificari juſtitia propria & inhærente, idcirco agnoſcunt alia quadam vicaria opus eſſe juſtitia, per quam juſti pronunciemur; quam juſtitiam in Meſſia reperiunt Judæi quidam. Hinc modò R. Salomo: יהוה מצדיק אותנו בימיו של זה / *Dominus juſtificat nos in diebus hujus*, ſcil. Meſſiæ. Egregium revera eſt teſtimonium, quod hunc in finem ab Eruditis citatur ex R. Moſe Alſcheh in Jeremiam, qui floruit medio ſeculo XVI. interpres Scripturæ magni inter ſuos nominis, cujus ſic ſonant verba: /הצדיקים יומרו לו הנה אנו על שאנו צדיקים שם יהוה נקרא עלינו וכ"ל *Juſti dicent illi*, (puta Meſſiæ) *eo quod juſti ſumus vocatur nomen Dei ſuper nos. Sed majus eſt nomen tuum nomine noſtro. Quod enim nos juſti ſumus, fit quia* TU ES JUSTITIA NOSTRA, *quia per te ſuperabundanter collatum nobis eſt, ut vocemur juſti. Idcirco omne meritum, quo vocamur nomine Dei, a te eſt ceu cauſa, quia* TU ES JUSTITIA NOSTRA. Ita & Abarbanel ad *Eſai.* 4: 1. ſcribit. משיח צדקנו מהרה יגלה / *Chriſtus juſtitia noſtra cito revelabitur.* Omnium autem inſtar eſt decantatum iſtud Magiſtrorum ſcitum, quod ex Joſepho Albone, Hiſpano natione, qui floruit jam initio ſeculi 15, diciturque obiiſſe anno 1430. ex *Lib. Ikkarim*, qui complectitur *fundamenta*, ſive *articulos* fidei Judaicæ, *Orat.* 2. *Cap.* 28. citavit Eruditiſſimus Jac. Altingius, in ſuo *de Schilone Lib.* 4. *C.* 31. /יקרא הכתוב שם המשיח יהוה צדקנו להיותו אמצעי אל וכ"ל *Vocat Scriptura nomen Meſſiæ: Dominus juſtitia noſtra: quia erit* Mediator

tor Deus, *per cujus manum conſequemur juſtitiam a Deo.* Quibus verbis, ſi ita vertere liceat, prout vertit Altingius *loc. cit.* & Buxtorfius *Lex. Hebraic.* ad *Rad.* הוה / aliique, cujus & meminit Coccejus in *Hebr.* 6. §. 16. certè quid clarius, quid diſertius dici poſſit, equidem non video. Interim ingenuè fatendum, uti obſervat Jo. Friſmuthus in *h. l.* §. 2. 4. præmonitus ab Hackſpanio, verba אמצעי אל & aliter verti poſſe. Locus nimis ingens eſt, quàm ut deſcribatur totus. Summa huc redit, quod אמצעי אל non ſit *Mediator Deus*, vel *Dei*, prout aliis placet, ſed אל hic notet *ad*, *tanquam*, ſicque ſit velut inſtrumentum, ſeu medium, quô quid peragatur. Adeoque ſenſus erit, nos per illum Meſſiam, *tanquam* Mediatorem, conſecuturos juſtitiam: vel uti Cramero placet *loc. cit.* ante: *Scriptura vocat nomen Meſſiæ*, JEHOVA *juſtitia noſtra, quia ille medium eſt, cujus ope juſtitiam a Deo conſequimur.* Tandem his addas dicta Rabbinorum jam allata §. LI. ubi ad finem ita habent: *Hic autem eſt Meſſias juſtitia noſtra, qui appropinquavit ad Deum.* Quod ultimum cùm deſumtum ſit ex *Jerem.* 30: 21. quo in loco per phraſin illam *appropinquandi ad Deum*, Meſſias, prout in Diſſertatione ad eum locum oſtendam §. XXXIV *& ſeqq.* deſcribitur tanquam Sacerdos, evidentiſſimum eſt Rabbinos illos, ſi modò, quid dicant, intellexerint, rationem eam dediſſe, cùm *Meſſias ſit juſtitia* hominum, quod *appropinquando* ceu Sacerdos, id eſt, ſemet ipſum offerendo, nec non intercedendo pro ſuis apud Deum, promeriturus ſit juſtitiam, quam cum illis communicaret. Veruntamen & hic fatendum, etiam Rabbinos ſacerdotii Meſſiæ abnegatores, verba illa in ſenſum exilem interpretaturos. Dicam de eo in *Diſſert. ſeq.* Optimè interim Celeb. Coccejus *Reſpons.* ad *Quæſt. Judaic.* de noſtro loco differens animadvertit; *Mirabile eſt*, inquit, *Judæos Meſſiam vocare* JEHOVAM *juſtitiam noſtram*, *& non attendere quid dicant. Nam qui eſt juſtitia noſtra, is nobis cauſa eſt juris ſperandi, petendi, & accipiendi vitam æternam.*

LXIII.

DEMONSTATIO IMPLEMENTI.

A. Reſpectu Objecti, ſeu Perſonæ.

Jeſus Nazarenus fuit Oriens ſenſu generaliori, & ſpecialiori.

LXIII. Hactenus dedimus noſtri Vaticinii ſenſum & *Grammaticum* ab §. III ad XXX. & *Theologicum:* ab §. XXX ad hunc uſque. Reſtat ergo juxta partitionem §. II. propoſitam, Tertia hujus diſſertationis pars, i. e. *Demonſtratio Implementi* in *Jeſu noſtro.* Etenim, quandoquidem ipſe JEHOVA hoc inſtituerit promiſſum, qui Deus אמן / *Amen* eſt atque veraciſſimus, non potuit non illud exactiſſimum habuiſſe implementum. Quod quanta fieri poterit brevitate hic oſtendemus, non omnia hic recitaturi, ſed præcipua duntaxat, quæ tanquam reliquorum fundamentum conſiderari poſſunt. Secuturi autem ordinem, quô & in explicatione Grammatica & Theologica uſi ſumus, deprehendemus omnia hic de Chriſto prædicta pertinere ad Jeſu Nazareni *Perſonam*, *Munera*, & *Nomen*, ſive *Gloriam* a *Patre ſupra omne nomen ipſi datam.*

Fuit etiam Germen in omni emphaſi phraſeos, & quidem juſtum.

LXIV. I. Primò itaque fuit Jeſus Nazarenus צמח / id eſt, *Oriens: primùm* ſenſu iſthoc *generaliori*, quem indicavi §. XLI. ex Chryſoſtomo. Jeſus enim & ſubito exortus eſt, nil tale Zacharia, Eliſabeta, Maria, Joſepho, paſtoribus ſuſpicantibus, ideoque ad rem novam obſtupeſcentibus, uti *Matth.* 1. *Luc.* 1 & 2. Jeſus interim ſimul cum ſplendore glorioſarum circumſtantiarum exortus eſt, uti Angelorum apparentium, annunciantium, cantantium, ſtellæ ſplendentis, Magorum advenientium, domus Davidicæ Bethlehemi congregatæ &c. Jeſus denique exortus tunc fuit etiam *de cœlo*, unde *deſcendebat* ὁ λόγος *in carnem*, & de *terra*, ubi *caro* ipſius in *Virgine* formata fuit. Fuit *deinde* etiam Jeſus *Oriens* ſenſu illo *ſpecialiori* §. XLII. indicato; nam & *lumen* mundo intulit *Joan.* 1: 9. *Luc.* 2: 32. *Epheſ.* 3: 9. 4: 18. 5: 8 &c. Et lumen illud in Palæſtina, orientali regione, primùm oſtentavit, inde deferendum ad occidentales cœli plagas, i. e. ad Græcos Romanoſque, per Paulum in primis Apoſtolum, *Epheſ.* 3: 8, 9. *Act.* 26: 18, 23. Fuit porro Jeſus צמח / id eſt, *Germen*, qui & diſertè in Euangelio audit ἀνατολὴ, *Germen*, *Luc.* 1: 78. Quò & nonnulli referunt quod *Matth.* 2: 23. dicitur, per Prophetas eſſe prædictum fo-

re, ut *Jesus Nazarenus vocaretur*. Quod tunc conferunt cum iis, quæ penes Prophetas prædicta fuerant de Messia צמח *vocando*, uti in loco nostro, & in primis *Zach.* 6: 12, 13. Quod nomen צמח / sive *Germen*, tunc putant exprimi per *Nazarenum*: quia צמח cum נצר / *Netzer*, unde *Nazaræus*, ejusdem plane sunt significationis. Possunt consuli Frid. Spanhemius P. *Dub. Euang.* P. 2. *Dub.* 90. 92. *p.* 599. Nos *nomine* isthoc nunc sepositio ostendemus Jesum *re ipsa* fuisse *Germen*. Nam revera ἀνατέταλκε, *ortus est*, *prodiit*, *progerminavit*, *Hebr.* 7: 14. quatenus *primùm* ex Maria, Davidis quidem progenie, at paupercula, ut & tota Davidis tunc erat posteritas, ortus est. Mox verò mirabiliter *crevit*, *Luc.* 2: 52. scil. instar Germinis. *Oportebat enim eum crescere Joan.* 3: 30. nimirum & *corpore*, quod non debebat occidi ab Herode, non morbis aggravari aut deprimi: & *anima*, quæ sapientia & omni virtute ad miraculum usque exornari debebat: & *statu*, qui per varios casus in istam debebat assurgere altitudinem, qua nulla daretur major, *Ephes.* 1: 21, 22. *Phil.* 2: 9. quando plurimas etiam de se *plantas* spirituales ejecit: conf. phrasin *Rom.* 6: 5 & 11: 17. quemadmodum scil. arbor ramos, aut vitis palmites: quo emblemate ipse Jesus sese tanquam causam vitæ spiritualis, & discipulos suos tanquam a sese dependentes depingit *Joan.* 15: 1–8. Jesum porro *Germen justum* fuisse, non opus est ut verbis pluribus ostendam. Conf. XLVII. Constat enim de Jesu nostro, eum fuisse *absque peccato Joan.* 8: 46. Immo ne quidem *illud cognovisse*, 2 *Cor.* 5: 21. neque *ullum dolum repertum fuisse in ore ejus*, 1 *Petr.* 2: 22. Idcirco insignitur *sanctus*, *immaculatus* &c. *segregatus a peccatoribus*, *Hebr.* 7: 26. 1 *Petr.* 1: 19. ubi phrasibus tam significantibus utitur Spiritus S. ut perfectissimam sanctitatem puritatemque aliter meliusque exprimere nemo possit.

Et quidem suscitatum a Patre, triplici illa emphasi §.

LXV. Jesus etiam fuit triplici illa emphasi indicata §. XLVIII *Germen*: utpote I. *Ortus per nativitatem* e muliere, uti alii filii carnis & sanguinis fiunt participes, *Hebr.* 2: 14. nec non etiam ex conditione tenuissima; quam videmus

in.

in nativitatis loco, in fuga ea in Ægyptum, in adoleſcentiæ educatione vili, in vita tota in terris, *exaltatus* in tantam celebritatem nominis, quâ etiamnum per orbem univerſum notus eſt. II. Jeſus *ſtabili firmitate* eadem hactenus poſſedit. Nam & *vixit* in hunc ipſum diem, etiamſi ſemel vitæ eclipſin ad breve tempus paſſus, uti gloriatur ipſe *Apoc.* 1: 18. & per omnem vim Judæorum, & poſtea Ethnicorum, & Muhammedanorum, & Anti-Chriſti nondum dejectus eſt de throno ſuo &c. Immo & III. Jeſus illa omnia immediate habet tanquam *Germen ſuſcitatum* ab ipſo Deo Patre, quatenus ille natus eſt citra ullum viri concurſum, per operationem Spiritus. S. & *virtutem altiſſimi* Dei, *Luc.* 1: 36. de qua re Paulus ipſe *Actor.* 13: 32. adhibet idem verbum ἀναστῆσαι, quô etiam LXX utuntur in hoc Jeremiæ loco. Quatenus porro reſpectu munerum ejus, & in ſpecie ratione officii ejus Regii, Deus Pater ſtatim publicè eum declaravit *Filium ſuum Matth.* 3: 17. & deinceps ipſo facto palam fecit, quod *feciſſet eum Dominum Actor.* 2: 33–36. *eumque extuliſſet ſupra omne imperium, poteſtatem, ac dominationem &c. eumque conſtituiſſet caput ſuper omnia* &c. *Epheſ.* 1: 20–22. *Phil.* 2: 9–11. quamobrem occurrit hic idem Jeſus in Apocalypſi ſæpenumero tanquam Rex, *ſedens* unà cum Patre *in Throno* Patris *Cap.* 3: 21.

XLVIII. *indicata.*

LXVI. Jeſus *Davidi* quoque ſuſcitatus fuit, triplici ea emphaſi, quam indicavi §. XLIX. Quatenus ד. ex *Davidis* ortus fuit *familia*, teſtante ejus genealogia *Matth.* 1. & *Luc.* 3. teſtante etiam hoſtium confeſſione. Neque enim unquam hac de re ullam ei litem moverunt Phariſæi, ejus licet hoſtes infenſiſſimi. Res enim hæc ejus tempore adeo cuique pernotiſſima fuit, ut iſthoc nomine inſigniretur paſſim, *Filius Davidis*, non à populo tantùm omni, ſed & à Scriptoribus Novi T. in ſcriptis ſuis publice editis, uti ſic exorditur principium ſui Euangelii Matthæus *Cap.* 1: 1. & alibi idem *Cap.* 9: 27. 22: 2. uti & *Lucas Cap.* 20: 41. Et Paulus dicit Jeſum *ex ſemine Davidis eſſe Rom.* 1: 3. & Joannes repetit, eum *ſtirpem & progeniem Davidis* palam vocans *Apoc.* 22: 16.

Davidi *etiam ſuſcitatum triplici iterum emphaſi.* 1 *Generationis ex eo.* 2. *Reſtitutionis gloriæ Davidicæ.* 3 *Et promiſſionum ſic adimpletarum.*

Et quid iſthoc Pauli aſſerto clarius nemine contradicente *Act.* 13: 23. *Ex hujus Davidis ſemine ſecundum promiſſionem eduxit Iſraëli Salvatorem Jeſum?* Immo verò idem quoque teſtimonium ei perhibent ipſi Hebræorum Magiſtri, diſerte ſatis in ſuo Talmude tradentes, *illum Jeſum, quem ſuſpenderunt veſpera Paſchatis*, fuiſſe קרוב למלכות / *propinquum Regno*, id eſt, ex familia regia, quæ nulla Judæis præter Davidicam agnita jure fuit. Ita in *Codice Sanhedrin Cap.* 6. ad *ſectionem primam.* Immo vel maledicentiſſimus libellus תולדות ישו / *Generatio Jeſu*, inter mendacia inſulſiſſima calumniaſque blaſphemas, quas contra Jeſum evomuit, nihilominus aſſerere cogitur, *eum fuiſſe cognatum Reginæ Helenæ*, ac propterea hanc Jeſum in vita voluiſſe conſervare. In qua aſſertione vides calumniatores, etiamſi ad peregrinæ Reginæ familiam eum detorqueant, tamen id negare auſos non fuiſſe Jeſum fuiſſe de *ſtirpe regia.* Si verò de ſtirpe regia fuerit, ſatis liquido ſequitur eum de tali ſtirpe regia fuiſſe, cujus illa tempeſtate nulla erat gloria aut poteſtas. Talis autem erat Davidica. Aliàs enim Jeſus non vixiſſet in conditione tam vili & egena. Et Helena Regina Adiabenorum, quæ adeo liberalis fuit er a omnes Judæos, uti Joſephus *Antiquit. L.* 20. *C.* 2. refert, non paſſa foret Jeſum, quem pro cognato agnoſcebat, pro cujus vita intercedebat, tam pauperem eſſe. Cæterùm plura in hanc rem ex Judæis collegit Clar. Braunius *Select. Sacr. L.* 3. *C.* 3: 2. Et nos etiam hac de re egimus ſingulari *Diſſertatione, de Jeſu Nazareno ex Davide orto.* Porro 11. & id in noſtro Jeſu obtinuit, quod inſtar *Germinis vilis* ortus fuerit ex egena tunc Matre, & tota domo Davidica prorſus collapſa: adeo ut *nihil* ipſe *haberet ubi reclinaret caput*, *Matth.* 8: 20. abjectus plane, atque *in forma ſervi*, *Phil.* 2: 8. Ita tamen ut dum *creverit* ille *Luc.* 2: 52. & *thronum Patris Davidis erexerit* denuo, *regnans in eo in omnem æternitatem Luc.* 1: 32. & 33. verè ille familiæ illi antiquam gloriam reddiderit. Unde etiam *Apoc.* 5: 5. deſcribitur tanquam *Leo ille ex tribu Juda, ſtirps illa Davidis, qui* VICERIT.

RIT. Immo & III. in *Jeſu* ita nato & exaltato promiſſiones *olim Davidi* datas impletas fuiſſe, nos exacte ſatis docuit Spiritus S. & per Petrum, & per Paulum, dum illi ambo apud Judæos memorant *juramentum* & *promiſſiones*, juxta quas ſuſcitatus ſit Jeſus ex ſemine Davidis *Act.* 2: 30 & 13: 23. uti & locum *Eſai. Cap.* 55: 3. ad Jeſum huc applicat Paulus ibidem *vers.* 24. & per Joannem, qui in *Apocalypſeos* libro identidem *Davidis* meminit, cùm Jeſu tribuit *clavem Davidis*, *Cap.* 3: 7. nomen *ſtirpis Davidicæ Cap.* 5: 5. nec non *radicis* & *generis Davidis Cap.* 22: 16. Unde conſtat ſingularis Jeſu relatio ad eam familiam, non reſpectu tantùm naturalis generationis, ex eadem, ſed magis reſpectu gloriæ iſti familiæ ex hac generatione Jeſu, ceu Meſſiæ, jam olim promiſſæ.

LXVII. Secundo etiam loco, illa omnia quæ ad Meſſiæ *Munera* & *Effecta* munerum ſpectant, in Jeſu noſtro cuncta obtinent. Ex. gr. dicitur; *Regnabit Rex*, in Jeſu obvium eſt, qui hoc titulo ſæpe gaudet, ut *Matth.* 2: 2. *Rex natus Luc.* 2: 11. 23: 2. *Rex Iſraëlis*, *Joan.* 1: 50. & præſertim poſt ſuam exaltationem ſedens ad dextram Patris, palam *demonſtratus fuit Chriſtus & Dominus*, & *caput Eccleſiæ Actor.* 2: 36. *Epheſ.* 1: 20. Qui κατ' ἐξοχὴν autem *Rex Regum*, & *Dominus dominantium*, *Apoc.* 19: 6. & 16. qui ergo etiam, rejectis omnibus aliis Eccleſiæ Dominis, ſolus regnare debet modo ſpirituali Col. 2: 10–15. atque ſic ille *regnat* quoque revera, immo *regnavit* ſemper, & *regnaturus* eſt in omnem omnino æternitatem. Qui inde deſcribitur tanquam βασιλεὺς τῶν αἰώνων, *Rex ſeculorum* 1 *Tim.* 1: 17. Quod non tantùm dioit eum Regem fuiſſe per omnia ſecula elapſa, verùm & eum *Regem regnaturum in omne ævum*, uti expreſſis verbis ei acclamatur *Apoc.* 11: 15. conf. *Dan.* 2: 44. & 7: 13, 14. Ita quippe *oportet eum Regem regnare*, *donec omnes ſuos inimicos poſuerit ſcabellum pedum ſuorum* 1 *Cor.* 15: 25. conf. *Pſalm.* 110: 1. Quo ipſo collapſum Davidis regnum erigens, *regnaturus eſt in domo Jacobi in æternum*, & *regni ejus non erit finis*, *Luc.* 1: 32, 33.

B. Reſpecta etiam qualitatum *& factorum* Germini *adſcriptorum. Jeſus quippe* x. *Munere* Rex *fuit, qui verè regnavit.*

2. *Factis quoque muneris & Activis*, Sapienter egit & proſperatus eſt.

LXVIII. Quoad *regni effecta*, de noſtro quoque *Jeſu* certum eſt ipſum & *ſapienter*, & *proſpere egiſſe:* quæ utraque § השכיל erat ſignificatio §. LIII. *Primùm* quidem *ſapienter*, quando non tantùm in diebus carnis ſuæ *ſapientiam* & *prudentiam* commonſtravit, *hinc* quidem in *ſapientiſſimis* ſuis concionibus ac ſermonibus ad populum habitis, ita ut comprobatum dederit ſeſe accepiſſe *linguam eruditorum*, *Eſai.* 50: 4. & *gratiam effuſam in ejus labiis Pſalm.* 45: 3. dum ſcilicet *percelleretur turba ſuper doctrina ipſius. Docebat quippe eos ut habens auctoritatem, non autem ut Scribæ: Matth.* 7: 28, 29. *Luc.* 4: 32. *Illinc* verò etiam in *prudenti* ſua converſatione per totam vitam cum omne genus hominibus; uti & poſt exaltationem ſuam *ſapientiæ ac prudentiæ* Spiritum magnâ copiâ effudit in ſuam Eccleſiam, quo ipſo & ille nobis a Deo factus eſt *ſapientia* 1 *Cor.* 1: 30. *exundavitque in nos omni ſapientia & prudentia Epheſ.* 1: 8. quemadmodum & Spiritus ille nos quoque docet, quo pacto *prudenter ambulemus*, *non ut inſipientes*, *ſed ſapientes Epheſ.* 5: 15. Deinde verò etiam *proſpere* Jeſus *egit*, & reſpectu ſuæ *perſonæ*, quatenus ipſe ex infimo humiliationis ſtatu exaltatus fuit ad ſupremum gloriæ gradum in cœlis: & reſpectu Regni ſui: quod ex tenuibus principiis, ſola Euangelii prædicatione, adeo extenſum fuit parvo temporis ſpatio, dextrorſum ac ſiniſtrorſum inter omnes ferme mundi nationes, ipſos etiam Chriſti hoſtes, ut nemo unquam antiquorum heroum, quorum celebrantur in hiſtoriis victoriæ, tam brevi ſpatio, tam ſine ullis armis, tam amplum, tamque ſtabile condiderit imperium. Conf. *Rom.* 1: 8. 15: 19. *Col.* 1: 8 & 23. coll. *Pſalm.* 110: 2. *Qui prodiit vincens, & ut vinceret Apoc.* 6: 2.

Exercuit judicium & juſtitiam *tanquam Judex, & tanquam Sacerdos.*

LXIX. Neque modò *Rex regnat Jeſus, & proſpere egit*, verùm & *Judex eſt, exercuit np. judicium & juſtitiam.* α. Tanquam *Judex* conſtitutus eſt à Deo, cujus nomine non tantùm exercebit olim judicium univerſale, *Joan.* 5: 22 & 30. *Actor.* 10: 42. 17: 31. ſed etiam exercuit *judicium* jam in orbe, & ſuos ſuæque Eccleſiæ puniens inimicos, puta Judæos rebelles ac obſtinatos, quos ſubegit miſitque in exilium, quod

quod perdurat in hodiernum uſque diem, cùm *pervenerit ira in eos ad extremum uſque* 1 *Theſſ.* 2: 16. Et ſimul exercuit *juſtitiam*, benignum ſe præbens & miſericordem erga ſuos & Eccleſiam ſuam, eam liberando ab omnibus inimicis ſpiritualibus *Luc.* 1: 74. cuſtodiendo contra omnes hoſtes terrenos, atque ſic ejus cauſam juſtificando contra quoſcunque. Quod luculento ſatis documento ſtatim comprobavit primis Chriſtianiſmi initiis, quando mirabili modo perſequentem Saulum cohibuit non tantùm, ſed & convertit, effecitque utiliſſimum in manu ſua inſtrumentum ad res Eccleſiæ ſuæ feliciter & juſtificandas & promovendas: conf. *Actor.* 9: 31. 1 *Pet.* 1: 5–8. Tali ſane pacto exercuit Jeſus & *judicium* ac *juſtitiam*, quibus virtutibus uti cuncta regna conſiſtunt, ita & illud Chriſti, adhibendo ſcil. pœnas erga impios, ac benignitatem erga ſuos credentes: uti duo illa egregiè concurrunt 1 *Theſſ.* 1: 3–12. conf. *Eſai.* 11: 3–5. nec non *Matth.* 3: 12. nempe juxta canonem illum Euangelii infallibilem ac veritatis æternæ, qui exſtat *Joan.* 3: 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui vero non credit in Filium, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipſum.* Sed & β. Tanquam *Sacerdos judicium* & *juſtitiam* exercuit, ſatisfaciendo juſtitiæ divinæ, atque ſic *condemnando peccatum in carne, ut* ſimul *jus legis adimpleretur Rom.* 8: 3. Sed quæ ex Catecheticis de *Satisfactione Jeſu Chriſti* ſatis nota ſunt.

LXX. Iſtud omne Jeſus quoque exercuit *in terra*, non Palæſtina modò, ſed toto habitabili, quod hiſce exprimit verbis Clar. Altingius in *h. l. Illud Regnum habet & adminiſtrat prudenter feliciterque inter gentes mundi Luc.* 19: 12. *quo miſit miniſtros ſuos Apoſtolos cum ſceptro potentiæ, Euangelio, addita Spiritus ſui & potentiæ efficacia, ad convertendos homines, coſque in Regnum ſuum transferendos.* Adducit quædam S. Scripturæ loca ibidem videnda. Ego veritatem hujus nunc rei demonſtrabo ex Tertulliano; qui floruit ipſo adhuc ſeculo ſecundo. Ita autem ille *contra Judæos* pag. mih. 212. *Edit. Rigaltianæ*; hoc verò ille ſcripſiſſe ſupputatur Anno Chriſti 208. Conf. Cavei *Script. Eccleſiaſt. Hiſt. Liter.* p. m. 59.

Et in terra quidem. Idque

59. *Edit. Londin. Chriſto omnes*, inquit, *gentes crediderunt, cujus & prædicatores Apoſtoli in Pſalmis David oſtenduntur: In univerſa*, inquit, *terra exiit ſonus eorum, & uſque ad terminos terræ verba eorum. In quem enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt; Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam; & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphyliam; immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, inhabitantes? Romani & incolæ; tunc & in Hieruſalem Judæi, & cæteræ gentes: ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines; Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto vero ſubdita; & Sarmatorum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium; & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus: in quibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat, utpote omnium civitatum portæ ſunt apertæ, & cui nullæ ſunt clauſæ: ante quem feræ ferreæ ſunt comminutæ, quanquam & iſta ſpiritualiter ſint intelligenda, quo præcordia ſingulorum variis modis a Diabolo obſeſſa, fide Chriſti ſint reſerata: attamen perſpicue ſunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Chriſti inhabitet. Quis enim omnibus regnare potuiſſet, niſi Chriſtus Filius Dei? qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur &c.* Idem in *Apologetico adverſus Gentes Cap. 33. p. m. 37.* quem ſcripſiſſe creditur circa finem ſecundi, vel initium tertii ſeculi: *Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus* (vel uti in margine exemplaris mei inter Joſ. Merceri notas, & varias lectiones e codice Agobardi ab eodem erutas, quaſque nitida manu Soudleiæ prope Windeſoram in ædibus Voſſianis Paulus Colomeſius, Rupellenſis, Anno 1682. deſcripſit, legitur, *ex terra ſumus*, & *extra omnia implevimus*) *urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis relinquimus* (in margine, *relinquamus*) *templa.* Vid. & Clar. Havercampius in *h. l.* Cujuſ-

juſmodi ſexcenta proferre liceret ex Patribus alia, ſi id nobis nunc datum eſſet negotii.

LXXI. Factum autem illud eſt juſto etiam tempore §. XVII & LVI. deſignato, *diebus* ſcilicet *Jeſu ſuſcitati*, nunquam verò antea. Multo antea labore Judæi paucos proſelytos (conf. *Matth.* 23: 15.) ad religionem ſuam, ſplendido ſatis cultu ornatam, pertrahebant; Jeſu verò ſuſcitato & exaltato certatim tot feſtinârunt populi ad religionem, ſcandalo crucifixi Jeſu ſatis odioſam, ſub fidei obedientia amplectendam. Quod nemo abſque ſtupore perpendere poteſt. Uti & hac conſideratione, tanquam egregio contra Judæos pro Jeſu argumento, uſi fuerunt Viri graves, ſua & eruditione ac vitæ pietate in antiqua Eccleſia conſpicui. Juſtinus Martyr, qui ſeculo medio ſecundo floruit in *Dialogo cum Tryphone* Judæo: Οὐδὲ ἓν γὰρ ὅλως ἐστὶ τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε Ἑλλήνων &c. *Atqui non unum quidem eſt genus mortalium, ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Noniadum domo carentium; vel in tentoriis viventium (Scenitarum) & cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Jeſu ſupplicationes & gratiarum actiones Patri, fabricatori rerum omnium, non fiant.* Hieronymus *Epiſt. Tom.* 1. in Epitaphio Nepotiani, ad Heliodor. *Ab India uſque in Britanniam, a rigida Septentrionis plaga uſque ad fervores Atlantici Oceani, jam innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines, quam variæ linguis & habitu, tam veſtibus & armis, piſcium ritu ac locuſtarum, velut muſcæ & culices conterebantur (abſque notitia enim ſui Creatoris omnis homo pecus eſt) nunc vero paſſionem Chriſti & reſurrectionem ejus cunctarum gentium & voces & literæ ſonant. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quas nationes fidei ſuæ in crucis titulo Dominus dedicavit. Immortalem animam, & poſt diſſolutionem corporis ſubſiſtentem, quod Pythagoras ſomniavit, Democritus non credidit, in conſolationem damnationis ſuæ Socrates diſputavit in carcere, Indus, Perſa, Gothus, Ægyptius philoſophantur. Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui*

Idque Tempore demum Jeſu, non ante.

mortuorum quondam inferiis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce Crucis fregerunt melos. Chryſoſtomus in illo libro ſuo, ὅτι Θεὸς ὁ Χριστός. *Quod Chriſtus ſit Deus*, Oper. Tom. 6. Edit. Edon. p. 631. Οὕτως ἐξ ἐκείνου πᾶσαι χῶραι, καὶ πᾶσαι πόλεις &c. *Sic ab illo tempore omnes regiones & omnes urbes, & deſertum, & terra tam habitabilis, quam non habitata, Crucifixum prædicamus. Et Reges, & Imperatores, & Principes, & Conſules, & ſervi, & liberi, & privati, & docti, atque indocti, & Barbari, & multifaria hominum genera, & quamcunque demum terram ſol luſtrat, eam quanta quanta eſt Crucifixi nomen & adoratio pervaſit.* Theodoreti etiam notatu digna ſunt verba, quæ habet *de Græcar. Affection. Curatione Serm.* 9. qui inſcribitur περὶ νόμων, *de Legibus. Oper. Tom.* 4. *p.* 610. Poſtquam multa de Legislatoribus Ethnicorum, eorumque inſtitutis, quæ a Diis ſe hauſiſſe venditabant, dixerat Apoſtolos cæteroſque Euangelii Chriſti adminiſtros illis opponit: Οἱ δὲ ἡμέτερου ἁλιᾶς, inquit, καὶ οἱ τελῶναι, καὶ ὁ σκυτοτόμος, ἅπασιν ἀνθρώποις τὰς εὐαγγελικὰς προσενηνόχασι νόμους &c. *At piſcatores noſtri & publicani ſutorque, cunctis nationibus leges Euangelicas intulerunt. Neque ſolum Romanos, quique ſub illorum vivunt imperio, ſed & Scythicas ac Sarmaticas gentes, & Indos, & Æthiopes, & Perſas, & Seras, & Hyrcanos, & Bactrianos, & Britannos, & Cimbros & Germanos, atque, ut ſemel dicam, omne hominum genus, nationeſque omnes induxerunt, ut Crucifixi leges acciperent, non armis uſi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Perſicæ violentia, ſed verbis ſuadentes, legumque utilitatem oſtendentes &c.* Vix me contineo quin plurima adhuc prodicam; cùm nihil profectò magis ſit volupe, quàm has Patrum audire Apologias. Sed plura qui cupit, & quo pacto Philoſophi, & Oratores ſummi ab inveteratis ſuis opinionibus receſſerint, ſeque placitis tradiderint Chriſti crucifixi, legat hic in primis Origenem *contra Celſum Lib.* 3.

2. *Paſſivis, ubi Judæis, tam ex Iſraële quàm*

LXXII. Porro quod ad *effecta regni Jeſu paſſiva*, nihil ex Jeremia ſupra §. LVII–LIX. a nobis explicatum fuit, quod non ſuam in noſtro Jeſu veritatem invenit. *In die-*

bus

bus enim ejus Juda, & Iſraël primum & primarium curæ ipſius fuerunt *objectum:* ad *ſua & ſuos venit Joan.* 1: 11. *ad oves domus Iſraël deperditas ſe miſſum* ipſe dixit *Matth.* 15: 24. ad hos Apoſtolos ſuos primùm miſit, vetitâ *via Ethnicorum & Samaritanorum, Matth.* 10: 5. & mittens jam hos ad omnes populos, tamen ſemper Iſraëli primas reliquit partes *Luc.* 24: 46. Idem Petrus dixit *Actor.* 2: 39. 3: 26. Idem Paulus *Actor.* 13: 26 & 46. &c. Et quidem hæc prærogativa data fuit *Iſraëli & Judæ* ſimul: quandoquidem multi ex *Juda* & *Iſraële*, qui populi ſub Rehabeamo Rege in duo regna fuerunt diviſi, *ſed rurſum conjungendi erant ſub unius Meſſiæ regimine*, juxta *Eſai.* 11: 12. &c. *Jer.* 3: 18. *Hoſ.* 1: 11. *Ezech.* 37. (vid. plura penes Altingium) revera rurſus ſub noſtro *Rege Jeſu* conjuncti fuerunt in unitate fidei charitatiſque Chriſtianæ, demto omni, quod prius erat, diſcrimine ac inimicitia. *Conf. Luc.* 2: 33. & in primis *Joan.* 11: 50. Cujus rei initium exſtitit feſto Pentecoſtis, quando ex iſtis omnium tribuum Judæis ac Proſelytis tria millia Chriſto nomen dederunt, *Actor.* 2. uti & ad eos indiſcriminatim ſuas quoque Epiſtolas ſcripſerunt Apoſtoli, prout ex quacunque tribu orti hic illic erant in diſperſione per varias terrarum orbis plagas disjecti.

Juda, Salvatio & ſecura habitatio *contigit.*

LXXIII. His autem evenêre beneficia hic memorata, ſaltem in ſui implementi principio. (Neque enim opus eſt ut ſtatim initio *dierum Meſſiæ* omnia hic prædicta impleantur in totum; uti §. XXII. obſervavi.) I. *Salvati* ſunt in *Jeſu ab omnibus ſuis peccatis*, uti ipſe inde *Jeſus*, id eſt, *Salvator*, dictus fuit, *Matth.* 1: 21. *Actor.* 4: 12. *Luc.* 2: 31. 32. *Rom.* 11: 26, 27. coll. *Pſalm.* 14: 7. ab omnibus ſuos liberans inimicis ſpiritualibus, *Luc.* 1: 71. &c. atque ita *ſalutem* concedens ipſis *animarum*, 1 *Petr.* 1: 9. 11. An non etiam *ſecure habitârunt* omni illa emphaſi, quam ſupra §. XXI. notavi? *a.* Quando in Jeſu receperunt tutum refugium contra quævis hujus mundi mala, *Joan.* 16: 33. & participes facti ſunt plenariæ *pacis* ac *requiei animarum*, *Rom.* 5: 1. *Matth.* 11: 28-30. Cum qua ſimul conſecuti ſunt ſummam quoque in Chriſto

Spiritualiter maxime, ſed & corporaliter.

lætitiam, & quidem illâ majorem, quæ olim obtinebat in celebratione festi Tabernaculorum, quæque tanta fuisse fertur, ut Judæi dicere soleant, eum qui hanc lætitiam non viderit, per totam vitam nil læti vidisse. Illa verò, quæ per Jesum confertur, infinito modo ac mensura major est. Quare cum ejus nativitate etiam Angelus dixit *Luc.* 2: 10. ἰδὺ, εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην &c. *Læto nuncio vobis deprædico lætitiam magnam, vobis hodie natum Servatorem, qui est Christus Dominus.* β. Quando illa etiam Palæstinæ inhabitatione, cui olim ceu pignori fuerant affixi, cessante, ubivis terrarum nunc eadem, ac olim in Canaäne, alacritate Deum colere, & tutò habitare queant, 1 *Tim.* 2: 8. *Hebr.* 13: 14. γ. Sed & denique quando *literali illo sensu*, de quo dixi §. LIX. *Juda* & *Israël* regno Jesu Christi subjecti securitate & tranquillitate externæ inhabitationis in *terra* usi fuerunt, aut adhuc usuri sint. Neque enim sive *terram* stricte capias, sive late, (Vid. §. XVI. XXI. LV.) unico momento promissio hæc adimpleta censeri debet, vid. dicta §. XXII. Per intervalla enim, tam in Canaäne, quàm in tota terra, promissio hæc modò plus, modò minus implementi habuit. Nempe, (pauca quippe speciminis loco hic tantùm notabimus) *Juda* & *Israël*, sive (conf. §. XIX.) Ecclesia Jesu Christiana, cujus fundamentum & stirps fuêre *fideles ex Juda & Israële*, in Canaäne sola adhuc habitans, vix orta statim persecutionem gravem passa fuit, *Act.* 8: 1. mox tranquilla habitabat, *Actor.* 9: 31. *Ecclesia per totam Judæam & Galilæam, & Samariam pacem habentes ædificabantur; & pergentes in timore Domini & consolatione Spiritus S. multiplicabantur.*

Maninne post destructionem Hierosolymæ.

LXXIV. Instante Hierosolymæ excidio totali, Christiani, prout prisci Annales memorant, admoniti fuerunt inde discedere, qui & migraverunt Pellam, ubi iterum *securè habitarunt*, terram Judaicam penitus devastantibus Romanis. Rem totam prodit Eusebius Cæsariensis *Hist. Eccles.* L. 3. C. 5. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ λαὸς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας καὶ τινας χρησμοὺς τοῖς ἀυτόθι δοκίμοις δι ἀποκαλύψεως δοθέντας &c. Quæ ex

Ver-

Verſione Henr. Valeſii ita ſe habent: *Sed & cum univerſa plebs fidelium Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ex oraculo, quod viris quibuſdam ſanctiſſimis divinitus editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrare, & oppidum quoddam trans-Jordanem, Pellam nomine, incolere juſſa fuiſſet; jamque omnes, qui in Chriſtum crediderant, relictis Hieroſolymis ſedes ſuas Pellam tranſtuliſſent* &c. Quod idem tradit Epiphanius in *Hæreſi Naziræorum Cap.* 7. Πάντων τῶν μαθητῶν τῶν ἐν Πέλλῃ ᾠκηκότων &c. *Pellæ Diſcipuli omnes habitabant* (poſt ſeceſſionem ſcilicet ab Hieroſolymis) *a Chriſto de relinquenda Hieroſolyma urbe migrandoque præmoniti, quod ejus immineret obſidio.* In Libro autem *de Ponderibus & Menſuris*, qui exſtat *Oper.* T. 2. p. 171. ex *Edit. Petavii*, dicit hanc admonitionem factam ὑπὸ Ἀγγέλου, *ab Angelo*: additque Diſcipulos Jeſu, cùm Hadrianus Hieroſolymam reſtauraſſet, atque ex ſuo nomine Æliam coloniam appellaſſet, eò denuo reverſos eſſe, & miraculis claruiſſe. Vid. *loc. cit. Cap.* 14 & 15. Interea temporis Eccleſia per *totam terram ſparſa*, per tria ſecula ſequentia in Romano imperio nunc pace gaviſa eſt, nunc perſecutiones paſſa graviſſimas & plurimas à Gentibus & Judæis rebellibus, tractu tamen temporis eæ ceſſarunt, præcipue ſub Imperat. Conſtantino M. qui ipſe fidem Chriſtianam amplexus pacem dedit Eccleſiæ, ita ut tunc verè demum ſpiritualis Iſraël ubique ſub imperio Romano habitare poſſet. Tunc enim, ut ait Celeb. Coccejus; Chriſtus *Satanam, ſive Draconem contrivit ſub pedibus eorum, & facit ut gentes cuderent ſuas ſicas in falces, & leones, lupi atque urſi cum armentis ſtabularentur Eſai.* 2 & 11. Poſtea novæ per Antichriſtum fuerunt motæ, & adhuc moventur. Quamobrem dicendum, hoc promiſſum in plenaria ejus perfectione & efficacia adhuc implendum eſſe, et eo quidem tempore, quando Judæi *ultimis diebus quæſituri ſunt Deum, & Davidem Regem ſuum Hoſ.* 3: 4. quando *plenitudo gentium introibit, & totus Iſraël ſalvabitur Pſalm.* 14: 7. *Eſai.* 59: 20. *Rom.* 11: 25. Tunc enim *Juda* & *Iſraël* in emphaſi *tranquillè habitabit* cum univerſa Eccleſia Chriſtiana, quæ ex *Iudæis* & *Iſraelitis* primitus erecta, poſt judicium devaſtationis & excœ-

cationis immiſſum, per multa ſecula ex *nationibus mundi* ſupplementum ſuum, ne interiret, acquirere debuit, tunc verò de novo conſtabit plurimis *Judæis* & *Iſraelitis*, quibus tunc quoque quoad literam hæc ſecura habitatio continget, idque prout juxta Prophetarum oracula nobis ſaltem veriſimile obſervatur, in patria quidem ſua terra. Conf. §. LIX. ad finem.

C. Reſpectu Remunerationis, ſive Nominationis, JEHOVA juſtitia noſtra, pro quali Jeſus agnitus eſt a nobis Chriſtianis, & agnoſcetur etiam a Judæis, immo reſpectu fundamentalis rationis jam agnoſcitur.

LXXV. Tertio tandem loco ex tribus implementi hujus partibus (vid. §. LXIII.) reſtat denique hæc ultima, quod np. Jeſus noſter etiam revera nominatus ſit JEHOVA *juſtitia noſtra*. Hoc enim nomen uno ore, præeuntibus Apoſtolis omnibus, Jeſu illi Mariæ filio tribuunt omnes per totum terrarum orbem diſperſi Chriſtiani, & in maxima quidem emphaſi orthodoxi. Neque hic adeo opus erit oſtendere ex ſcriptura Novi Teſtamenti, quod Apoſtoli illi tribuant, quod ille ceu *Sacerdos futurorum bonorum* adduxerit aeternam ἀπολύτρωσιν? *Hebr.* 9: 12. Qui juſtus ipſe *pro nobis factus eſt peccatum, ut nos fiamus* JUSTITIA *Dei in ipſo* 2 *Cor.* 5: 21. Qui & NOBIS omnino factus eſt JUSTITIA, & quidem *a Deo* 1 *Cor.* 1. 30. Quod hujus *unius obedientiâ*, cùm activa, tum paſſiva, *ipſi conſtituamur* JUSTI *Rom.* 5: 19. et quæ ſimilia *Phil.* 3: 7. 9. prædicantur. Hæc enim Chriſtianis nobis ſatis nota ſunt ab ipſa juventute edoctis gloriationem noſtram in ſolo Jeſu reponere. Judæos verò, aut alios incredulos, auctoritatem Apoſtolorum non agnoſcentes, non convincent per ſimplicem allegationem, ita tamen hæc eos convincent, ſi conſiderare velint minum certe eſſe, quod uti omnia a Jeremia de *Germine Davidis* hic prædicta, ita & hoc ſpecialiſſimum in Jeſum noſtrum quadrare, quod tot millia hominum ex Judæis primùm, poſtea etiam ex Gentibus eò adacti fuerint, ut in Jeſu illo Mariæ filio crucifixo, & in nullo alio, vel ante illum, vel poſt illum, quæſiverint juſtitiam, quâ ipſi coram Deo conſiſtere poſſint. Cujus ſalutaris veritatis, quamvis Judæi, juſto Numinis judicio, velum impoſitum habentes oculis ac cordibus ſuis, hucuſque ex odio in Jeſum concepto pertinaces ſint abnegatores, ita ut *ſectando legem juſtitiæ*, *ad legem*

gem juſtitiæ non pervenerint; quare? quia eam quæſiverunt non ex fide, ſed quaſi ex operibus Legis Rom. 9: 30. poſtremis tamen temporibus de eadem erunt pleniſſime convicti, confeſſurique *Jeſum Chriſtum eſſe finem Legis ad juſtitiam cuivis credenti Rom.* 14: 4. atque ſic revera eum nominaturi, JEHOVA *juſtitia noſtra.* Cujus noſtræ de Judæis ſpei fundamentum infallibile eſt, quod licet Jeſu Nazareni, & ipſius etiam Meſſiæ ſibi promiſſi *juſtitiam* & *merita* hactenus rejiciant, probè tamen ſatis norunt ex Prophetarum oraculis, *alterius merita*; & non *noſtra*, eſſe *juſtitiam* & ἱλασμὸν, quo mediante Deo Patri reconciliemur. Ideirco cùm propriis tamen meritis diffidant, ut aliena itaque habeant merita, *juſtitiam* illi *Patrum ſuorum* Deo in judicio objicere ſolent. Atque hoc illi dogma inter fundamenta Scholæ Judaicæ retulerunt. Ita enim habet Maimonides *More Nevoch. L.* 3. *C.* 34. *Eſt hoc unum ex iis, a quo Lex dependet*, h. e. fundamentis Legis, *quod omne bonum, quod Deus nobis fecit, vel faciet, fiat propter meritum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, quia cuſtodiverunt viam Domini, faciendo juſtitiam & judicium.* Hoc verò meritum, uti perversè ipſis illis Patribus ſuis adſignant, utpote non ex operibus, ſed ex *fide* juſtificatis, ipſis *in juſtitiam imputata*, quemadmodum clariſſime docet Moſes *Gen.* 15: 6. ita idem meritum a Patribus multo minus in ſuas rationes transferre poſſunt. Quod ſuum vitium ſi animadverterent, atque ſi adſcriberent Meſſiæ, & conſequenter Jeſu noſtro omnem ſuam juſtitiam, cui illa demum ſoli competit, in promtu iis eſſet nobiſcum colligere, Jeſum Nazarenum omnino eſſe illum in Oraculo noſtro promiſſum Meſſiam, & JEHOVAM *juſtitiam noſtram.* Notiſſimum quippe eſt tum impleri Prophetiam, quando omnia, quæ hiſtoria exhibet in aliqua re aut *perſona*, *ſubjecto* aut *prædicato* in prophetia depictis, *ſubjecto* ac *prædicato* exactè reſpondent. Quod ſi ſit, eos rogatos velim, ut oſtendant quidnam in noſtro oraculo de *Meſſia Germine* contineatur, quod non itidem fuerit in *Jeſu* noſtro *Nazareno?* Et rurſus, quid reſpectu *perſonæ*, *munerum*, *beneficiorum*, & reliquorum, a

me

me ex hoc loco enumeratorum §. LXIV–LXXIV. locum habuerit in *Jeſu Nazareno*, quod non diſerte etiam de Meſſia, reſpectu eorundem attributorum, in oraculo hoc ſit prædictum? Si diſcrepantiam oſtendere nequeant, & tamen noſtrum Jeſum admittere nolint Judæi ex Euangeliſtis cognitum, dent rationem quare admittant ſuum Meſſiam, apud Jeremiam Vatem prædictum atque promiſſum? Aut ambos rejiciant oportet, aut ambos nobiſcum ambabus ulnis amplectantur: quod olim facturos eſſe eos Paulus nos docuit ex oraculis Propheticis *Rom.* 11. & 2 *Cor.* 6.

Objectioni Judæorum ab hodierna Judæorum miſeria reſpondetur in genere, oſtendendo eam non procedere.

LXXVI. Eſt tamen nonnihil quod urgent, & in quo, cauſæ ſuæ dicam, an verò perfidiæ potius & infidelitatis? præſidium ſe invenire putant. Id autem ex ipſorum mente ita nobis exhibet Mart. Raymundus *in Pugion. Fid. Part.* 2. *Cap.* 11. §. 1. *Cùm Judæi*, ait, *ſalvari debuerint in diebus Meſſiæ, ut hic in loco manifeſte habetur ex verbis Jeremiæ, & nunquam eis ante vel poſt talis captivitas, tot & tam gravia mala evenerint, ut in diebus Jeſu Chriſti veſtri, nec ita fuerint deſtructi, diſſipati, atque diſperſi, nullatenus Jeſus Chriſtus poterit eſſe Meſſias.* Ad quam objectionem diluendam conſiderandum primùm in genere, per eam etiam objectionem Danielis Prophetiam de Meſſia refelli poſſe. Ait enim Daniël *Cap.* 9: 25. poſtquam Meſſias jam advenerit, *devaſtatum iri urbem & ſanctuarium*, atque *fore finem, & bellum, ac deſolationes ad finem uſque*, quæ comminatio explicanda eſt ex *Hoſ.* 3: 4. prædicente Judæos *per multos dies ſeſſuros abſque Sacerdote, & Rege, & Principe, & ſacrificio, & ſtatua, amiculo aut imaginibus:* atque tunc demum *venturos ad Davidem*, i. e. Meſſiam, jam antea quidem revelatum in carne, ſed ab ipſis nondum agnitum. Ex quibus ſequitur vel poſt adventum adhuc Meſſiæ Judæos plurimos poſſe manere in miſeria; & ſic perit hæc objectio: vel Danielem & Hoſeam erraſſe. Si inſtent, Jeremiam tamen hoc loco aliter loqui: dicam; quia hic cum Daniele pugnare non poteſt, conciliationem aliquam hic afferendam eſſe. Quam facilè nos invenimus in diſtinctione *duplicis Iſraelis*, *duplicis* etiam *ſalvationis.*

tionis : de quo mox. His porro ſi addas prædictum etiam fuiſſe, *Iſraelem* ob *Meſſiam* male tractatum olim miſerè puniendum fore vaſtatione, exilio &c. uti prædictum eſt a Moſe in Cantico ſuo *Deut.* 32: 15. *& ſeqq.* à Davide *Pſalm.* 41: 11. 50:22.69 & alibi : jam tantum aberit ut ex hoc ſuo exilio probare poſſint Jeſum non eſſe Meſſiam, ut contrà, quia ſunt in exilio, & quidem per longum adeo ſeculorum tractum, ergo Jeſus Meſſias verus ſit oportet, ob quem ab iis repudiatum hoc jam exilium patiantur, juxta ipſum Majorum ſuorum votum: vid. *Matth.* 27: 25.

In ſpecie cur non procedat, & Concluſio.

LXXVII. Evici hactenus in genere objectionem eam non procedere. Nunc in ſpecie oſtendam cur non procedat. Ad quod tamen opus eſt ut quicquam afferam præter ante dicta. Nempe uti falluntur ſæpe Judæi, quod prophetias vulgò ſumant juxta literam, eaſque interpretentur de rebus mundanis, deque terrena, qua ſub Meſſiæ illi regno gauderent, proſperitate, cùm è contrario iſtæ myſtico ſenſu de rebus plerumque ſpiritualibus capiendæ ſint; ſic & in hac objectione, ex eodem illo fonte, triplex vitium contra hujus Oraculi ſenſum committunt. I. Quod *Iſraelem* & *Judam* accipiant de tota multitudine carnalium iſthac in gente, cùm accipi debeat de ſolis ſpiritualibus, ut oſtendi §. XIX. & LVII. qui cùm pauciores ſint numero, nihil pugnat tempore Meſſiæ *Iſraëlem ſalvari*, & *Iſraëlem* ſimul maximæ partis reſpectu *perire.* Cum quo ipſa etiam Judæorum hypotheſis bene conſonat, ſtatuentium non omnes Judæos per Meſſiam ſalvandos fore, ſed eorum numerum parvum ſolùm eſſe futurum : quod ex ipſo Libro Sanhedrin Raymundus *loc. cit.* §. 2. ita deducit: *Non omnes*, inquit, *Judæos ſalvare debuit Meſſias, ſed valde paucos. Hoc eſt autem quod ſcriptum eſt in libro* Sanhedrin, *Diſtinct.* Chelek *in fine* "ורסימאי אמר וכו / *Traditio eſt, R. Simai dixit: dictum eſt Jerem.* 3: 14. *Et aſſumam vos, unum de civitate, & duos de familia*, vel *cognatione. Et dictum eſt ibid. Et introducam vos.* Hic habet gloſſa R. Salomonis, *uti egreſſus eorum ex Ægypto, ubi duo* (ſcil. Joſua & Calebus) *de ſexcentis millibus ; ſic erit*, inquiunt, *in diebus*

Meſſiæ. Quo ex principio iterum ratiocinatur laudatus Raymundus: *Sicut dictum eſt Hoſ.* 2: 15. *Et reſpondebit*, ſive *cantabit ibi ſicut in diebus juventutis* (ſive pueritiæ) *ejus, et ſicut in diebus adſcenſionis ejus de terra Ægypti.* Ex quibus ita poſitis Raymundus in hunc modum commentatur: *Ecce ex illa traditione*, inquit, *manifeſte habetur, quod ſicuti de ſexcentis millibus Judæorum, qui egreſſi fuerunt ex Ægypto, non intraverunt terram promiſſionis, ſuis exigentibus culpis, niſi duo, Joſua ſcilicet, & Caleb: ſic quoque in diebus Meſſiæ, ut probatur per Prophetam Hoſeam, non erant ſalvandi de Judæis niſi duo de ſexcentis millibus, ac ſic unus de civitate, & duo de cognatione, ut per Jeremiam exſtitit prophetatum. Alii vero erant deſtruendi, & penitus diſſipandi, ſicut ſcriptum eſt Hoſ.* 9: 15. *Propter malitiam operum ſuorum de domo mea expellam eos, non addam diligere eos:* id eſt, *nunquam diligam eos*, exiſtentes ſcilicet Judæos. *Omnes principes eorum deviantes*, vel pravi, vel tortuoſi, vel iniqui. Ex hiſce ſic tandem Scriptor ille ratiocinatur ac concludit: *Cum ergo*, inquit, *Dominus noſter Jeſus ſalvarit Judæos, unum de civitate, ut Beatum Paulum de Tarſo Ciliciæ, & duos de cognatione, ut B. B. Petrum & Andream, qui fuerunt fratres, Jacobum & Johannem, qui ſimiliter fuerunt fratres, & ſic ſalvaverit duos de ſexcentis millibus, id eſt, paucos do millibus, & iſtum modum jam ſervaverit plus quam per mille annos, manifeſtum eſt ipſum eſſe Meſſiam.* Poſſunt & conferri ea, quæ habet Joſ. de Voiſin in ſuis *Notis* ad Raymundum *pag. m.* 439. *col. a.* Hac ergo diſtinctione poſita, revera Iſraël ſalvatus eſt, uti oſtendi §. LXXII. II. Alterum vitium Judæorum eſt, quod *ſalvationem* hic accipiant de ſalvatione externa ſolùm & temporali, cùm præcipuè de ſpirituali accipienda ſit, ut docui §. XX. & LVIII. Quo ſenſu impletum eſſe hoc oraculum oſtendi ſtatim allegato §. LXXII. Quamvis ſi etiam omnino hic de corporali aliqua *ſalvatione* aut *liberatione* intelligere prophetiam velles, non deſit implementum reſpectu *ſpiritualis Iſraëlis*, uti oſtendi §. LXXII. ſub litera *γ*. III. Tertium vitium eſt, quod generalem deſignationem temporis per *dies Meſſiæ*,

Meſſiæ, illi latiſſimo ſenſu accipiant, cùm ſtrictiori ſenſu accipi poſſit de certa eorum dierum parte aut periodo, ſive priore, ſive poſteriore: uti etiam dixi §. XXII. & LX. Lubet hic appingere ea, quæ hic commentatus eſt Clar. Jac. Altingius in *h. l.* Tempus, *erit* in ipſius diebus. *Siquidem ſtatim ſub initio regni ejus, etiam Iſraelitæ eſſent acceſſuri, non opus fuiſſet*, inquit, *hac circumſtantia; ſed quia hi repudiaturi erant ſignificatur plures dies regni Meſſiæ abituros, ut Iſraelitæ nihil ex eo commodi ſentiant; attamen antequam omnes finiantur ad ipſos quoque perventurum illud regnum, ejuſque beneficia. Hoc dicitur Eſai.* 11: 10. 11. *ſeqq.* & *explicatur Luc.* 19: 12. *nec non parabola filiorum, Luc.* 15: 11. *Matth.* 21: 28. *& Vid. Rom.* 11. *Cap.* Quibus majoris confirmationis gratia tandem addiderim *Eſai.* 32. *tot.* præcipuè *verſ.* 15--18. Et *Cap.* 33. NB. *verſ.* 20--24. Jure itaque ex omnibus, quæ diſputavimus hucuſque, colligimus, Jeſum noſtrum Nazarenum hoc promiſſum eſſe *Davidi Germen juſtum, & Regem, & Sacerdotem, &* JEHOVAM *juſtitiam noſtram:* adeoque & UNICUM rurſus ac PERPETUUM ECCLESIÆ Prophetarum ævo, & ſtante Templo primo FUNDAMENTUM. Quod probandum erat.

DISSERTATIO VI.

AD JEREM. XXX: 21.

Qua agitur

DE

MAGNIFICO AC DOMINATORE ISRAELIS,

TANQUAM SACERDOTE APPROPINQUATURO, AC SPONSURO CUM CORDE SUO AD DEUM.

BREVIARIUM.

I. *Introductio & ſcopus.* II. *Connexio hujus commatis cum præcedentibus.* III. *Methodus tractandi tripartita.* IV. *A.* Verborum literalis exegeſis. *In qua eſt repræſentatio perſonæ alicujus deſcriptæ. I. Relative ad homines, ut* Regia *maxime* α. *Ab excellentia ſua per titulum* אדיר / *magnificus.* V. β. *A munere regio per titulum* מושל / Dominator. VI. *Quorum titulorum emphaticorum combinatio hic eximiam huic perſonæ excellentiam tribuit.* VII. γ. *A genere ſuo Judaico per pronomen* ejus, *id eſt, Iſraëlis.* VIII. δ. *Ab origine perſonæ, tanquam quæ* erit *ac* prodibit, *id eſt,* naſcetur homo, & ſe manifeſtabit Iſraëli. IX. *Et quidem* ex ipſo Iſraële: *id eſt, tanquam indigena, atque* ex medio Iſraële: *id eſt, tanquam homo vilior.* X. ε. *A tempore quando, ET.* XI. *II. Relative ad Deum, ut* Sacerdotalis *maximè, & id excellentiſſimo modo* α. *Per phraſin*: Ego eum appropinquare

quare faciam, & ipſe ad me accedet. *Quæ non eſt extenuanda cum Abarbanele & Grotio, ſed accipienda in emphaſi de ſacerdotii utroque actu.* XII. *Diſtincte enim I.* Appropinquatio *ea accipi poteſt de ſacrificio oblato.* XIII. *Ad quod* appropinquare eum faceret Deus *quadruplici emphaſi ſcil.* (1) *Legitime eum conſtituendo & vocando.* (2) *Quamvis ortum forſan ex tribu non ſacerdotali, aut Levitica.* (3) *Idque immediate ſine interventu hominis ullius. Et tandem* (4) *Vocando ipſum, non obſtante quod ſimul eſſet* Dominator. XIV. *II.* Acceſſio *de* interceſſione ſacerdotali *accipi poteſt, quæ in intimo fit ſanctuario, uti phraſis indicat.* XV. *Et* acceſſio ad Deum *hic indicat, quod hic Dominator* ℵ. Placaturus ſit Dei Juſtitiam. XVI. ב. *Non in terreſtri ſanctuario, aut interveniente altari; ſed immediate in ipſo cœlo.* XVII. ג. *Et quidem cùm ſponte ſua, tum etiam* jure appropinquationis ante-greſſæ. XVIII. β. *Per phraſin*: Quis eſt qui cum corde ſuo &c. *Nam* (1) *Phraſis ea emphatica eſt, contra Abarbanelem.* XIX. *Etſi variè verti poſſit; vel per*; cor ſuum ſuave facit. XX. *Vel per*; ſpopondit cor ſuum: *quod tria indicat.* XXI. *Inſuper* (11.) *Interrogatio illa*, Quis &c. *valide negat ullum alium id auſurum eſſe.* XXII. *Ne quidem Aaronicos Sacerdotes, nec ullos alios, quod exemplis docetur.* XXIII. *Et rationibus a re ipſa petitis.* XXIV. *Et exclamatione denique illa in* Pſalm 49. XXV. *B.* Subjecti indagatio. 1. *Judæi Zerubbabelem intelligentes, ut & Grotius nimis hic Judaizans.* XXVI. *At perperam valde.* XXVII. 2. *Chriſtiani Meſſiam intelligentes, & optime, ob a. Cognomen* David *huic magnifico datum* verſ. 9. XXVIII. *b. Ob totam rerum antecedentium ſeriem collatam cum* Deut. 30. XXIX. *c. Ob conſenſum antiquorum Judæorum, ut ex Midraſch, R. Berachia, Jonathane, Talmude, & Cabbala.* XXX. *d. Ob ipſa prædicata, quæ ſoli Meſſiæ competunt eo ſenſu, quem iis dedimus in exegeſi verborum, uti I. Relative ad homines, quod eſſet: a.* Magnificus. XXXI. *b. Et* Dominator. XXXII. *c. Et quidem* Iſraëlis. XXXIII. *d. Et* futurus ex Iſraële, & proditurus ex medio ejus XXXIV. *Relative etiam ad Deum. a.* Sacerdos *foret, utpote* appropinqua-

turus cum ſacrificio. XXXV. *Et* acceſſurus per interceſſionem. XXXVI. *b. Et ſacerdos foret* unicus, *utpote* ſponſurus pro corde ſuo, *immo* & cor ſuum. XXXVII. *Quod & antiqui Judæi de Meſſia profeſſi ſunt, ut oſtenditur ex Menachem Recanatenſi.* XXXVIII. *Atque nemo præter Meſſiam ea faceret, quia Meſſias ſolus eſt* 1. *Peccati exſors.* XXXIX. 2. *Vitæ neciſque dominus.* XL. 3. *Et ſummus ſimul Deus.* XLI. *Hinc gloria Meſſiæ, quod, uti Judæi ipſi agnoverunt, non detur acceſſus ad Deum, niſi per Schechinam.* XLII. *C.* Implementi aſſignatio in Jeſu noſtro. *Ad hanc nos ducit a. Tota rerum connexio in contextu.* XLIII. *b. Omnia etiam prædicata in Jeſu reperiuntur. I. Reſpectu* Regni, *nam Jeſus revera* 1. Magnificus *eſt. Et* 2. Dominator. XLIV. 3. *Et quidem talis fuit ſuper* Iſraële. *Et* 4. Ex Iſraële *fuit, & quidem* Iſraëlis medio. XLV. *II. Reſpectu etiam* Sacerdotii. *Jeſus a.* Ad Deum appropinquavit *omni reſpectu. b. Et* cum corde ſuo ſpopondit. XLVI. *Et* ſolus Jeſus *ea fecit. In quo quadruplex Jeſu præcellentia oſtenditur: & ex his omnibus concluſio fit ad ſcopum, quod ille* ſolus *ſit* unicum Eccleſiæ fundamentum.

I.

Introductio & ſcopus.

Poſtquam de Meſſia tanquam PROPHETA egi ad *Deut.* 18: 15. de eodem itidem tanquam REGE, ad *Jer.* 30: 21. lubet nunc de eodem differere tanquam SACERDOTE, ſive potius tanquam REGE ac SACERDOTE ſimul: quæ duo Meſſiæ munera conjunctim ferme ſolet tractare Spiritus S. uti *Pſalm.* 110: 1–4. *Zach.* 6: 13. & aliis in locis videri poteſt. Quæ duorum munerum combinatio in ſolo Meſſia jure obtinet, quod pluribus docui Libro de *Sacerdotio Chriſti juxta Ordinem Melchezedeci* p. 285 & ſeqq. Conſideratur itaque Meſſias tanquam REX SACERDOTALIS. Quod ipſum diſerte etiam docetur *Jerem.* 30: 21. quem locum, uti promiſi *Lib. cit.* p. 28. nunc exhibere animus eſt: at eò nunc brevius, quò

quò in illo jam volumine multa huc, in primis ad SACERDOTIUM Meſſiæ pertinentia præoccupavi.

II. Promiſerat Spiritus S. Judæis in *genere Liberationem* ex omnibus, quas hucuſque perpeſſi fuerant, anguſtiis & caſibus difficilioribus; in *ſpecie* verò è *captivitate Babylonica*; nec non *Inſtaurationem urbis palatiique*, conjunctam omnimodâ cum eorum *benedictione* ac *multiplicatione* immenſa. Quo in rerum ſtatu dum eſſent, & iſtud tandem accederet ipſis beneficium ſummum: והיה אדירו ממנו ומשלו מקרבו/ יצא והקרבתיו ונגש אלי כי־מי הוא זה ערב את לבו לגשת אלי נאם יהוה: Quæ ex interpretatione Xantis Pagnini & Ariæ Montani de verbo ad verbum ita ſe habent: *Et erit præſtans ejus ex eo, & dominator ejus de interiori ejus egredietur, & faciam appropinquare eum, & accedet ad me: quia quis iſte hic edulcavit cor ſuum ad accedendum ad me, dixit Dominus?* *Connexio hujus commatis cum præcedentibus.*

III. In cujus Vaticinii exegeſi ita procedemus, ut I. Verborum reddamus ſignificationem ſimplicem. §. IV-XXIV. II. Inquiramus, cuinam ſubjecto adaptanda ſint prædicata. §. XXV-XLI. III. Oſtendamus, in quo ſuum habeant adimplementum hæc omnia. §. XLII-XLVI. *Methodus tractandi tripartita.*

A. VERBORUM LITERALIS EXEGESIS.

IV. *Perſona* hic nobis occurrens duplici inſignitur titulo, vocaturque אדיר/ & מושל/ Non enim duæ perſonæ diſtinctæ duabus his vocibus inſigniuntur; at una eademque, quæ deſcribitur reſpectu & *muneris* ſui & *ortus*. Prius eſt in titulo אדיר/ qui *fortis* ab his, & *potens*; ab illis *Magnificus*; & quia potentes & magnifici præcellunt reliquos, & inde ab aliis etiam *Dux* vertitur, ex mente *Pſalm.* 16: 4. Cel. Coccejus verò in *Comment.* ait *proprie ſignificari Major ejus.* Res eòdem redibit, dummodo prægrandem, maximum quendam ac præcipuum, nec non omnibus numeris excellentem ſignificet. Inde & notat præcellentem potentia, & imperium habentem, *Pſalm.* 136: 18. coll. *Pſalm.* 135: 10. 11. Et obſervat Pagninus ad Rad. אדר/ *Quæcunque ſunt ex hac radice, inſigne quippiam denotant.* Et notat inſuper Bochartus ex hoc Hebræo אדיר deduci Perſicum ארד (*ard*) ejuſdem ſignificationis *A* Verborum literalis exegeſis. *In qua eſt repræſentatio perſonæ alicujus deſcriptæ. I Relative ad homines, ut* Regia *maxime a. Ab excellentia ſua per titulum* אדיר/ magnificus.

tionis *Illuſtris, Magnifici: unde componitur* ארדשיר / *Ardſchir*, Artaxerxes. Adfert autem Herodotum *Musâ ſextâ* ita explicantem Ξέρξης, ἀρῄων; Ἀρταξέρξης, μέγας ἀρῄων. vid. ejus *Phaleg. L.* 4. *C.* 10. Cùm itaque hoc nomen quævis magnifica includat, ideo & rebus plane divinis, quin & Deo ipſi ceu proprium epitheton applicatur *Pſalm* 8: 2. 76: 5. etiam Philiſtæi vocarunt אדירים iſtos Deos, qui percuſſerant Ægyptios, 1 *Sam.* 4: 8. Et probat Druſius in *h. l.* Deum ibi numero quidem plurali efferri, ſed ſingulari eſſe capiendum, cum Philiſtæi ſatis noſſent unum modò Deum ab Iſraëlitis coli: qui & ideo paulò ante *verſ.* 7. dixerant; *venit Deus in caſtra.* Cùm itaque tantum ſit hoc nomen, nos hanc perſonam hoc excellentiſſimo nomine hic inſignitam, juxta excellentiorem, id eſt, Divinam naturam deſcribi putamus, utpote per quam Magnificus hic *excellentiam* poſſidet ac *majeſtatem* ſupra omnes creaturas plane ſingularem, & infinitam: per quam proinde omni ex parte ac abſolutè *magnus* eſt, & magna valet, eſtque in *admirationem* omnibus, uti *Pſalm.* 8: 2.

β. A munere regio per titulum מושל / *Dominator.*

V. At hæc Perſona אדיר pariter eſt מושל / quod Græcis eſt ἄρχων, vulgò *Dominator* vel *Princeps*, *Duxve* redditur, & denotat eum, qui potentiam ſummam habens majeſtatemque ſupremam abſoluta regit cum poteſtate ac auctoritate, maximi Regis inſtar atque Monarchæ. Uti revera hujus nominis quoque eſt uſus de Regibus. Hoc eodem inſignitur Rex Ægypti Pharao *Pſalm* 105: 20. in priori verſus parte *Rex*, in poſteriore *Dominator* audiens. Quin vel ipſum Deum hac ſub notione laudatum offendimus 2 *Chron.* 20: 6. ואתה מושל *Et tu dominaris in omnia regna gentium* &c. Conf. *Pſalm* 59: 12. Hac igitur ſub σχέσει hujus nobis perſonæ deſcribi *munus Regium* autumant. Quò & facit quod *Matthæus Cap.* 2: 6. citans *Mich.* 5: 1. ubi & מושל / *dominatoris in Iſrael* mentio fit, id reddiderit per ποιμαίνειν, *paſcere.* Atqui nihil Homero aliiſque familiarius quàm Reges vocare ποιμένας λαῶν, *paſtores populorum.* Poteſt conferri *Ezech.* 34: 23. & 37: 24. Si tamen quis malit nomen מושל ita ſumere, ut *præditum* denotet

tet *poteſtate* ſumma, ſicque ſpeciali ad *munus Regium* relatione, ut de quo munere nulla in ſequentibus prædicata occurrunt, per me ejus ſtet judicium.

VI. Obſervandum porro hæc duo uni eidemque ſic competere perſonæ, ut *Dominator* pariter ſit & *Magnificus*. Non, ac ſi quivis *Magnificus* ſtatim ſit *Dominator*: uti omnis *Dominator* certo ſenſu ſemper *Magnificus* eſt. Etenim, nunquam abſque ſubjectis concipi poteſt *Dominator*. Cùm tamen quis eſſe poſſit *Magnificus*, etiamſi nullos ille ſubjectos habeat, ſi modò ille in ſe ipſo quamcunque poſſideat *virtutem*, *potentiam*, ac *magnificentiam plenariam*. Atque ita hæc ipſa perſona אדיר / *Magnificus* eſſe potuiſſet, & revera fuit reſpectu *divinæ* ſuæ naturæ, antequam propriè eſſet מושל / *Dominator*: quemadmodum Deus ante rerum creationem, uti non male obſervatur, אדיר / *Magnificus* quidem fuit, in ſe ſpectatus, ob ſummas & infinitas ejus perfectiones, at, nullis adhuc exſtantibus creaturis, in quas reapſe *dominium* exerceret, propriè מושל / *Dominator* dici non poterat; quod relationem ad objecta vere exſtantia includit. Verùm hæc noſtræ perſonæ eſt prærogativa, quod ille & omni modo excellat, ceu *Magnificus*, præ cæteris omnibus, & ſimul ceu *Dominator* exiſtat ſupra omnia. Id tamen eo ordine, ut prius dicatur *Magnificus*, antequam *Dominator* audiat. Quod indicium eſſe poteſt, habuiſſe eum hanc *Magnificentiam*, priuſquam *exercuerit dominium*, proindeque, uti modò dixi, primum iſtud ad Divinam ejus naturam, ſecundum verò ad munus ejus Regium ſpectare.

Quorum ſtatulorum emphaticorum combinatio hic examinatur huic perſonæ excellentiam tribuit.

VII. Neque ſingulari caret animadverſione, noſtrum hunc *Magnificum* ac *Dominatorem* peculiarem ad aliquem, ſive populum, ſive hominem, reſpectum habere, quando deſcribitur tanquam אדירו / & משלו / *Magnificus* EJUS, ac *Dominator* EJUS. Cujus verò? Neminis hic niſi *Jacobi*, cujus facta erat mentio *verſ.* 18. qui & cognominatus *Iſraël*. Quo nomine non intelligitur ipſe ille Patriarcha, ſed ejus poſteri. Quod ita ex omnibus circumſtantiis claret, ut pro-

γ. *A genere ſuo Judaico per pronomen ejus, id eſt, Iſraelis.*

hatione haud indigeat. Qui enim hic *Jacobus* dicitur, diſtincte *verſ.* 3. *Iſraël* & *Juda* nuncupantur. Huic populo hic omnis fit promiſſio. EJUS itaque foret hicce *Magnificus* ac *Dominator*; id eſt, ceu *Magnificus* gloria & honor Iſraëlitarum foret; ceu verò *Dominator* jure ſingulari quidem ſingulare in ipſos imperium exerceret: uti ideo *verſ.* 9. hujus *Cap.* tanquam *Rex eorum* deſcribitur.

3. Ab origine perſonæ, tanquam quæ erit ac prodibit, id eſt, naſcetur homo, & ſe manifeſtabit Iſraëli.

VIII. Quemadmodum verò hic *Magnificus* & *Dominator Iſraëlis* foret, ita & ceu *Magnificus* foret EX IPSO, & ceu *Dominator* EX MEDIO EJUS PRODIRET. Ita enim dicitur: מקרבו יצא / & היה ממנו / *erit ex eo, & exibit ex interiori* (ſive medio) *ejus*. Iſtud היה tantumdem eſt ac *fiet*: & alterum illud יצא / *egredietur*, *exibit*, tantumdem eſt ac *orietur*, *egredietur*. Verbum quippe Hebraicum יצא in genere dicit *egredi*, *exire*, *prodire*. In ſpecie verò *egredi ex utero*, *progredi in lucem Gen.* 25: 25. *Job.* 3: 10. quo ſenſu paſſim uſurpatur *de nativitate* animalium, cùm rationalium, tum irrationalium: cujus plura adduxit exempla Schindlerus, aliique Lexicographi ad hanc vocem: nec non & hominum; uti 2 *Sam.* 7: 12. Davidi promittitur ſemen, quod יצא / *egredietur è viſceribus ſuis*. Targum iſtud explicat per יולד / *paries*. Ita & 2 *Reg.* 20: 18. *Ex filiis tuis qui* יצאו / *egredientur ex te*, id eſt, quos gignes. Ex quo ſatis liquido apparet, per hoc יצא / *prodibit*, innui poſſe hunc aliquando *Dominatorem* naſciturum, ac futurum hominem, aſſumendo carnem ex utero aliquo materno. Veruntamen forſan quis exiſtimet noſtri Magnifici nativitatem priori phraſi eſſe denotatam, qua dicebatur, ERIT EX IPSO; quæ de *nativitate* & *progenie* adhibetur, uti in Novi Teſt. ſcriptis *Rom.* 9: 5. ſic etiam in Vet. T. uti *Gen.* 17: 16. מלכי עמים ממנו יהיו / *Reges terræ ex ea futuri ſunt*, i. e. prodibunt & gignentur; poſteriori ergo phraſi יצא aliud quid deſignari; præcipuè cùm phraſis illa יצא מקרבו non videatur ſeparari debere, ſed conjunctim exponi; poſſumus diſtinctionis gratiâ iſtud יצא capere de ejus *proceſſu* ad ſe manifeſtandum Iſraëli in munere ſuo: uti hoc ver-

verbum de ortu ac proceſſu ſolis adhibetur, radiis ſuis ſe manifeſtantis *Gen.* 19: 23. *Judic.* 5: 31.

IX. Hiſce poſitis מִמֶּנּוּ הִיה / *Erit ex ipſo*, notabit, hunc Magnificum haud alienigenam futurum, ſed indigenam, ex Jacobo Patriarcha ejuſque poſteritate oriundum. Quocirca iſtud מִמֶּנּוּ / *ex eo*, tantumdem valebit ac illud Moſaicum, de ſuſcitando Iſraëli Propheta *ex fratribus eorum*, *Deut.* 18: 15. Vide Diſſertationem noſtram in *h. l.* §. VII, VIII. Unde & ſecundo loco ſequitur, quandoquidem *Magnificus* ille jam fuerit *Magnificus*, antequam eſſet *Dominator*, & fortè jam ab æterno divinâ ſua natura, uti vocem אֲדִיר notare oſtendi, eum ergo aſſumturum humanam naturam ex poſteris Jacobi in unitate perſonæ. Forſan, ut *Goël* ille fiat, qui tanquam *ſemen mulieris* ab initio promiſſus, a Jacobo moribundo invocatus fuit *Gen.* 48: 15, 16. Quod porro additur מִקִּרְבּוֹ / *Ex medio ejus*, non adeo ad *nativitatem*, priori phraſi indigitatam, quàm ad hujus *Magnifici proceſſum* referri debere, ſuprà jam ſubindicabam, quia cum יֵצֵא / proceſſum illum ſignificante, immediate in eadem phraſi connectitur: atque ſic duo hac phraſi indigitari poſſe, qualitatem nempe & *ſtatus externi*, & *loci*, ex quibus *Magnificus* hic *Dominator* eſſet proditurus: id eſt, 1. Hunc Magnificum Regem proditurum ex illa parte poſteritatis Jacobi, quæ non foret ſplendida regia amplius, aut magnifica exteriori pompa, ſed ad vulgarem redacta ſtatum: adeo ut educaretur & viveret initio viliorum adinſtar hominum, citraque ſingularem aliquam ipſius Iſraëlis obſervationem. Iſti enim dicuntur *in medio aliorum eſſe*, qui communi cum aliis vivunt conditione: quem ſenſum Chriſtus Diſcipulis ſuis loquens de ſemet ipſo ita exprimit: *Ego ſum inter vos ut miniſtrans aliquis*, ἐν μέσῳ ὑμῶν, *in medio veſtrum Luc.* 22: 27. Atque ſic *e medio aliorum prodire* dicuntur, qui ex eodem cum reliquis exaltantur ſtatu, atque ex vili conditione ad munera extolluntur magna. 11. In *media* Iſraëlis terra, Palæſtina, ſe etiam manifeſtaturum Iſraëli. Quam Prophetarum prædictionem fama ad ipſos etiam extulit Gentes, uti conſtat ex Suetonio *L.* 8. *de Vita*

Et quidem ex ipſo Iſraële: *id eſt, tanquam indigena, atque* ex medio Iſraele: *id eſt, tanquam homo vilior.*

Veſpaſiani Cap. 4. *Percrebuiſſe Oriente toto veterem & conſtantem opinionem: eſſe in fatis, ut Judæa profecti rerum potirentur.* Et Tacito *Hiſtor. L.* 5. *C.* 13. *Pluribus perſuaſio inerat antiquis ſacerdotum literis contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens; profectique Judæa rerum potirentur.* Conferantur quæ de hac loquendi formula etiam commentati ſumus ad *Deut.* 18: 15. §. *cit.*

c. A tempore quando, ET.

X. Tempus autem, quando hic ortus & proceſſus futurus eſſet, cenſemus ex copula ו *Vau* conſtare, quæ ſequentia fata Iſraëlis cum antè memoratis connectens, idem valet quod *tunc*, ſive *mox*, *poſt proxime prædictorum* implementum. *Prædicta* autem *proxime* fuerat duplex Iſraëlis felicitas, *populi* ſcilicet *liberatio ex captivitate*, *verſ.* 1–8. & *ſuſcitatio Regis eorum Davidis verſ.* 9. Quæ duplex promiſſio in reliquo Capitis contextu repetita fuerat, quando ſcilicet reſpectu *liberationis ex captivitate* ſimul oſtenſa fuerant interitus inimicorum Iſraëlis, & inſtauratio Reipublicæ, populi, urbis, palatii &c. *verſ.* 9–20. Reſpectu verò *ſuſcitationis Regis Davidis* nunc in *verſ.* 21. additur: ET Magnificus, id eſt, *tunc, ex eo erit* &c.

Relative ad Deum, ut Sacerdotalia maximè, & id excellentiſſimo modo. a. *Per phraſin*: Ego eum appropinquare faciam, & ipſe ad me accedet. *Quæ non eſt extenuanda cum Abarbanele & Grotio, ſed accipienda in emphaſi de ſacerdotii utroque actu.*

XI. Hucuſque deſcriptum habemus hunc *Magnificum relative ad Iſraëlem*, juxta excellentiorem ejus naturam, juxta munus ejus *Regium*, juxta genus ejus, denique juxta circumſtantias manifeſtationis ſuæ. Nunc de eodem *relative ad Deum* alia adhuc præclara prædicantur, quando ille quoad munus *Sacerdotale* egregiè itidem depingitur, ita dicente Deo: והקרבתיו ונגש אלי / *Et faciam appropinquare eum, & accedet ad me.* Abarbanel exilem prorſus hujus phraſeos dat explanationem, ac ſi tantummodo diceretur, hunc *Regem fore ſanctum, & Deo affixum prope.* Ita namque Hebræorum ille Doctor hanc in rem commentatur: *Ipſe non erit peccator ac tranſgreſſor, nam appropinquare faciam eum, & ipſe ad me accedet, neque enim quiſquam idoneus ut accedat, niſi Deus ipſe eum adducat & juvet, ut propinquet adhæreatque ſibi, juxta illud Pſalm.* 65: 5. *Beatus quem eligis & admoves, inhabitaturum atria tua.* Neque abludit Illuſtr. Grotius eam ſic expli-

plicans: *Habebo eum amiciſſimum*, quales eos ſcil. habere ſolemus, quos ad nos prope facimus accedere. In qua tenui explicatione phraſeos emphaticæ Grotius nimium appropinquat Judæis, omnes ſimiles phraſes extenuantibus, ut ita noſtri *Magnifici Sacerdotium* obſcurent negentque. De quo hi quidem nullum conceptum formare volunt; ille autem cum aliis inter Chriſtianos non ſemper pro rei dignitate loquitur. At verò hæc verba tantumdem valent ac *dabo eum Sacerdotem*, vel *vocabo eum ad ſacerdotium*. Verba enim Hebraica קרב/ & נגש/ in genere quendam notant *acceſſum religioſum*, & qualis inter pios, ſive privatim, ſive in Eccleſia obtinet, & idcirco ſæpius de Sanctorum ad Deum in precibus aut fide acceſſu uſurpantur *Pſalm.* 65: 5. & 73: 18. In ſpecie verò ſignificant *acceſſum Eccleſiaſticum*, deque iis adhibentur, qui aliquod obeunt miniſterium Sacrum in Eccleſia. Hoc ſenſu de Leviticis dicitur *Num.* 16: 9. conf. & *Levit.* 10: 3. *Separavit vos Deus Iſraëlis è cœtu Iſraëlis* להקריב/ *ad appropinquare faciendum vos ad ſe, ad miniſtrandum miniſterium Tabernaculi &c.* Strictiori autem notione eadem verba uſurpantur de *Sacerdotibus*, quorum eſt præcipuè res populi coram Deo peragere, quibus *proximus* proinde ad ipſum Deum *acceſſus* patere debet. Ita occurrit *Exod.* 19: 22. *Sacerdotes* המגשים/ *accedentes ad Dominum, ſanctificabunt ſe:* confer *Levit.* 10: 3. & *Ezech.* 40: 46. itidem ſermo fit de *Sacerdotibus, filiis Zadoci,* הקרבים/ *appropinquantibus de filiis Levi ad Dominum.* Omnium inſtar erit inſignis ille locus *Numer.* 16: 5. ad quem non obſcurè noſtra hæc videntur verba alludere. Ibi lite orta de *Sacerdotio*, Moſes ait: *Craſtino die mane notificabit Deus, quem* JEHOVA להקריב/ *appropinquare faciet ad ſe, & quem elegerit in eo accedere faciet ad ſe*; non è longinquo magis, uti Levitæ, Corachus cum ſuis, itidem *appropinquare* dicebantur *verſ.* 9. ſed quàm proxime. Sic enim ab illo *Levitarum acceſſu* diſtinguitur *appropinquatio proxima*, qualis eſt *Sacerdotum*, quam & vox כהן denotat: cujus emphaſin ego haud indiligenter ex origine explicui in Lib. de *Sacerdotio Chriſti juxta ordinem Melchizedeci p.* 22. *& ſeqq.*

Diſtincte enim 1. Appropinquatio *ea accipi poteſt de ſacrificio oblato.*

XII. Cùm ergo Deus per Jeremiam & hic ait; *Ego faciam appropinquare eum, & accedet ad me*; ego iſta verba non de *Regio* noſtri Magnifici munere, (de quo in præcedentibus jam ſatis) non etiam de pio quovis acceſſu ad Deum, etiamſi perſonalis ſanctitas in Magnifico hoc per has ipſas phraſes ſupponatur; ſed, ne idem bis dicatur, & quò me phraſeos ipſa ducit ſimplicitas, de *Sacerdotio* ejus intelligenda contenderim. Et pleniſſimo quidem ſenſu, quali iſta phraſis de nullo unquam alio ſacerdote mortali adhiberi potuit. Tam eximia enim & ſingularis huic Magnifico hic tribuitur *appropinquatio* & *acceſſus*, qui ſimul negatur de omnibus creaturis, quum per modum provocationis ad omnes proclamatur creaturas; *Quis eſt, qui ſpopondit* &c. Quæ verba magis porro determinate nos docent, qua in re iſthæc *appropinquatio* conſiſtat, np: in eo, ut *ſponſor* fiat Magnificus ille, & ceu talis ad Deum accedat. Hæc quippe in eo verba, *appropinquare* & *ſpondere*, alternat Dominus; quod ex ſequentibus patebit clarius. Ita tamen, ut quando duo hæc diſtincta de noſtro Magnifico adhibita verba ratione Sacerdotii, non unum hic plane ac idem, quod certitudinis quidem cauſa aliquando fit, uti *Gen.* 41: 32. ſed duos ejusdem ſacerdotii actus ſacerdotales diſtinctos ſignificare mihi perſuadeam. Horum prior eſt, *appropinquabit*. Quem actum referimus ad victimam, quam eſſet oblaturus Deo. Hac cum relatione vox קרב occurrit de typicis ſacerdotibus uſurpata *Ezech.* 44: 15 *& ſeqq. Sacerdotes Levitæ filii Zadoci, illi* יקרבו / אלי / *appropinquabunt ad me ad miniſtrandum mihi, & ſtabunt coram me* להקריב לי / *ad appropinquandum mihi adipem & ſanguinem*, id eſt, ad ea *mihi offerenda*. Uti verò cum hoſtia & munere Sacerdotes appropinquabant ad Deum, ita & Meſſias, quem fortè poſtea deprehendemus eſſe illum Magnificum noſtrum, *appropinquare* debebat, docente Paulo *Hebr.* 5: 1–6.

Ad quod appropinquare eum faceret Deus *qua-*

XIII. Neque verò magis quàm illi hic id ſua ſponte facturus erat, ſed legitimo modo vocatus, & ab ipſo conſtitutus Deo: quod diſerte ſignificatur hic loci, ubi in Hiphil

phil additur והקרבתיו/ *& faciam eum accedere:* quo in verbo tres animadverſiones magni momenti latent. Primum quippe id eſt, ac ſi JEHOVA dixiſſet; Ego vocabo eum ac ungam, ipſi conciliabo auctoritatem, ut Sacerdotii munere ſummo jure fungi queat, non minus ac Aäron; prout legimus *Numer.* 16: 5. *Quem Deus elegerit ipſum appropinquare faciet ad ſe.* Solemnem hunc in modum vocatus fuit Aäron omnium ſacerdotum primus *Exod.* 28: 1. *ſeqq.* & jure iſtius vocationis ſola Aäronis poſteritas per multa ſecula ad altare acceſſit. Ut ergo & hic noſter Magnificus *appropinquaret*, *vocandus* erat, & ab ipſo Deo conſtituendus Sacerdos. Secundò quoque ſignificat JEHOVA, vel eò id magis ſe facturum, quia hic noſter, quemadmodum ex epitheto *Magnifici* & *Dominatoris*, non adeo quadrante in homines Eccleſiæ miniſterio addictos, patet, ex alia, quàm Levitica, oriundus tribu fortè ad ſacrum illud ſibi munus capeſſendum, vim prioris illius vocationis nullo ſucceſſionis jure allegare poſſet. Sic enim vel absque vocatione appropinquare deberet, quod illicitum foret; vel nova vocatione ex tribu, multum hactenus jus ad altare habente, de novo conſtituendus. Nec hoc tantùm, ſed & Tertio loco JEHOVA indicat, quantâ hac in ipſa vocatione præ Aärone excellentiâ inſigniretur noſter, quandoquidem Aäron ſummus quidem conſtitutus fuerat a Deo Sacerdos, at mediante Moſe, eum iſtud ad munus vi præcepti Divini ſolenniter inaugurante; noſter autem Magnificus ab ipſo immediate Deo, abſque ullius hominis, nedum Moſis, interventu. Quamobrem & Deus ſibi ipſi id diſerte adſcribit, ajens; *& faciam* (ego ipſe nempe) *ipſum appropinquare.* Et Quarta hic latet excellentia, ſi copulam attendas. Ita quippe hæc duo, futurum ſcilicet eum *Dominatorem*, & ceu Sacerdotem *appropinquaturum*, per copulam *Vau* connectuntur. Adeo ut ſignificetur hunc Magnificum fore & *Dominatorem* pariter ac *Sacerdotem.* Qualis munerum diſtinctiſſimorum in una perſona combinatio inter Aäronidas permiſſa haud fuit. Sed tamen exemplum eadem habuit in ſacerdote multo

druplici emphaſi ſcil. (1) *Legitime eum conſtituendo & vocando.* (2) *Quamvis ortum forſan ex tribu non ſacerdotali, aut Leviticâ.* (3) *Idque immediate ſine interventu hominis ullius. Et tandem* (4) *Vocando ipſum, non obſtante quod ſimul eſſet* Dominator.

to antiquiori, & excellenti præ ipſo Abrahamo Levitarum avo, id eſt, in Melchizedeco: juxta cujus ergo modum hic noſter Magnificus Sacerdos erit, & non juxta illum Aäronis. Uti hoc & olim *Pſalm.* 110. per Davidem prædictum erat.

II. Acceſſio *de* intercceſſione ſacerdotali *accipi poteſt quæ in intimo Sanctuario, uti phraſis indicat.*

XIV. Præter hunc *offerendi* ſacerdotalem actum reſtat alter præterea, in Magnifici noſtri ad Deum pro populo *interceſſione* conſiſtens. Id quod ſecunda iſthac phraſi, in diſtinctione a priori deſignari putem, quando dicitur; Ego ipſum *appropinquare faciam* ונגש אלי / ipſe verò *etiam accedet ad me.* Nam & phraſis hoc fert. Ita quippe hac *accedendi*, ſive *intercedendi* ſignificatione noſtrum verbum נגש uſurpatur de Abrahamo, precibus ſuis interpellante Deum pro Sodoma ac Gomorrha *Gen.* 18: 23. Et antiquorum ſacerdotum exemplum poſtulat. Typici nempe olim Sacerdotes Levitici ſuas prius offerebant victimas in atrio ſuper altare holocauſti in peccatorum expiationem, *appropinquantes coram Deo ad offerendum & adipem & ſanguinem*, ut liquet ex loco citato *Ezech.* 44: 15. Qua parte muneris præſtita in prius ingrediebantur Sanctuarium ad altare ſuffitus, precabanturque Divinum Numen pro populi peccatorum expiatione. Id ſic quotidie fiebat mane & veſperi apud ſacrificium juge. Excellentiori tamen modo ſemel quotannis magno iſthoc expiationis die ſolemnius videbatur, quando Sacerdos ſummus non abſque ſanguine in atrio oblato, & ſpeciatim cum ſuffitu, in ipſum introibat adytum interius, Sanctum Sanctorum puta, poſt velum poſterius, ubi in gratioſæ præſentiæ ſignum ipſe ſub nube glorioſa habitabat Deus inter Cherubinos ſupra arcam, ad quem ergo Pontifex ita prope *accedens* ingens iſtud expiationis opus peragebat. Ad eundem Pontificis M. actum hic ego in primis reſpici putem, quia non de vulgari hic Sacerdote, ſed de excellenti adeo perſona agitur. Eodem ergo modo noſter Magnificus in atrio forſan inferiori hujus mundi prius *appropinquaret* cum hoſtia quadam: tum porro ſuis cum precibus (quæ ſuffitus nomine veniunt *Pſalm.* 141: 2. coll. *Apoc.* 8: 3.) propius *accederet* ad ipſum

ipſum Deum in cœleſte ſanctuarium, tanquam Iſraëlis ſui advocatus.

XV. Id verò omne majorem accipiet & elucidationem & magnificentiam, ſi conſideremus præterea quod additur; אלי / *ad me*, quodque magnâ profectò emphaſi plura longè innuit, quam prima quidem videtur fronte. א. Primò quippe id in genere conſtat de ſacerdotibus, eorum eſſe pro populo accedere *ad Deum*: *Hebr.* 5: 1. Cum *ipſo* quippe *Deo* eis res eſt; ille ſolus etiam eſt contra quem peccata commiſſa erant; qui proinde & ſolus per ſacerdotem pro peccatore offerentem & orantem placandus etiam venerat. Idem autem teſtimonium de noſtro Magnifico hic perhibetur, quod acceſſurus foret *ad Deum*; ad Deum, inquam, qui quum hic ceu ſanctus ac juſtus judex, peccata etiam olim abſque vera expiatione (id enim non poterat ſanguis hircorum & taurorum) prætermiſſa exigeret, atque porro totius terræ peccatum uno tolleret die, ut tunc ſcilicet Magnificus noſter & victima ſua & interceſſione ad Deum, & peccatorum efficiat expiationem, & æternam illam adducat animarum redemtionem: uti *intercedendi apud judicem* notione verbum פגע occurrere *Gen.* 18: 22–25. jam modò notavimus.

Et acceſſio ad Deum hic indicat, quod hic Dominator א. Placaturus ſit Dei Juſtitiam.

XVI. In ſpecie magis ſpectata hæc vocula multa adhuc majora nobis indicabit. Nempe Aaronici illi Sacerdotes & Pontifex accedebant quidem *ad Deum*, ſed ita accedebant ad Deum, ut *accedere* prius neceſſe haberent ad Sanctuarium terreſtre, & altare iſtud materiale, ſua ut ibi holocauſta offerrent. Quod magis eſt, ne quidem Pontifici M. licebat introgredi in Sanctuarium interius, Sanctum Sanctorum dictum, quod tamen ei ſoli, & ſemel tantùm quotannis contingebat, & ubi Deus non aliter quam externo in ſigno ſe præſentem ſiſtebat; ne iſtud quidem, inquam, illi licebat, niſi prius ad altare acceſſiſſet, cum ſanguine inde petito Dei præſentis demum ſymbolum aditurus. Immo verò, ut dicamus id quod res eſt, Sacerdotes illi, & ipſe Pontifex, ne vel ſic quidem propriè loquendo *ad Deum* ipſum accedebant, ſed ad ſignum duntaxat, uti modò dicebam, gratio-

2. Non in terreſtri ſanctuario, aut interveniente aliquo; ſed immediate in ipſo cœlo.

ſæ ejus præſentiæ, quod ſuper arca collocaverat Divinum Numen, nequaquam in cœlo, tanquam *habitationis ſuæ loco fixo*, uti toties ipſe Salomo in inauguratione Templi inculcabat 1 *Reg.* 8: 30, 39, 43, 49. habitans, cùm Sacerdotes & ipſe Pontifex in terra eſſent: uti & ſacerdotale eorum munus his in terris cum ipſorum vita terminabatur, & in cœlum quippe poſt mortem eorum animæ, quotquot ingreſſæ ſunt, non ſunt alia ſcheſi ingreſſæ, aut ad Deum acceſſerunt, aut alio etiam fine, quàm omnium Patriarcharum & fidelium Vet. Teſt. nequaquam verò tanquam *Sacerdotes* tunc ad Deum acceſſerunt, de quali tamen hic *acceſſu* ſermo eſt. In eorum itaque oppoſitione, Magnificus noſter hic prædicatur acceſſurus *ad Deum*, recta ſcil. via, nullo mediante altari, ad quod prius ſe conferre neceſſe habeat, vel in aliquod Sanctuarium intrare terreſtre, quæ ſolummodo *exemplaria erant pro præſtituto iſthoc tempore*: *Hebr.* 9: 9. Immo verò, in ipſum adſcenſurus ac introgreſſurus cœlum, neque tantùm coram ipſo prope compariturus Deo ſuâ pro ſuis interceſſione, ſed & ſeſſurus ad dextram Majeſtatis Divinæ, atque ſic demum alteram interceſſione ſua precibuſque adimpleturus ſacerdotii ſui partem glorioſſime.

2. *Et quidem cùm ſpente ſua, tum etiam* jure appropinquationis ante-greſſæ.

XVII. Sed & in eadem phraſi tertia adhuc, & quarta latet emphaſis. In priori quidem ſacerdotii ſui actu dicebatur Deus hunc *Magnificum facturus ad ſe appropinquare*, iſtâ phraſeos emphaſi, quam ſuprà expoſui §. XIII. In altero verò hoc ejuſdem ſacerdotii actu dicitur ipſe magnificus *ad Deum acceſſurus* Quod primum quidem indicat ipſum ſumma cum alacritate & lubentia *paracleti* iſtud munus *apud Patrem* (1 *Joan.* 2: 1.) ſuſcepturus, atque *in ſanctuario non manufacto* pro ipſis *compariturus coram facie Dei*; *Hebr.* 10: 24. qualem promtum atque ad opem ferendam paratiſſimum advocatum habuiſſe, reorum ſanè ſpem atque animos haud parum erigere deberet. Sed & deinde idem loquendi modus deſignat, advocatum hunc *ſuo jure*, ſuoque merito nixum, poſſe pro ſuis *interceſſione* eâ defungi, utpote non *accedentem* cum *ea* ad Deum, niſi poſtquam cum *ſacrificio propitiationis*

antè

antè ad eundem *appropinquaſſet*, ex quo interceſſio omnem ſuam habet vim ac poteſtatem: quemadmodum ipſe Apoſtolus Joannes *interceſſioni* fidelibus promiſſæ 1 *Joan.* 2:1. mox pro fundamento ſubſternit *vers.* 2. quod Jeſus *propitiatio factus fuerit* pro peccatis ipſorum. Qualem *juſtum*, i. e. jure ſuo rogantem paracletum habuiſſe fiduciam fidelium plane perficere deberet & conſummare.

XVIII. Tanta verò *Magnifici* hujus præ omnibus ſacerdotibus excellentia excellentiorem quoque modum functionis ſacerdotalis præſupponit, quam JEHOVA ipſe hic indicat, quando ita porro inducitur loquens: כי מי הוא זה ערב את לבו לגשת אלי נאם יהוה: *Quis eſt, qui in fidem ſuam recepit cor ſuum; ut accedat ad me? dictum* JEHOVÆ. Ita Celeb. Coccejus. Variant tamen in horum verborum verſione ac ſenſu Interpretes, quorum omnia hic cogitata non recenſebo. In anteceſſum hoc prælibandum eſt contra Abarbanelem, quod ſcilicet ille noſtri Magnifici obſcurans Sacerdotium, verba hæcce de ejus rurſum Regno intelligit, eo ſenſu, ut jam notavimus antè, ac ſi foret *Sanctus & prope affixus Deo:* additque *Deum eum admoturum* &c. & citans etiam verba *Pſalm.* 65: 5. ad finem. At nimis exili ſane ſenſu. Præterquam enim quod hiſce verbis nullus Regius, ut vult Doctor ille, deſcribatur actus, ſed Sacerdotalis, prout adſtruximus in antecedentibus; probè etiam inſuper obſervavit Celeb. Coccejus in *Pſalm.* 65: 5. *Non tantum ſignificari converſionem ad Deum, ſed & dationem juris accedendi ad Deum in fiducia.* Addit porro: *Hoc autem loco* (Jeremiæ ſcilicet) *non dicit; quis poteſt accedere ad me? Sed, quis in fidem ſuam recepit cor ſuum, ut accedat ad me?* Nempe, quamcunque verſionem ſequaris, emphatica eſt prorſus hujuſce phraſeos ערב את לבו ſignificatio.

ß. *Per phraſin*: Quis eſt qui cum corde ſuo &c. *Nam* (x) *Phraſis ea emphatica eſt, contra Abarbanelem.*

XIX. Earum autem modò verſionum mentionem inſtituemus, quæ hic quadrant. Primo loco ea notare poteſt, *quod cor ſuum ſuave facit*, ſive *edulcat* & *tranquillat*, *ut accedat*. Et ſic ſenſus erit, ab una parte acceſſum illum gratum fore Deo, cum alluſione ad ſacrificia, quæ *grati* ipſi *odoris* dicuntur.

Etſi verè verti poſſit; vel per; cor ſuum ſuave facit.

tur. Ab altera etiam, voluntariam hanc Magnifici actionem fore, summa eam cum fiducia suscipientis. Qualem fiduciam alii non habuerunt: conf. exempla *Levit.* 10: 3. 16: 3. *Numer.* 17: 13. cùm summam confidentiam de sua haberet fortitudine ac constantia Magnificus noster, isthoc in proposito accedendi ad Deum judicem. Deinde etiam idcirco verba verti possunt: *Quis est qui spopondit pro corde suo?* id est, pro sui cordis integritate, sanctitate, ac in bono constantia? adeoque quis certò promisit cor suum istud effecturum, quod præstandum erat, scil. ut ad judicem *accedat?* Hac in notione illa phrasis venit *Gen.* 44: 32. ubi Juda Patriarchæ Jacobi filius, in causa fratris Benjaminis, quem detinere volebat Josephus, ita infit: *Servus tuus* ערב את הנער / *spopondit pro puero*; salvum np. se eum reducturum. Quæ locutio est omnibus partibus completa, & ad rem nostram apprime faciens, prout rectè observavit Clar. Gussetius in suo in hanc vocem Lexico.

Vel per spopondit cor suum: *quod tria indicat.*

XX. Verùm enim verò potest & aliâ insuper hujus phraseos interpretatione hic rogari; *Quis spopondit cor suum?* in accusativo, quando particula את nota erit ipsius pretii ac materiæ, qua Magnificus spondet, & quasi oppignorat, (uti illi domus & possessiones suas *Neh.* 5: 3.) pro peccatore, cujus ille ceu Sacerdos apud Deum causam agit. Eum in modum accepit Doctiss. Lud. de Dieu, in suis in *Vet. Test. Criticis* ad *h. l.* nostra sic verba interpretans: *Nam quis est, qui in sponsionem dedit cor suum* (vel animam suam:) *ut accederet ad me?* Quod idem facere videtur Targum Jonathanis: *Quis est, qui vult* לביה / *corde suo accedere* &c. Et isthoc sensu duplici etiam intellexit hanc phrasin Witzius noster *Miscell. Part.* 1. *L.* 2. *Dissert.* 2. §. 32. Sic ergo indicabitur hac phrasi I. Talem fore *sponsorem* hunc Magnificum, qui pro peccatore Deo aliquod solvat lytrum. 2. Et quidem lytrum tam pretiosum, quale est ipsum ejus *cor*. Immo & 3. Lytrum plane spontaneum, non coactum, & contra cor ipsius ab eo extortum.

Insuper (11). *Interrogatio illa*; Quis

XXI. Quæ cùm ita sint nil miri profectò est ita rogantem hic induci Deum: כי מי / NAM QUIS ILLE, *qui spopondit*

dit cor ſuum, ut &c. Vis enim phraſeos ejus nota eſt ex *Job.* 5: 1. coll. *verſ.* 8. *Pſalm.* 77: 14. 89: 7. 113: 5. *Eſai.* 48: 14. ut dicat: Quis alius eſt, præter Magnificum hunc, qui ad tantum opus ſit idoneus, qui legitime ad id a me vocatus ac conſtitutus, qui porro ad tantum onus portandum voluntarie ſe ipſum Sponſorem dedit? Immo, qui tantam de ſe ipſo fiduciam præſumat, ut tanquam peccatoris Sponſor auderet *ad me accedere*, atque a me, ſalvis mea ſanctitate ac juſtitia, pro tranſgreſſore petere cum debitorum remiſſione jus pariter ad ipſam vitam? Certè id nulla poteſt creatura, filiorum hominum nullus, immo verò & nullus filiorum Levi, vel Aäronidarum id poteſt, ad hanc Dei provocantis vocem reſpondere, *Ecce me, ego venio*; quæ unius Meſſiæ eſt confidentia *Pſalm.* 40: 8. Nec aliorum eandem eſſe poſſe docuit omnium ſeculorum experientia; docet etiam ratio plus quàm una.

&c. valide negat ullum alium id auſurum eſſe.

XXII. Experientia quidem te docebit argumento a minori ad majus ducto, nequidem umbraticum Veteris Teſt. Sacerdotium, aut ab Aäronidis, aut a Regibus etiam cæteroquin piis, tam perfecte adminiſtrari potuiſſe, ut ad Deum in externo ſacrario accedere ipſis ſine damno, aut metu liceret: quanto minus verum hoc & tanto gravius ſacrificium iidem ſuſcepiſſent? Sumamus exempla eorum, qui legitime vocati, haud tamen legitime & recto corde acceſſerunt: & eorum etiam, qui nimia præſumtione uſi nec legitime vocati, nec legitime ſint functi. Sumamus ergo Nadabum & Abihu, filios ipſius Aäronis, Sacerdotes etiam ipſos legitime ab ipſo Deo conſtitutos, & hoc nomine accedentes ad Deum. Quid fit? *Ignis procedebat à conſpectu Jehovæ eos exanimans, & mortui ſunt coram eo, Levit.* 10: 1. *ſeqq.* Cur id vero? Quia ne ignem quidem legitimum apportabant: quanto minus *cor ſanctum.* Vide quoque Corachum ejusque ſocios ducentos & quinquaginta: ipſe Levita eſt; Levitæ ſunt ipſius ſocii omnes; & primarii omnes inter eos viri. Gaudent illi, Dei beneficio, certo etiam gradu appropinquationis ad Deum: uti jam dixi §. XII. *Sed creavit quid novi Jehova, & aperiens terra os ſuum abſorbebat eos cum omnibus quæ eorum erant, deſcendebantque vivi in ſepulchrum:*

Ne quidem Aäronicos Sacerdotes, nec ullos alios, quod exemplis docetur.

Num. 16: 1. *ſeqq.* & v. 31 *ſeqq.* Cur eſt id? Quia illi, cùm eſſent Levitæ, temerario ſane corde ad ipſam aram provolare voluerunt ſupra munus ſuum, ſine omni reverentia debita. Immo verò, etiamſi vel ipſe Uzia, pius cæteroquin in Jehuda Princeps, ad iſtam tamen delapſus amentiam, ut tanquam Sacerdos ſuffitum adolendi cauſa ad altare accedere contenderet, ab ipſo Deo leprâ, ut vecordiæ ſuæ pœnas lueret publicas, percuſſus fuit 2 *Chron.* 26. Quis jam ergo, quæſo, hominibus, qui ne in minori quidem fidi manent, tanto majora onera auſit concredere?

Et rationibus a re ipſa petitis.

XXIII. Accedant exemplis rationes, quæ idem multò doceant diſtinctius. I. Nemo, inquam, nemo *cor ſuum ſpondere* poteſt, ut ipſe peccator *accederet ad Deum*, ignem illum devorantem, ſanctum illum ac juſtum Judicem, *Pſalm.* 5: 5–7. 50: 21. *Puriorem oculis quam ut adſpiciat malum Hab.* 1: 13. confer *Pſalm.* 130: 3. 143: 2. *Eſai.* 40: 6. Comprehenſi & ipſi peccatores Aäronidæ ſub generali ea confeſſione Pſalmi, alio indigebant Pontifice, qui ipſorum loco ceu Sponſor pro illis ad Deum accederet. Quod ut omnibus palam conſtaret, neceſſe habebant, uti pro peccatis populi, ita prius quoque pro ſuis victimas offerre Deo, *Hebr.* 7: 27. a qua labis confeſſione ne ipſe quidem Pontifex M. immunis erat. Id verò, ut antè dixi, in noſtro Magnifico non obtinet. 2. Præterea nemo *ipſum ſuum cor iſtud ſpondeat.* Aäronis filios vide juxta *Legis inſtitutionem offerentes?* Sanè, offerunt illi quidem, & ad altare accedunt, quando juxta ſortem ſuâ in ἐφημερίᾳ ad ipſos offerendi vices venerunt. Verùm enim verò, cum qua illi hoſtia ad Deum accedunt? An cum corde ſuo proprio? Immo verò cum animali bruto, quod nec Deum novit, neque hominem, nec Legem Divinam, neque peccatum: in quo ne minima quidem eſt vel juſtitia, vel obedientia, vel ſanctitas; immo ne amor quidem ullus. Hujus illi ſanguinem offerunt, qui peccata tamen tollere nequaquam poteſt, *Hebr.* 10: 4. Unum tamen adhuc faciebat Sacerdos, quod ipſius etiam perſonam propius tangere videatur: quod ſcilicet de *Sacrificio pro peccato populi oblato* ali-

aliquam partem comedat, quæ peccato populi quaſi inquinata, & in ſacerdotis tamen ſubſtantiam tranſiens, aliqualem efficiebat ſacrificii ac Sacerdotis communionem, ita peccatum (ſit venia verbo) quaſi incorporantis, populique in ſe reatum ſuſcipientis *Levit.* 10: 17. Inde Hebræorum dictum; הכהנים אכלים והבעלים מתכפרים / *Sacerdotes comedunt, & Domini expiantur*, np. quorum illæ victimæ ſunt, & pro quibus eæ offeruntur. Id quod proinde nonnullam referebat ſimilitudinem, ac ſi ipſe Sacerdos in victimam offeratur. Conf. ea quæ habet Chriſt. Wittichius in *Commentar.* ad *Hebr.* 1: 3. *pag.* 23. Immo non obſcurè adumbrabat, Sacerdotem & victimam unam aliquando fore perſonam, ita obſervante Herm. Witzio *Miſcell. L.* 2. *Diſſert.* 2. §. XCII. At *referebat* tantùm, *adumbrabat* tantùm ex obliquo. *Hoſtia* interim erat & manebat unum iſtud animal. In uno id revera obtineret Magnifico, ut *cor ſuum*, id eſt, ſe ipſum oblaturus, & Sacerdos foret & victima ſimul.

XXIV. At quid opus pluribus rationibus? Audiamus Pſaltem Divinum, qui *Pſalm.* 49: 8. minimos non modò, ſed & maximos quoſvis ad debitam animi attentionem excitat ad formatam ab ipſo Spiritu S. concluſionem attentiſſimo animo conſiderandam. Verba hæc ſunt, Interpretibus Tremellio ac Junio: *Fratrem nullo modo redimere poteſt quiſquam, neque dare Deo pretium redemtionis ejus; eſt enim cara redemtio vitæ eorum; immo ceſſat in ſeculum; ut vivat adhuc in æternum, non experiatur corruptionem.* Additur autem *verſ.* 16. Enimvero *Deus redemturus eſt animam meam a ſepulchro, quum recepturus ſit me potentiſſime. Deus*, inquit, & nemo Deo minor. Hic autem *Deus* nullus erit alius præter Magnificum noſtrum, qui ſimul JEHOVA eſt, de quo Divinum exſtat promiſſum *Hoſ.* 1: 7. *Servabo eos per* JEHOVAM *Deum ipſorum*; tunc ſcil. quando *cor ſuum ſponderet, ut accederet ad Deum.* Id verò tantum abeſt, ut per noſtram hanc formulam rogandi מי / univerſaliter cæteroquin negantem, excludatur, ut è contrario, ſi uſum ejuſdem in aliis locis ſpectes, tacite in eadem ſupponatur unum eſſe, at unum tan-

Et exclamatione denique illa in Pſalm. 49.

tantùm, qui ab univerſali ea negatione excipiatur. Uti manifeſtò id apparet ex collatione loci in Cantico Moſis ac Iſraëlitarum *Exod.* 15: 11. מי כמך / QUIS EST *ſicut tu inter fortiſſimos* JEHOVA? מי כמך / QUIS EST *ſicut tu Magnificus ſanctitate?* id eſt, nemo alius eſt niſi tu ſolus & *unus*. Item in eo Jobi *Cap.* 14: 4. *Quis dabit purum ex impuro?* Et reſponſum eſt: *Nonne unus?* Deus ſcilicet virtute ſua virginem adumbraturus, *Luc.* 1: 35.

SUBJECTI INDAGATIO

B. Subjecti indagatio. 1. *Judæi Zerubbabelem intelligentes, ut & Grotius nimis hic Judaizans.*

XXV. Atque ita præclari hujus promiſſi literalem dedimus explicationem. Nam de ejus veritate certiſſima, quam confirmat Propheta dicendo, נאם יהוה / *dictum Domini*, non eſt ut dicamus. Videantur quæ hac de formula dicta ſunt ante ad *Diſſertat.* in *Jerem.* 23: 5, 6. §. XXIX. Flagitat itaque nunc ordo, ut *Subjectum* indagemus, cui hæc de *Magnifico* prædicata applicari queant. Variant Interpretes cùm Chriſtiani, tum Judæi. Horum Magiſtri plures, recentiores in primis, Zerubbabelem deſcribi autumant, ac ſi ille foret hic *Magnificus* & *Dominator ex medio Iſraëlis*. Ille quippe *Dux* vocatur *Hag.* 1: 1. & originem ex Jacobo traxit. Vid. Genealogiam 1 *Chron.* 3: 19. Quem *ad Deum appropinquaſſe* ajunt, quod ei gratus fuerit, & quidem *corde ſuo*, i. e. ſincere. Neque magnopere mirandum eſt ita ſentire Hebræos, qui per velamen Moſis cordi ac oculis ipſorum impoſitum non penetrantes in ſenſum Spiritus S. omnes ingenii nervos intendunt, ut Vatum oracula, ſpeciatim de Meſſia agentia, enervare, illaque, ne victas Chriſtianis manus tradere cogantur, alii cuipiam applicare ſatagant: at ne inter ipſos Chriſtianos tales deeſſe, qui hic paria plane cum Judæis faciant; eo ipſo oſtendentes, non ſatis ſeſe a fermento Scribarum & Phariſæorum cavere, id enim vero dolendum eſt: & magis etiam dolendum, quod inter eos hic emineat Illuſt. Grotius, qui hypotheſi inſerviens ſuæ, pro-

phe-

phetiis duplicem ineſſe ſenſum docet, eaſque literaliter & myſtice explicat, iſtud verò præ primis, hoc verò tenuiter: quo etiam nomine juſtam cenſuram meritus eſt Ill. Præſulis Dan. Huetii, in eruditiſſimo iſthoc opere *Demonſt. Euang. Propoſ.* VII. §. 4. Quæ hypotheſis eò periculoſior eſt certè, quò magis eâ omnes de Meſſia prophetiæ extenuari poſſunt. Ita tamen Grotio & hunc locum interpretari placet, ut vix, aut ne vix quidem, aliquid reperiat ad Meſſiam hic pertinere. Ita quippe commentatur: *Ad Zerubbabelem redit oratio.* Autumat inſuper hac phraſi, *erit ex ipſo*, deſignari, *habebunt Principem non externum, ſed ſuæ gentis.*

XXVI. Quàm verò jejuna ſit hæc interpretatio, ipſa res loquitur. א. Etiamſi enim inſignis exſtiterit Zerubbabel *Princeps*, & ex ipſa Davidis familia oriundus, non tamen fuit *Magnificus* ille ac *Dominator* per excellentiam, de quo operæ pretium erat promiſſionem tantâ magnificentiâ verborum edere. ב. Nunquam *appropinquavit*, nec *appropinquare* potuit Zerubbabel *ad Deum* ceu Sacerdos, qua de *appropinquatione* ſpeciali hic agi diximus. Nam ille non ex tribu Levitica, ſed Juda ortum duxit. Multo minus *pro corde*, vel *cum corde ſuo*, vel *cor ſuum ſpondere* potuit: ut ſatis per ſe patet ex explicatione harum phraſium ſuprà data. ג. Taceo talem explicationem ex ipſa quoque rerum connexione facile redargui, quandoquidem hic promiſſus Magnificus tum demum *ex medio Iſraëlis* erat proditurus, quando jam Iſraëlitis *multiplicatis valde* in iſthac terra, ejuſque cœtu *coram Deo ſtabilito, nec non ipſorum filiis, uti olim; poſtquam etiam ipſe Deus vindictam ſumſiſſet de omnibus opprimentibus eos*, jam quoque Templo & urbe reſtauratis, ac abolitis omnibus inimicis, Babyloniis, Perſis, ipſiſque Græcis per Romanos, Deus erecturus tunc eſſet illud regnum, quod *in æternum non aboleretur*, *Dan.* 2: 44. At verò nihil horum tempore Zerubbabelis obtinuit, nondum tunc multiplicatis Iſraëlitis, & opprimentibus eos undequaque, cœtum reſque eorum continuo turbantibus hoſtibus vicinis, quod ſatis liquido nobis teſtantur ſacri Ezræ ac Nehemiæ annales.

At perperam valde.

2. Christiani Messiam intelligentes, & optime, ob a. Cognomen David *huic magnifico datum vers. 9.*

XXVII. Existimamus igitur, & dicimus citra ulteriores ambages, hunc nostrum *Magnificum* ac *Dominatorem* nullum alium esse quàm Messiam, quod his sequentibus, ut opinor, argumentis demonstratum dabo. 1. Hic conferri velim *vers.* 9. hujus *Cap.* in quo eadem persona, quæ titulo *Magnifici* hic loci insignitur, *David* nuncupatus fuerat: atqui vel ipsi Rabbini per *Davidem* intelligunt Messiam, non modò *Ezech.* 34: 23, 24. & 27: 24. *Hos.* 3: 5. sed & eum hujus ipsius loci subjectum agnoscunt: nonnulli ex illis hanc in primis rationem valide urgentes, quod dicatur; *Servient Domino, & Davidi Regi ipsorum, quem ipsis excitabo.* Ajunt enim ibi non dici, quem ipsis *excitavi*; sed *excitabo:* indicio, inquiunt, manifestissimo de Messia hic sermonem esse. Ipsa Rabbinorum verba adduxit Mart. Raymundus *de Pugion. Fid. Part.* 3. *Dist.* 3. *Cap.* 16. §. 30. *p. m.* 863. ex quo & sua descripsit Galatinus *de Arc. Cathol. Ver. L.* 3. *C.* 25. Qui & conferri potest *Lib.* 10. *C.* 6. Immo ipse Rabbi Jonathan in Chaldaica paraphrasi subjecta verba *vers.* 9. diserte ita reddit: *Et servient coram Deo suo, & obedient Davidi Messiæ suo.* At verò iste David cum nostro Magnifico idem plane est, quod totus orationis contextus evincit.

b. Ob totam rerum antecedentium seriem collatam cum Deut. 30.

XXVIII. 2. Argumentamur ex universa rerum, hic quæ occurrunt, serie, quæ nos ad Messiam diserte ducunt. Primò enim in genere promittitur Israelitis *vers.* 5–12. liberatio ex omnibus, quas hactenus perpessi fuerant, angustiis; in specie etiam ex captivitate Babylonica: additur, quod *resipiscerent, servientes* JEHOVÆ *Deo suo & Davidi Regi suo &c.* Porro *vers.* 12–17. verbis significantibus plagarum, quibus obnoxii fuerant, gravitas describitur, quibus finem nihilominus impositurus erat Deus, *curando eos a perpessionibus suis.* Tandem *vers.* 18–20. cum liberatione ex captivitate promittitur itidem *urbis* Hierosolymæ *ædificatio*, nec non *palatii*, immo & *multiplicatio* eorum ingens, ac *stabilimentum*, cum pœna Divina in *opprimentes eos.* Quod tum demum summo vigore obtinuit, quando sub potestatem Judæorum redactis Idumæis, reliquisque vicinis Gentibus Judæos quondam

dam opprimentibus, ſtabiles, Hyrcani præſertim tempore & deinceps, ſedes habuerunt, rebuſque proſperis gaviſi ſunt in Palæſtina Hebræi, & multiplicati fuerunt valde ſupra Patres eorum. Quæ omnia quando præceſſerant, & jam ſuo videbantur in implemento, tunc demum illis adveniret Magnificus ille, qui nullus ergo eſt alius præter Meſſiam. Quem univerſa etiam illa gens circa iſthæc tempora tam certò exſpectavit, ut non tantùm Novi Teſt. libri, ſed & ipſi Ethnicorum Scriptores Suetonius ac Tacitus id memorent, ut notavimus ſuprà ad *Jer.* 23. XLII. De hujus autem ſeriei rectè ſic a nobis data explicatione eò quidem magis erimus perſuaſi, ſi Jeremiæ noſtri hanc promiſſionem hoc in rerum nexu ſpectatam conferamus cum aliis parallelis Prophetiis, iis præſertim, quæ jam a vetuſtiſſimis temporibus apud Moſem occurrunt *Deut.* 30: 1-6. qui temporum ſigna ejus, qui *cor Iſraëlis circumcideret*, id eſt, Meſſiæ, adventum præceſſura deſcripturus, ſimilem plane, ſi non eundem rerum ordinem obſervavit, quem hic habet Jeremias Propheta, non obſcura cum alluſione ad priorem illam penes Moſen Prophetiam. Quod Moſem & Jeremiam conferenti patebit liquido. Quod verò iſte JEHOVA *Deus*, *ipſorum corda circumciſurus*, ſit Meſſias, inde patet quod ei iſtud adſcribatur opus *Col.* 2: 11. Et hæc convenientia fatorum in utroque loco, ante adventum ibi *circumcidentis cor eorum*, hic verò *Magnifici*, cauſa eſt cur credamus, noſtrum hunc *Magnificum* eundem eſſe illum Meſſiam, ſub alia tantùm hic σχέσει, Regio ſcil. & Sacerdotali, deſcriptum.

XXIX. 3. Quò itidem facit ipſe Judæorum veterum conſenſus, per *Magnificum* hic Meſſiam intelligentium. Ita locum de Meſſia accipit Midraſch Tillim ad *Pſalm.* 21. Plura dabit Calovius. Operæ pretium eſt hanc ut in rem deſcribantur R. Berachiæ verba, quæ dixit nomine R. Samuëlis; *Una Scriptura dixit de Meſſia Dan.* 7: 13. *& erat veniens in nubibus ſicut Filius hominis, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & coram illo eum appropinquare fecerunt. Et alia Scriptura de Meſſia dicit* (& noſtri tum textus verba ad-

c. *Ob conſenſum antiquorum Judæorum, ut ex Midraſch, R. Berechia, Jonathane, Talmude, & Cabbala.*

ducuntur) *Et applicabo* (ita nempe juxta Verſionem Vulgatam) *eum, & accedet a me: ecce! per quem modum? Angeli introducunt ipſum uſque ad medium eorum: Deus autem extendit manum ſuam, & introducit eum apud ſe: propter hoc dictum eſt de Rege Meſſia; & applicabo eum, & accedet ad me.* Hæc gloſſa. Quod ſi teſtimonium hoc non ſufficiat, & aliud addamus ex ipſo Targum Jonathanis, noſtrum Jeremiæ locum de Meſſia totum interpretantis. Hunc quippe in modum ſe ejus habet Paraphraſis: *Et inungetur*, ſeu *nutriet ſe*, *Rex eorum ex illis*, & *Meſſias eorum de medio eorum revelabitur*: & *appropinquare faciam* &c. Et alia occurrunt apud eundem Raymundum *in Pug. Fid. Part. 3. Diſt. 3. C. 1. p. m. 635.* Eòdem etiam pertinet, quod Prophetiæ noſtræ Subjectum vocetur אדיר/ pro quo habent Muhammedani *Adriis*. Paſſim verò conſtat ex ſcriptis Judæorum, inter nomina, quæ in Sacris Meſſiæ data illi recenſent, & iſtud eſſe, quod nuncupandus foret אדיר/ ita in Thalmude in *Chelek*; quod ex hoc Jeremiæ loco noſtro præcipuè depromtum, ſanus quivis facilè perſpicit. Cæterùm obſervatur אדיר/ ſi non idem ſit, magnam ſaltem habere convenientiam cum אביר/ quod reperitur *Gen.* 49:24. ubi de Joſepho filio ſuo teſtatur Jacobus Patriarcha, *robarata fuiſſe brachia manuum ejus a manibus* אביר/ id eſt, *robuſti, ſive potentis Dei Jacobi*, per quem אביר & iſtic loci Meſſiam intelligere poſſumus. De hoc autem nomine אביר Corn. a Lapide hæc ſequentia annotavit in ſuo commentario ad *Gen.* 49: 24. *Tradunt Hebræi hoc nomen* אביר *plenum eſſe myſteriis. Nam prima litera* Aleph *ſignificat* אב/ *Patrem*; *ſecunda litera* Beth *ſignificat* בן/ *Filium*; *tertia eſt* Reſch, *quæ ſignificat* רוח/ *Spiritum S. Sicuti autem hæ tres literæ ſunt in uno nomine* Abiir, *ita hæ tres perſonæ ſunt in una eſſentia Divina.* Addit deinceps: *Rurſum*, Beth *eſt medium inter* Aleph & Reſch; *quia Filius eſt medius inter Patrem & Spiritum S. Procedit enim a Patre Filius, & a Filio Patreque procedit Spiritus S. Denique ipſi* Beth *conjungitur* Jod, *quæ eſt litera nominis Jeſu, quia ſolus Filius factus eſt homo, & vocatus Jeſus, id eſt, Salvator hominum.* Hæc ille. Ad nos quod attinet, non multum præſidii

ſidii ejuſmodi generis ratiociniis ineſſe, neque tali auxilio nos egere exiſtimamus. Novimus quippe iſthæc Cabbaliſtica otioſarum mentium eſſe paſtum, quæ quandoque ſubtilitatis aliquid fortaſſis habent, ſoliditatis nihil, cùm tali more agendi facilè quidvis ex quovis confici queat: ita ut de iis meritò dixeris, quod in ſimili caſu Aben Ezra ad *Eſai.* 7: 6. וזה הבל / *ſed hoc eſt vanitas.* In tantum nihilominus valet hoc argumentandi genus contra Judæos, qui eodem ipſi ſæpe utuntur.

XXX. 4. Quapropter ſolidiora ſectando ad prædicata hic occurentia tranſeo, quæ nulli alii Subjecto, niſi *Meſſiæ ſoli*, competere poſſunt: quod ex ipſa, quam dedimus, & rerum & verborum exegeſi, cum applicatione ad Meſſiam in ſequentibus ſic ſatis liquido eluceſcet. Inchoamus (1) Ab appellationibus אדיר / & מושל / quæ nemini magis quàm Meſſiæ competunt. Ille quippe eſt *Magnificus* κατ' ἐξοχήν, ſummam poſſidens Majeſtatem, poteſtatem, atque gloriam plane Divinam. Inde vocatur *Rex gloriæ Pſalm* 24: 7–10. habens *ornatum*, ſeu *decorem*: *Zach.* 6: 13. quibus phraſibus, juxta earum vim præ primis Hebraicam, כבוד / & הוד / (de quibus nunc in ſpecie non eſt dicendi locus) Meſſias quàm diſertiſſime diſtinguitur ab omnibus creaturis. Multa autem quæ ad illam *gloriam*, ſive *decus* Meſſiæ demonſtrandum, afferri poſſent, tum reſpectu munerum, tum ſtatuum, Lectori noſtro ſupponimus haud prorſus eſſe incognita.

a. Ob ipſa prædicata, quæ ſoli Meſſiæ competunt eo ſenſu, quem iis dedimus in exegeſi verborum, uti I. Relative ad homines, quod eſſet: a. Magnificus.

XXXI. Eſt & (11) מושל / *Dominator*, Ita enim deſcribitur Meſſias *Mich.* 5: 1. ceu *Dominator proditurus ex Bethlehem. Cujus Dominium eſt ſuper humeros ejus*, *Eſai.* 9: 5. De quo in ſuis Ultimis vaticinatus eſt David 2 *Sam.* 23: 2, 3. eum *Dominaturus*, ajens, *hominibus*, *Dominatorem in timore Dei.* Dominator in genere ſuper omnia, ſpeciatim verò talis cum reſpectu ad ſuos, quos Spiritu & verbo regit ut ei ſerviant, quosque adverſus hoſtes ſuos defendit: de quo *Eſai.* 45: 22--24. cum oppoſitione ad iſtos מושלים / *Dominantes*, de quibus *Eſai.* 49: 7. & 52: 25. Quibus ſublatis *principatus foret in*

b. Et Dominator.

ejus humeris Esai. 9: 5. Sic etiam *Rex* audit *Psalm. 2: 6.* conf. *Jesai. 33: 22.*

c. Et quidem Israëlis.

XXXII. (III) Magnificus hic dicitur *Magnificus* fore *Israëlis*, cum speciali ad hunc populum relatione. Est quippe Messias *Magnificus Jacobi*, ac *rupes Israëlis 2 Sam. 23: 3.* Est idem vere *Gloria Israëlis*, utpote suo tempore manifestandus in carne, ceu antitypus veræ *arcæ fœderis*. Conf. *Jerem. 3: 16.* quæ per *aurum* suum Divinæ, per lignum verò Sittim humanæ ejus naturæ non obscura ostendens emblemata, idcirco ab Eli Pontifice M. dicta fuit *gloria Israëlis*, *1 Sam. 4: 21.* nec non ab Asapho *Psalm 78: 61.* Accedit, quod super hanc arcam inter duos Cherubinos, (*Gloriæ* propterea dictos *Hebr. 9: 5.*) habitabat שכינה *Schechina*, Gloria illa Divina, quæ in ipso demum olim Messia videretur clarissima, in signum præsentiæ suæ gratiosæ inter populum suum. Et inde fortasse etiam per δόξαν, *gloriam*, quæ inter Israëlitarum recensetur prærogativas à Paulo *Rom. 9: 4.* *arca fœderis* intelligitur. Idem tanquam גאל & אביר *Jacobi* describitur *Esai. 49: 27.* & 60: 16. Cujus & foret משל / *Dominator*, immo *Rex*; sub qua schesi diserte ad *Zyonem* refertur *Psalm. 2: 6.* Et *Zach. 9: 9.* alloquitur Propheta Israëlem, dicens; *Tuus veniet Rex*, qui nullus ibi alius nisi Messias. Conf. & *Esai. 9: 6. nobis*, scil. Judæis, *datus*. Uno verbo, quicquid facit ad Messiæ *magnificentiam* & *gloriam*, idem populo Israëlitico, cujus ille Messias est, magnificentiam & gloriam affert tantam, quantam nemo alius Israëlitarum aut Propheta, aut Rex, aut Sacerdos, ipsis attulit.

d. Et futurus ex Israële, & proditurus ex medio ejus.

XXXIII. (IV) Quæ deinceps recitantur, *eum proditurum ex Israële, & ex medio ejus*, in Messiam denuo quadrant. Ille quippe qui Deus erat (quod duo isthæc *Magnifici* & *Dominatoris* nomina non obscurè volunt, & alia insuper loca evincunt *Esai. 9: 5. Jerem. 23: 6.*) aliquando per nativitatem (quæ verbi יצא significatio est, conf. §. VIII. ב humanam erat assumturus naturam, sicque egressurus in mundum. Ita enim de Messia prædicitur *Mich. 5: 1.* eum, etiamsi habeat מוצאות / *egressiones ab æterno*, *à diebus seculi*, np. juxta Deitatem, nihilominus

minus ſecundum humanam ipſius naturam יצא / *egreſſurum ex Bethlehemo*, ut ſit מושל / *Dominator in Iſraele*; & ſic verus ille עמנואל / *Immanuel*, *Deus nobiſcum*, ſive Deus & homo pariter in unitate perſonæ, *Eſai.* 7: 14. Et ita ille prodiret *ex Iſraële*, tanquam indigena, & ad iſtam gentem pertinens ex Jacobo oriundam, cui proinde Iſaäcus Pater benedictionem Abrahamı de *ſemine* iſthoc *benedicto* ac *benedicturo* peculiariter aſſignaverat *Gen.* 28: 4. uti & Bileam vaticinatus eſt *Num.* 24: 17. *Sceptrum oriturum ex Iſraële.* Idem proditurus itidem erat *ex medio ejus*, i. e. ſi ad *Statum* vocem eam referas, abſque ulla pompa mundana, uti vel ipſe David Rex Meſſiam ſuum filium ac Dominum *Pſal.* 110: 1. quem ibidem inſignivérat titulo מושל / *Dominatorem*, tunc demum prædixit oriturum, *quando domus ipſius non ita foret apud Deum*, externo iſthoc gaudens ſplendore 2 *Sam.* 23: 3-5. contrà autem, quemadmodum ſerior prophetia determinavit, quando *collapſum foret tugurium Davidis*, & *humile valde*, ut iſtud per eum ſic denuo erigeretur *Amos* 9: 11. Et hac etiam de cauſa deſcribitur Meſſias ceu *nullam habens ſpeciem cur deſideraretur*: *Eſai.* 53: 2. Immo *Rex pauper Zach.* 9: 9. Sin autem quis malit hanc phraſin, *prodibit e medio*, ad *Locum* referre, quàm ad *Statum*, tum deſignabit proditurum Meſſiam ex media quaſi terra; qui locus *Mich.* 5. 1. indicatur fore Bethlehem, non procul ab Hieroſolymis, quaſi in meditullio terræ. Atque tunc *proceſſus* iſte in aliquanto etiam majori poteſt capi ſenſu, quaſi ſcilicet *proceſſus* foret *ex medio Iſraëlis* inſtar lucis ſoliſque orientis, (cui comparatur *Mal.* 4: 2.) ad ſeſe populo ſuo manifeſtandum cum doctrina & operum magnificentia: conf. 2 *Sam.* 23: 3, 4. dicturus tunc; *Ecce ego venio*, & quæ occurrunt *Pſalm.* 40: 7-9.

XXXIV. Neque *Magnificus* duntaxat, & *Dominator ex medio ejus*, revera foret *Meſſias*, verùm & *Sacerdos* ille foret, & tam quidem neceſſariò, ut niſi *Sacerdos*, ne *Dominator* quidem eſſe poſſet: quippe cùm ejus munus Regium in Sacerdotali fundarum eſſet, de quo ad *Zach.* 6: 13. in *Diſſertatione* ſequenti opportuniori erit differendi occaſio. Verùm etiam *Sacerdotem* eſſe Meſſiam

Relationem etiam ad Deum. a. Sacerdos foret, utpote appropinquaturus cum ſacrificio.

ſiam, ſicque diſerte eum nuncupari, non neceſſe ut nunc adſtruamus, poſt noſtrum Singularem Librum *de Sacerdotio Chriſti juxta ordinem Melchizedeci* ad *Pſ.* 110.4. & *Hebr.* 7:1-10. *Functionis* modò *Sacerdotalis* utramque partem hic indicabo. *Appropinquaret*, ſcilicet ad Deum, ſuam victimam ei oblaturus, *animam ſuam ponens* אשם / *ſacrificium pro reatu*, ſeu *ſatiſfactionis pretium. Eſai.* 53: 10. Sic autem eum *appropinquare fecit Deus* ab omni æternitate, quando Meſſiam in conſilio pacis conſtituit Sacerdotem, qui *adducta juſtitia ſeculorum peccatum erat expiaturus*: *Dan.* 9: 24. Tum puta, quando ei dixit Dominus; *Tu es Sacerdos in æternum*: de quo egimus ad *Pſalm.* 110:4. At verò de æterna illa Meſſiæ Sacerdotis conſtitutione non adeo agitur hic loci, quam de ea potius, per quam ſuo eum tempore *appropinquare faceret* Deus, adaptando ei corpus, ut cum aliis juxta Sacerdotibus aliquid haberet quod offerre poſſet. Quod & Meſſias facturus erat voluntarie, & cum animi lubentia pleniſſima. Luculenter id docet *Pſalm.* 40: 7-9. ubi Meſſias ita loquens inducitur, ut omnia Legis, quæ hactenus obtinuerant, ſacrificia removendo, Deo dicat: *Tu* eorum loco *mihi aures perforaſti*. Quod Apoſtolus explicat, *Tu mihi corpus adaptaſti Hebr.* 10:5. Neque id tantùm, ſed & ut oſtendat inſuper, quàm voluntarie corpore ſuo in hoſtiam ſit uſurus, dicens; *Ecce venio ad beneplacitum tuum peragendum, tua Lex in medio viſcerum meorum.*

Et acceſſurus per interceſſionem:

XXXV. Non modò Meſſias *appropinquaret* cum victima, ſua, ſed etiam *interceſſione* ſua ad ipſum Deum (conf. §. XIV. & *ſeqq.*) Meſſiæ enim eſt ex *Eſai.* 53:12. *Orare pro tranſgreſſoribus*, æque ac *animam ſuam effundere in mortem*. Sic eleganter ab Elihu inducitur *Job.* 33: 23 & 24. tanquam מלאך / *Nuntius*, *Angelus*, reſpectu *Dei*, a quo mittitur, ut ejus nomine quædam annunciet apud homines. Porro tanquam מליץ / quod malim ego in diſtinctione a priori vertere *Advocatum*, *Interceſſorem*, qui Græcis eſt παράκλητος, & ea in verſione nobis præit Paraphraſtes Chaldæus. Talis verò *Interceſſor* Meſſias tunc dicitur reſpectu *hominum falvandorum*,

a

a quibus quaſi mittitur ad Deum, ut eorum apud Deum cauſam agat, atque eorum nomine intercedat, dicens verbis proximè ſequentibus: *Redime eum, ne deſcendat in foveam, nam inveni expiationis pretium.* Quæ ipſa Meſſiæ *interceſſio* eſt, nonnunquam alibi dicta *petitio, poſtulatio: Pſalm.* 2: 8. & 20: 2–6.

XXXVI. Tandem & Meſſias ערב את לבו / *ſpopondit pro corde ſuo:* cùm voluntariè adeo & tanta cum fiducia dicere potuit: *Ecce veni, ut faciam voluntatem tuam. Pſalm.* 40: 8. idque ſine ullo *pudefiendi* metu, *Eſai.* 50: 7. 9. Immo & cum confidentia jubendi ferme; *Redime eum.* Et cur non? *Inveni redemtionis pretium: Job.* 33: 24. Sed &, quæ ſecunda phraſeos erat interpretatio, & ipſum illud *cor ſuum*; ubi tanquam Sponſor hominis peccatoris perſonam ſuſtinens, pro eo ad Deum accederet ad procurandam peccatorum expiationem. Duo hac in cauſa nobis egregia in Sacris teſtimonia occurrunt. Prius eſt *Eſai.* 38: 14. ubi ægrotans Ezechias Rex, & peccatorum onere pene oppreſſus, ad Deum in precibus, vel ad ipſum potius Meſſiam, ſe convertit, exclamans; *Vis mihi fit*, ſc. a peccatis & conſcientia accuſante, ערבני / *fide jube, ſponde pro me:* id eſt, ſis mihi vas, ſponſor, patronus. Alterum eſt *Pſalm.* 119: 122. ערוב / *fide jube, ſponde pro ſervo tuo in bonum:* cujus idem ferme ſenſus eſt.

b. Et ſacerdos foret unicus, *utpote* ſponſurus pro corde ſuo, *immo* & cor ſuum.

XXXVII. Atque talem ſatisfactionem, qua peccatoris loco aliquid dat, ſeu ſubſtituit Meſſias, veteres itidem agnoverunt Judæi. Citatur in hunc finem hoc teſtimonium Menachemi Racanatenſis in *Leg. fol.* 54. *Col.* 4. *Animadverſione dignum eſt quod eſt* Job. 33: 24. *Et dixit, redime eum, ne deſcendat in perditionem, inveni lytrum, quando decreta eſt mors contra Adamum vel hominem aliquem, quod inventus ipſi ſit orator, patronus ſuperne, quoniam vero ſcriptum ſignatum annulo Regis revocari nequit, non datur reſtitutio in integrum, donec Angelo mortis detur expiatio ejus, ſeu* ἀντάλλαγμα. Sic ſolent ſua Judæi miris phraſibus ac verborum involucris deſcribere; attendenti tamen & ipſorum moris agendi gnaro,

Quod & antiqui Judæi de Meſſia profeſſi ſunt, ut oſtenditur ex Menachem Racanatenſi.

hæ ſequentes ex modò dictis veritates palam fient. Scil. 1. Homini, poſtquam peccârit, ſuum eſſe in cœlis patronum & advocatum, qui intercedendo ejus cauſam agat penes Deum. 2. Ejuſmodi tamen interceſſionem ſolam non ſufficere, cùm ſtatuta eſſet mortis pœna peccanti per Divinum decretum, quod ob ejusdem veracitatem irrevocabile eſt. Quocirca 3. Neceſſe erat, ut Angelo mortis pro eo pretium daretur expiationis. Per *Angelum* autem *mortis* intelligunt juſtitiam Dei vindicantem, juxta illud *Prov.* 16: 14. Tradunt itidem *loc. cit Quodcunque decretum ex ore Sancti Benedicti egreditur contra hominem, ſiquidem ille reſipiſcentiam exercuerit, non mittunt illum ad pœnam & ultionem ferendam, ſed hominem alium in ejus locum ſubſtituunt, quod dictum Prov.* 11: 8. *Juſtus ex anguſtia eximitur, & venit impius in locum ejus.* Quibus verbis clarius adhuc docent, non poſſe homini ob juſtitiam Divinam remitti peccata, niſi ei ſatisfiat; quod fit, ſi pœna in vicarium, ſeu ſponſorem derivetur, qui peccatoris loco reus fiat, & quaſi *impius* luat pœnam. Et verò Hebræi antiqui pro tali habuere Meſſiam, quem nonnunquam appellare ſolent אישׁ כל כפר / *Virum omnia expiantem.* Sed de iis forſitan aliàs. Unum addo quod ex eodem Menachemo adducitur *ibid.* ex *fol.* 191. *col.* 1. ubi ad verba Legis *Num.* 35: 25. quâ homicida fortuitus in urbe refugii commorari tenetur uſque ad mortem Pontificis M. ita commentatur: *Nam per hujus mortem expiabitur illius iniquitas; nam mors juſtorum expiationem facit.* Si dixiſſet, mors juſti illius ſcil. per illum Aäronicum adumbrati, veteris Eccleſiæ Iſraëliticæ fidem de Meſſiæ ſponſione ac interceſſione, convenientem cum illa, quam nos profitemur Chriſtiani, tradidiſſet. Nunc dicens *juſtorum*, errat, & ipſis *Pſalm.* 49. monitis obloquitur.

Atque nemo præter Meſſiam ea faceret, quia Meſſias ſolus eſt 1. *Peccati ſui expers.*

XXXVIII. Atque ità quidem hæc prædicata ad Meſſiam pertinere, ſatis, ut opinor, adſtruximus. Reſtat probandum, quì hæc cuncta ſic in Meſſiam quadrent, ut cæteri omnes, quicunque demum illi ſint, & quantumvis magni, ab hac prærogativa excludantur, quam rem ſubſequens illa in-

interrogatio, *Quis eſt*, ſcil. præter Meſſiam, *qui* &c. extra omnem plane dubitationem collocat: quod per partes ſic adſtructum eo. (1.) Dixi nullum peccatorem *ad Deum accedere* poſſe tanquam *ſponſorem:* cùm verò peccatores ſint omnes homines, ipſi quoque Pontifices M. unus tantùm excipitur Meſſias. In quam rem occurrit locus inſignis *Job.* 14: 4. *Quis dabit mundum ex immundo? Ne unus.* Quo in loco ita verſo generatim docetur omnes naſci in peccatis, & *ne unum* quidem excipi. Verùm poſſent fortaſſis hæc ultima verba לא אחד/ *ne unus*, interrogative legi, hoc modo; *Nonne unus?* Quò facit quod & Tremellius & Junius verba etiam antecedentis *verſus* 3. interrogative legant. Et Cel. etiam Coccejus illud לא אחד ita verti poſſe notat, quamvis rem ipſam aliter paulò explicet. Tunc verò ſenſus foret, omnes quidem eſſe peccatores, *unum* verò excipi. Quis autem iſte *unus?* Procul dubio Meſſias, qui *unus ille ex mille*, quemadmodum ita eodem hoc in libro *Job.* 33: 23. Elihu ipſum deſcribit, &, uti nonnullis videtur, quem *unum ex mille invenerat* Salomo perfectum peccatique exſortem: *Eccleſ.* 7: 28. & quem inſuper deſcribit tanquam *vexillum ferentem præ decem millibus*, *Cant.* 5: 10. Quæ interpretatio poſt alios itidem arriſit Cl. Jac. Altingio *Heptad.* 4. *Diſſert.* 1. §. 7. Quorum tamen ultimum omnibus non probatur, uti videre eſt apud Cl. Marckium noſtrum *Exercit. Scriptur.* XXIV. pag. 1133. *ſeqq.* ubi hæc exegeſis ſeriò ad examen vocatur. Verùm enimvero quicquid de interpretatione ſingularis alicujus loci diſſentiant Viri docti, id ſaltem, quoad rem ipſam, conſtat, & omnes hoc facile dabunt, *unum* Meſſiam inter cunctos homines omnis peccati exſortem eſſe, in quem proinde ſolum, ceu *ſponſorem* noſtrum, JEHOVA *fecerit incurrere omnium noſtrum pœnam*, qui ea propter, quando hæc *pœna exigebatur*, *affligendus eſſet*, *Eſai.* 53: 6, 7, 9. Atqui hanc ob cauſam, quod ſponſor factus eſſet, deberet *rependere id*, *quod non rapuit: Pſalm.* 69: 5.

XXXIX. Deinde (11) potuit & Meſſias ſolus *cum corde ſuo ſpondere*, ceu corporis ſui & animæ, vitæ etiam neciſque *2. Vitæ neciſque dominus.*

que propriè Dominus: quod in alios homines nequaquam cadit, quorum nemini ulla eſt in ſuas animas poteſtas, per quam illas abjicere, aut tanquam ſacerdotes offerre poſſunt. Et ponamus poſſe & velle *cum corde ſuo* illos ſpondere, atque ſe ipſos pro victima in mortem tradere, ſic quidem priori Sacerdotii actui ſatisfacerent, quid verò fiet de altero ejuſdem actu, haud minus neceſſario, *acceſſione* ſcil. *ad Deum*, ut vi ſacrificii oblati pro ſuis intercedant? Poſt mortem quippe ſuam ad Deum tanquam ſacerdotes in cœlum accedere nequeunt. Id verò ſolus poteſt Meſſias, cujus erat ex morte reſurgere, *Pſalm.* 16: 10, 11. in cœlos adſcendere, *Pſalm.* 47: 6. 68: 19. & quoad *Regium* non modò munus *ſedere ad dextram Dei*, *Pſalm.* 110: 1. verùm etiam *in Throno*, tanquam *Sacerdos*, ubi tum iſtud *pacis conſilium foret inter ipſum & JEHOVAM*, ad quem ſua pro populo ſuo interceſſione acceſſurus eſſet; quæ res tota illuſtrem nobis in modum deſcribitur *Zach.* 6: 13. & ſoli rurſus *Viro Germini* ibidem attribuitur: qui inde etiam vocatur *clypeus ſuorum apud Deum ſalvans rectos corde Pſalm.* 7: 11.

3. *Et ſummus ſimul Deus.*

XL. Quibus (111 Tertio loco accedit, quod inter omnes, qui ad Deum acceſſerunt Sacerdotes, ſolus Meſſias ipſe *Deus* ſit, ut ſuæ Eccleſiæ fiat JEHOVA *juſtitia ejus*, *Jerem.* 23: 6. Quæ Meſſiæ Deitas facit, ut 1. Liceat nobis in eo confidere, quæ ſolius Dei gloria eſt, omni homini ſub pœna maledictionis denegata *Jer.* 17: 5. Quamobrem Meſſias, ubi tanquam objectum fidei noſtræ proponitur, tanquam verus Deus prædicatur *Eſai.* 45: 22–25. 2. Ut etiam liceat noſmet ipſi tradere cum anima & corpore, tanquam ſervos caro pretio emtos Domino ſuo, *Eſai.* 53: 12. 3. Immo, ut etiam ipſemet poſſit ſuæ oblationi, æque ac interceſſioni infinitam attribuere vim, & plane Divinam. Meritò itaque rogat Deus: *Quis eſt*, præter iſtum Magnificum, *qui ſpopondit* &c. Et vel tacendum eſt; vel ſi reſpondeatur, reſpondendum; NEMO, profectò NEMO. Conferri etiam poſſunt *Pſalm.* 2: 7. *coll. Hebr.* 1: 5. & *Pſalm.* 110: 4.

XLI.

XLI. Hinc verò profluit excellentiſſima illa Meſſiæ gloria, quod, uti ipſe ſolus poſſit ad Deum accedere, ita nemini omnium id liceat, niſi unicè per ipſum illum Meſſiam. Quod tantæ eſt certitudinis, ut vel inter ipſos Judæos cæcutientes id quoque creditum fuerit, omnem ad Denm accesſum præcluſum ſtatuentes, niſi per Schechinam (qui Meſſias ipſis eſt) illeprocuretur. Memoratu digna ſunt ea, quæ ex eodem rurſus Racanatenſi citantur *fol.* 135. *col.* 2. *Non datur ingreſſus*, ſeu *acceſſus ad Regem Benedictum & Excelſum*, vel *ante ejus faciem*, *abſque Schechina*. Atque ut id probet addit dicta *Pſalm.* 17: 15. ubi agitur de *viſione Dei in juſtitia*. Et ſic צדק / *juſtitia* illa erit ipſa Schechina. Quod certè nomen a Meſſia, juxta S. Scripturæ ſtylum, alienum non eſt. Poteſt conferri *Eſai.* 45: 24. & *Jerem.* 23: 6. Porro idem affert *Gen.* 44: 34. ubi Juda Joſepho dicit, non poſſe ſe ad *Patrem ſuum* venire abſque הנער / *puero*, Benjamine puta: ubi per Cabbaliſticam ergo i terpretationem huic Racanatenſi *Pater* erit Pater cœleſtis, & *puer* ille Filius dilectus Dei Meſſias, quo ſine nemo Deo eſt acceptus, neque apud Deum acceſſum ſortitur. Hæc quidem, fateor, Cabbaliſtica denuo ſunt, in hiſce tamen veſtigia priſcæ in Eccleſia de Meſſia fidei offendimus, ut qui ſolus ad Deus accedendi poteſtatem haberet, & præter eum nemo alius niſi per ipſum.

Hinc gloria Meſſiæ, quod, uti Judæi ipſi agnoverunt, non detur acceſſus ad Deum, niſi per Schechinam.

IMPLEMENTI ASSIGNATIO IN JESU NOSTRO.

XLII. Quæ cùm ita ſe habeant, reſtat, quod ultimo loco nos demonſtraturos dixeramus § 111. ut comperiantur ea omnia, uti ſoli competunt Meſſiæ, ſic etiam impleta eſſe in illo, quem nos pro Meſſia illo unico habemus: id eſt, in Jeſu Nazareno. Id verò breviter modò ſum oſtenſurus, & in potiſſimis, unde de reliquis judicium eſto. In anteceſſum itaque præmiſerim, ad Jeſum Nazarenum nos ducere totam rerum in antecedentibus prædictarum ſeriem, cum

C. Implementi aſſignatio in Jeſu noſtro. Ad hanc nos ducit a. Totæ rerum connexio in contextu.

quibus noſtra verba connectuntur per copulam, *Vau*; np. (uti plenius recenſui ea §. X.) poſt liberationem ex captivitate Babylonica; poſt reditum in terram; poſt ædificatam urbem, reſtauratum Templum, multiplicationem populi, nec non animadverſionem Divinam in opprimentes Iſraëlem; *Et*, i.e. vel *tunc*, vel *præterea*, foret ille *Magnificus ex eo* &c. Adeo ut hic deſcribatur articulus temporis, quando venire debuerit Meſſias. Et hunc temporis articulum a Propheta deſignatum apprime convenire cum illo, qui dicitur in ſcriptis Novi Teſt *plenitudo temporis*, *Gal.* 4: 4. quo Deus *miſit filium ſuum in mundum*; quando noſter manifeſtatus eſt Jeſus filius Mariæ, tota clamat hiſtoria Euangelica.

b. Omnia etiam prædicata in Jeſu reperiuntur. I. Reſpectu Regni, nam Jeſus revera 1. *Magnificus fuit. Et* 2. *Dominator.*

XLIII. Verùm magis ſtringet hoc argumentum, ſi unà oſtenderim omnia hujus loci prædicata in Jeſu noſtro obtinere, & reſpectu *regiæ* ipſius excellentiæ, & *ſacerdotalis*. Quod particulatim ſic probatum eo. A. Reſpectu *Regni* 1. Jeſus dici poteſt אדיר *Magnificus*, utpote cùm ſit ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ *Hebr.* 1: 3. *Dominus Gloriæ*, 1 *Cor.* 2: 8. Quæ naturæ ejus Divinæ eſt deſcriptio, & qui proinde *Deus laudandus*, *ſeu benedictus ſupra omnes*: *Rom.* 9: 5. cujus *gloria viſa fuit tanquam gloria unigeniti a Patre Joan.* 1: 14. 11. Jeſus ille in ſuper *Dominator eſt*, *poteſtatem omnem habens in cœlo ac in terra Matth.* 28: 18. Cui acclamatur *dignum eum eſſe qui accipiat poteſtatem*, *& honorem*, *& gloriam*, *Apoc.* 5; 12. qui deſcribitur tanquam *regnaturus in ſecula Cap.* 11: 15. *Princeps Regum terræ*, *Cap.* 1: 4. Immo *Rex Regum & Dominus dominantium* 1 *Tim.* 6: 15. *Apoc.* 19: 6. Eſtque talis in oppoſitione omnium iſtorum dominantium, qui & quondam exſtabant, & quos *in cruce traduxit palam Col.* 2: 15. & ſedens ad dextram Dei, Spiritus ſui dona effudit largiter: quo *demonſtratus* fuit *Dominus eſſe & Chriſtus*: *Act.* 2: 36. Inde & Paulus multus eſt id ut oſtendat, *Epheſ.* 1: 20-23. qui ſcil. *elatus ſit Chriſtus longe ſupra omne imperium ac poteſtatem*, *& dominationem*, *& omne nomen*, *quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo*, *verum etiam in futuro &c.* & qui *conſtitutus fuerit caput ſupra omnia &c. cui genua omnia flectantur*, in quo iſtud διαφορώτερον

φορώτερον ὄνομα consistit: conf. *Rom.* 14: 9. 11. & *Phil.* 2: 9-11.

XLIV. (III) Jesus etiam fuit Magnificus & Dominator *Israëlis*, ad Israëlem pertinens, atque in ejus bonum: ideo *Rom*: 9: 4 & 5. inter Israëlitarum prærogativas quoque recensetur, quod *ipsorum sit* δόξα, *gloria*. Vix natus fuit, quin annunciet iis Angelus, *Vobis* natus est &c. *Luc.* 2: 11. & *vers.* 32. ætate venerandus Simeon eum deprædicat *gloriam populi sui Israëlis*: sicuti tanquam *Dominator* & *Rex regnare* quoque dicitur *in domo Jacobi in æternum Luc.* 1:33. (IV.) Hic quoque fuit *ex Israële*, *prodiitque ex medio ejus*. Est *ex Judæis Joan.* 4: 22. Ex *Patribus Rom.* 9: 5. Ex *Juda Hebr.* 7: 14. Ex Regia *Davidis* prosapia *Rom.* 1: 3. quam veritatem demonstrat ejus genealogia *Matth.* 1. & *Luc.* 3. Et ipsi agnoscunt Judæi in Gemara Sanhedrin, *Cap.* 6. quod incipit, *Nigmar. Haddin fol.* 43. *col.* 1. *In parasceve Paschatis suspenderunt Jesum, qui propinquus Regibus erat*, id est, ex Regia familia. *Prodiit* etiam *ex medio ejus*; sive ad externum modum id referamus; prodiit enim tanquam *ex medio populi*, absque ullo splendore pompave: sive ad locum, qui Bethlehem, in media quasi Israëlis terra; sive ad doctrinam & miraculorum excellentiam, qua se manifestavit Israëli, ita *stetit in medio eorum*, quemadmodum diserte legitur *Joan.* 1:26. Idem prodiit quoque tanquam ἀνατολὴ, *Luc.* 1: 78. & ejus quoque visa fuit *stella Matth.* 2: 2.

3. Et quidem talis fuit super Israële. *Et* 4. Ex Israële *fuit, & quidem* Israëlis medio.

XLV. Ea porro quæ B. De Messiæ *appropinquatione* cum relatione ad sacerdotium hujusque singularitatem diximus, & in Jesu obtinet. Nam quoad Sacerdotium, ille 1. *Sacerdos* exstitit, qui cum victima *appropinquavit* ad Deum, quam obtulit: *Hebr.* 8; 3. sed non nisi vocatus à Deo, qui eum *appropinquare fecit*; quare & *hunc honorem non sumsit ex se ipso*, *Hebr.* 5: 4. 5. Immo *accessit* insuper sua cum intercessione, velut populi sui advocatus, & quidem *ad Deum* ipsum, non ad altare manufactum, at in ipsum cœlum, ad thronum majestatis Divinæ *Hebr.* 1: 3. & 8: 1. Egregiè Paulus, magnus ille veterum mysteriorum interpres, universam hanc rem

II. Respectu etiam Sacerdotii. *Jesus a* Ad Deum apdropinquavit *omni respectu. b. Et* cum corde suo spopondit

rem cenſecit *Hebr.* 9:9,11,12. præſertim *verſ.* 24.26. *Non enim in manufactum Sanctuarium ingreſſus eſt Jeſus, ſed in ipſum cœlum, ut appareat coram facie Dei pro nobis* &c. *Miniſter veri Tabernaculi, quod fecit ipſe Deus, & non homo*: *Cap* 8: 2. conf. & *Cap.* 7: 25. Qui idem porro oſtendit ita in cœlis eſſe Chriſtum, ut ſi etiamnum *in terra foret, ne ſacerdos quidem eſſet*, manentibus ibi ſacerdotibus Aäronidis, quorum erat juxta Legem dona offerre, & cum quibus nullam habet communionem Jeſus prope ad Deum accedens *Cap.* 8: 4. Qui inde etiam vocatur *Pontifex Maximus, qui tranſivit cœlos*, *Cap.* 4: 14. ubi *advocatus eſt penes Patrem* 1 *Joan.* 2: 1. coll. *Rom.* 8: 34. Jeſus etiam 2. Sacerdotio *excellentiſſimo* functus eſt, namque (a) *Pro*, & *cum corde ſuo ſpopondit, ut accederet ad Deum.* Inde non modò *Sponſor* dicitur *Hebr.* 7: 22. ſed etiam *æterno ſpiritu ſe obtulit Deo Hebr.* 9: 14. *Animam dedit redemtionis pretium Matth.* 23: 28. Immo *corpus & animam obtulit Patri victimam boni odoris*: *Epheſ.* 5: 2. coll. *Gen.* 8: 21. i. e. in qua acquievit Deus. Quare *ſui ipſius victimâ peccata* quoque *abolevit*, *Hebr.* 9: 28. Quod ut facere valeret, *adaptavit ei Pater corpus*; ita ut cum tali ſponſione cordis ſui ad Deum accedens omnia illa peregerit, quæ de Meſſia recitantur *Pſalm.* 40:7–9. & diſertè Chriſto applicantur *Hebr.* 10: 1–18.

Et ſolus Jeſus ea fecit. In quo quadruplex Jeſu præcellentia oſtenditur: & ex his omnibus concluſio fit ad ſcopum, quod ille ſolus ſit uni cum Eccleſiæ fundamentum.

XLVI. (2.) Tandem & in Jeſum noſtrum id quadrat, quod diximus de interrogatione illa; *Quis enim* &c. indicari ſcilicet, *ſolum* Jeſum eſſe, qui cum *ſponſione cordis* ſui *acceſſerit ad Deum*, & quidem in oppoſitione omnium Aaronidarum. Etenim α. Illi *ad Deum accedere* non poterant peccatores; verùm Jeſus omnis peccati exſors eſt: 2 *Cor.* 5: 21. 1 *Petr.* 2: 22. In primis hanc rem pluribus docuit, oſtenditque antitheſin Paulus *Hebr.* 7: 26–28. β. Illi *ſpondere* non poterant, qui ſui non erant juris: id potuit Jeſus, qui inde *Sponſor* audit *Hebr.* 7: 22. γ. Non poterant illi ſpondere *pro*, & *cum corde ſuo*, ſicque *accedere*: id Jeſus præſtitit, quia fuit Dei *filius*, qui fiduciam ſimul habuit & auctoritatem: cui iſtud proinde jus fuit tam abſoluta cum libertate ac poteſtate dicendi Deo *Joan.* 17: 24. *Volo, ut ibi ego ſum, & ſint illi, quos*

quos mihi dediſti. Quod vi ſponſionis præſtitæ non rogat precaturve a Deo; at petit poſtulatque, & ſummo quidem jure: prout Meſſiam ita locuturum videmus ex *Job.* 33: 24. *d.* Denique, cùm in Aaronico ordine demortuorum loco alii continuo ſubſtituerentur; Jeſus noſter unus eſt, & manet ſine ſucceſſore ſacerdos, & vivens in æternum ſacerdotium habet ἀπαράβατον, quod ab uno in alium non tranſit, *unde & perfecte ſervare omnes eos poteſt, qui per ipſum ad Deum accedunt, ſemper vivens ut intercedat pro eis Hebr.* 7: 22-25. Quæ Sacerdotii Jeſu excellentia præcipuum argumentum eſt *Epiſtolæ ad Hebræos.* Jeſus ergo & hic iterum invenitur eſſe ECCLESIÆ FUNDAMENTUM UNICUM AC PERPETUUM.

DISSERTATIO VII.

AD ZACH. 6: 12 & 13.

Qua agitur

DE

VIRO GERMINE UNA REGE ET SACERDOTE IN THRONO.

BREVIARIUM.

I. *Introductio & ſcopus Auctoris.* II. *Methodus pertractandi, nunc non* deliberativa, *ſed* demonſtrativa. III. *Connexio rerum apud Prophetam: ubi de* coronis conficiendis *non indiligenter agitur, reſpectu tam materiæ, quàm numeri, probabiliter binarii.* IV. *Significabant illæ* munus Regium & Sacerdotale, *geſtanda ſimul, non a* Joſua, *ſed ab alio, cujus itaque deſcriptio a Zacharia additur.* V. *Diſtinctius inquiritur in ſignificationem* auri & argenti. VI. *Ritus* imponendi *eas coronas capiti Joſuæ explicatur a Zacharia his verſibus.* VII. *In quibus obſervanda quatuor.* VIII. 1. *SUBIECTUM deſcriptum a* natura & origine, Vir Germen. *Ubi oſtenditur quis ille. Non* Joſua, *ut Chriſtiani quidam cum Euſebio, ne quidem ſenſu literali.* IX. *Non etiam* Zerubbabel, *uti vulgò Judæi, & quidam ex Chriſtianis, ne ſenſu quidem etiam literali, ut Cyrillus, Pellicanus, Eſtius, Grotius, qui refutantur.* X. *Maxime ob Prædicata hic de* Viro Germine *appoſita.* XI. *Sed unicè* Meſſias:

uti

uti probatur α. Ex veteribus Judæis, Chaldæo & aliis. XII. *β. Ex ipsis hic obviis præditatis. γ. Ex ipso emblemate Josuæ coronati.* XIII. *Oraculum ergo hoc verè est nomine* Zachariæ *dignum.* XIV. *Et nostra attentione, quam excitat τὸ* הִנֵּה ! XV. *Ubi describitur Messias ille respectu A.* Naturæ *suæ* Vir, *ob naturam suam humanam robore eximiam, & omnibus hominibus majorem.* XVI. *b. Ut* Germen, *ob originem suam de terra, in qua & excrescentia ejus, & exaltatio continetur.* XVII. *Sapientissimo autem scopo usurpatur a Zacharia hic antiquissimum hoc Messiæ epitheton potius quam aliud.* XVIII. *B.* Ortus: Germinabit desubter se. *Sive, ut alii vertunt,* ex loco suo, *sive jam terrestri; sive, ut alii, cœlesti.* XIX. *Sive, ut alii,* a se ipso; *aut,* ex sub se, *aut* desubter se, *id est, propria sua virtute.* XX. *Cujus phraseos significatio traditur, &* Germinationis *simul latitudo, non tantùm respectu* nativitatis hujus Messiæ, *sed & forsan respectu* munerum ejus, *& respectu* prædicationis Euangelicæ per mundum. XXI. *Judæorum consensus.* XXII. *C.* Operis: Ædificabit Templum Domini, & ille ædificabit Templum Domini. *Ubi* 1. *Inquirenda ratio repetitionis hujus, quæ non est, ut Judæi volunt, a. Ædificatio Templi secundi per Zerubbabelem, aut tertii per Messiam, quod regno Messiæ non convenit.* XXIII. *Quod ipse ostendit per miraculosum impedimentum ædificationis Templi tertii tempore Imperat. Juliani, ex Christianis.* XXIV. *Ex ipso Ammiano Marcellino, immo & Judæorum Tzemach David; ubi excursus contra hodiernos profanos.* XXV. *b. Non etiam major prædictionis assertio & certitudo. c. Sed significatio distinctæ* ædificationis Templi *duplicis;* 1. *Non tamen Templi Vet. T. de quo dicatur;* Et ædificavit; *& Novi T. de quo dicatur;* Et ædificabit. XXVI. *Quia id, etsi non veritati rei, Hebraico tamen textui repugnat.* XXVII. *Sed* 2. Templi *spiritualiter sic dicti.* XXVIII. *At non quærendi in* cœlo *&* terra; *verùm in sola potissimum terra, in unius Messiæ corpore duplici.* 1. Naturali, *sive* humano. XXIX. *Quod per partes ostenditur esse* Templum JEHOVÆ Patris *efficientis, & inhabitantis, ab ipso tamen Messia ædificatum in nativitate &*

reſurrectione. XXX. *Et defenditur contra duas objectiones.* XXXI. 11. Myſtico, *ſive* Eccleſia Chriſtiana, *de qua etiam oſtenditur per partes, quod illa vocetur* Templum, & JEHOVÆ, Domini *quidem, ſive Dei Patris decernentis efficientiſque, dum tamen ea ædificanda ſit a Meſſia.* XXXII. *Et quidem ſub Novo Teſt. & per gradus lentos ex Marckio, & Altingio illud eleganter obſervante ex ipſo* יבנה / XXXIII. *Quare & emphatice additur*; ILLE ædificabit, *titulo grandi & divino.* XXXIV. *D.* Gloriæ: Et ipſe portabit gloriam. הוד *ſignificat* majeſtatem regiam, *quæ Meſſiæ competit, ut* Deo, *immo ut* Regi. XXXV. *Sed etiam ceu* Sacerdoti *maximo.* XXXVI. *Quam* accipiet *juſto titulo, aut* portabit הוא / ILLE *ſolus, non negliget, aut abjiciet.* XXXVII. *Et quidem* portabit eam gloriam *poſt* ædificatum JEHOVÆ Templum, *cùm* corporis *ſui, tum* Eccleſiæ. XXXVIII. *E.* Munerum *in ſpecie:* Et ſedebit, & dominabitur in throno ſuo, & ſacerdos erit in throno ſuo. *Phraſis ea non ſic explicanda cum Druſio:* ſedens dominabitur, *ſed diſtincte cum emphaſi. A. In genere, de ſtatu Meſſiæ:* & conſidebit, *ſive ſedem capiet glorioſam* in throno. *Et tunc B. in ſpecie, de actionibus ejus in eo ſtatu:* Dominabitur & Sacerdos erit. XXXIX. *A. Status*; Et ſedebit, *nempe* in throno. *Cujus oſtenditur* 1. *Natura, eſſe ſcilicet ſellam majeſtatis.* 2. *Locus*; *non in ſanctuario, ſed cœlo.* XL. 3. *Dominus*; *Thronus* EJUS: *id eſt, vel Dei* Patris, *uti de Dieu, Coccejus &c. vel ipſius Meſſiæ, cui thronum tribuunt Judæi, & ipſe Spiritus S.* XLI. *Quarum explicationum prior præfertur poſteriori ob rationes quatuor. Ita ut* 4. *Confeſſor in eodem* throno JEHOVÆ *ſit Meſſias.* XLII. *Nam* ſedebit *ibi triplici ſenſu, ut conſtitutus* 1. *In dignitate regia.* 2. *In quiete & regia & ſacerdotali.* 3. *In plena ſecuritate & conſtantia tam regni, quàm ſacerdotii.* XLIII. *B. Actiones, ſive functiones munerum in eo ſtatu.* 1. Dominabitur *ibi, ut Rex in regno cœlorum.* XLIV. 2. Sacerdos erit *ibi.* כהן Sacerdotem *notat: at non alium quam* virum Germen. *Uti Judæi hoc referunt vel, ad Jehoſuam Pontificem; vel, ad alium ſacerdotem tempore Meſſiæ exſtitu-*

ſtiturum: nec non & Cyrillus deceptus verſione τῶν LXX. XLV. Sacerdos *hic idem eſſe Meſſias demonſtratur per quinque argumenta, unà cum teſtimonio Judæorum antiquorum.* XLVI. *Dicitur autem*, Et dominabitur, & ſacerdos erit, *quia* dominium *&* ſacerdotium *in Meſſia combinanda erant. Ubi quæritur, cur* dominium *præmittatur* ſacerdotio? XLVII. Sacerdos *autem non minus* erit ſuper throno ejus, *quàm* dominator ſuper throno ejus. *Nec minus tanquam ſacerdos* 1. Sedebit *ibi, quàm tanquam* Dominator. *Quod magnum Meſſiæ ſacerdotis præ omnibus ſacerdotibus Aaronicis privilegium eſt; uti ex S. Script. & Judæis oſtenditur eos* ſtantes *miniſtraſſe.* Stationis *illius ſacerdotalis cauſa erat non tam reverentia Numinis, quam imperfectio functionis ipſorum nunquam omittendæ, ſed identidem repetendæ.* XLVIII. 2. *Tanquam* Sacerdos *etiam* decorem geſtabit in perpetuum, *quo alterum Meſſiæ privilegium ſupra Aaronicos ſignatur.* 3. *Tanquam Sacerdos ſedebit* ſemper *coram Deo, immo* in throno ejus. *Quod non licebat Aaronicis ne in templo quidem terreſtri.* XLIX. *Duplici difficultati occurritur: & ad duo alia, de combinatione* regni *&* Sacerdotii *in uno Meſſia; nec non de incipiendo* regno & ſacerdotio *demum ſub Novo Teſt. quibus tamen Meſſias jam ſub Vet. T. functus dicitur, diſcenda ablegatur Lector ad Librum de* Melchizedeco. L. III. FUNDAMENTUM *horum omnium* prædicatorum *aſſignandum:* Et conſilium pacis erit inter ambos illos. 1. Ambo illi *non ſunt duo populi, ſive Judæi & Gentes; ſive Iſraël & Juda; ſive Judæi in Babylonia & Canaäne.* LI. *Quod diſtinctè oſtenditur.* LII. *Non etiam duo homines Serubbabel & Jehoſua.* LIII. *Non etiam Meſſias, & Sacerdos ille tempore Meſſiæ exſtiturus.* LIV. *Non denique inter duo munera regni & ſacerdotii.* LV. *Sed* ambo illi *ſunt* JEHOVA, *&* Vir germen. LVI. II. Conſilium inter ambos hos. *Cujus explicatur* 1. *Natura, quale ſit in genere.* LVII. *Quod illud ſit in ſpecie* conſilium pacis. LVIII. Pacis *nempe inter Deum & peccatorem, ſive Meſſiam peccatoris ſponſorem.* LIX. *Quod ex comparatione aliorum locorum S. Script. latius exponitur.* LX. *Imma & ex reliquiis Judaicæ*

Theologiæ notabilibus confirmatur, ex libro Peſikta, & Bereſchith Rabba. LXI. 2. *Conſilii ejuſdem tempus. Ubi non vertendus textus in præterito:* Quoniam conſilium pacis fuit inter ambos: LXII. *Sed*, Erit inter ambos: *ſcil. poſt Meſſiam, in futuro.* LXIII. *Quæritur, an ergo* conſilium hoc *differat a* conſilio Dei *ante jacta mundi fundamenta conſtituto? Reſp. Minime. Sed dicitur* ERIT, *quando manifeſtabitur, & exſecutioni mandabitur.* LXIV. *Quæ explicatio & ERIT diligenter ex aliis S. Script. locis oſtenditur bene cum uſu phraſeologiæ convenire.* LXV. *Quæritur porro, an ab hoc conſilio pacis inter Patrem & Filium excludatur Spiritus S.* LXVI. IV. FIRMITAS *promiſſionis tantæ oſtendenda ex addito auctore:* Sic ait JEHOVA Zebaoth: *qui Dei titulus etiam apud Ethnicos celebris fuit.* LXVII. *Et pro varia notione* τὸ צְבָא *ſignificat, vel* Deum exercituum; *qui varii ſunt, ut Angeli, aſtra, elementa, fideles, Diaboli ipſi: denique & multitudo Ethnicorum ad Chriſtum converſorum.* XLVIII. *Vel* Deum temporum definitorum. LXIX. *Quæritur an* JEHOVA ZEBAOTH *verti poſſit per modum appoſitionis*, Dominus, qui ipſe eſt exercitus; *vel* qui ipſe eſt tempora definita? *uti aliàs dicitur* locus, habitaculum, rupes? LXX. *Quem in finem diſquiritur an* Zebaoth *non ſit nomen proprium, ut Origenes, Hieronymus, Reuchlinus, Altingius, voluerunt, & non appellativum? Rationes affirmantes.* LXXI. *Rationes negantes.* LXXII. *Oſtenditur in utraque notione* τῶ צְבָא *titulum* JEHOVA Zebaoth *valide confirmare hoc oraculum, ſive enim* Dominus exercituum, *ſive* Dominus temporis definiti *id eloquatur, verè debebit impleri.* LXXIII. V. IMPLEMENTUM *oraculi in Jeſu Nazareno. Ubi oſtenditur in genere oraculum hoc jam dudum eſſe impletum: adeoque* 1. *Jeſum eſſe Subjectum.* LXXIV. 11. *Oſtenditur in ſpecie ex prædicatis per partes, quod Jeſus fuerit, & dictus fuerit reſpectu Naturæ a.* אִישׁ Vir. *Non in dicto illo Pilati, ut jejunè Grotius; ſed alibi in Novo Teſt. & apud ipſum Joſephum, ubi dicitur* ἄνθρωπος, ἀνὴρ, υἱὸς ἀνθρώπου *&c. Sic etiam juxta luſionem Cabballiſticam.* LXXV. *b. Reſpectu Originis, Jeſus*

fuit

fuit Germen, & germinavit ex loco ſuo *juxta naturam divinam, & juxta naturam humanam. Et* deſubter ſe Germinavit *reſpectu nativitatis ſuæ, & munerum, & prædicationis Euangelii per mundum* LXXVI. *c. Reſpectu Operis*, ædificavit templum Domini, *& ſuam humanitatem formando, reſuſcitando, & Eccleſiam erigendo.* LXXVII. *d. Reſpectu Gloriæ in genere*, majeſtatem accepit & portavit, *ut Rex, ut Deus, ut Sacerdos. Idque ſolus Jeſus facit, ut ille* IPSE: *& non niſi poſt ædificatum* JEHOVÆ *Templum* LXXVIII. *In ſpecie etiam* ſedit & dominatus eſt in throno. LXXIX. *Et* Sacerdos in throno. LXXX. III. *Oſtenditur fundamentum horum omnium fuiſſe conſilium gratiæ, quod fuit inter Deum Patrem & Jeſum noſtrum.* LXXXI. *Objectiones Judæorum.* LXXXII. *Promiſſiones divinæ non ſuſpenduntur a conditionibus.* LXXXIII. *Quod ex ipſis Judæorum traditionibus firmatur.* LXXXIV. *Operis concluſio.*

I.

Introductio & ſcopus Auctoris.

Duabus præcedentibus Diſſertationibus Meſſiam exhibuimus tanquam REGEM ex *Jer.* 23: 5 & 6. mox tanquam REGEM SACERDOTALEM, ex *Jer.* 30: 21. Lubet eundem nunc repræſentare SACERDOTEM REGIUM, vi pacti, quod vocatur CONSILIUM PACIS inter ipſum & JEHOVAM. Id verò eleganter depingit Zacharias Vates *Cap.* 6: 12. & 13. כה אמר יהוה צבאות לאמר הנה / איש צמח שמו ומתחתיו יצמח ובנה את היכל יהוה; והוא יבנה את היכל יהוה והוא ישא הוד וישב ומשל על כסאו והיה כהן על כסאו ועצת שלום תהיה בין שניהם / Quæ de verbo ad verbum ita interpretatur Xant. Pagninus & Ar. Montanus: *Sic dixit Dominus exercituum, dicendo: Ecce, Vir Germen nomen ejus, & ſubter eum germinabit, & ædificabit Templum Domini. Et ipſe exſtruet Templum Domini, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ejus: & erit Sacerdos ſuper ſolio ejus, &*

con-

consilium pacis erit inter ambos ipsos. Non multum equidem novi habeo, quô notabile hoc Oraculum illustrem, in primis post Eruditissimorum Virorum Dan. Crameri, Jac. Altingii, speciatim quoque Clar. Collegæ Joan. Marckii Dissertationes in *h. l.* elucubratissimas. Hanc tamen Dissertationem parare gestio, partim, ut ita scopo meo inserviam, qui est Messiam tanquam SACERDOTEM in throno REGIO delineare: partim, ut ea, quæ sparsim hic illic ab aliis probè adornata sunt in unum colligam, eaque ordine haud inconcinno disposita compendio exhibeam, atque unà meis etiam hic illis observationibus locupleter.

Methodus pertractandi, nunc non deliberativa, *sed* demonstrativa.

II. Quod ut faciam, alium nunc, quam in duabus proximè præcedentibus dissertationibus, viam insistere placet. Tunc mihi arridebat methodus *Deliberativa*, quam vocant; quâ primùm explicantur *Verba*, resque sub verbis contentæ: deinde verò per modum deliberationis indagatur *Subjectum*, cui isthæc cuncta prædicata applicari possint ac debeant. Quæ quidem methodus majorem in Scholis, & in Disputationibus contra adversarios, utilitatem habere videtur. Fert verò animus impræsens adhibere methodum, ut vocant, *Demonstrativam*, seu *Confirmativam*, quæ simplicior vulgò, & uniuscujusque captui magis accommodata habita fuit, adeoque etiam pro concione dicenti aptior a nonnullis existimata: ubi prius in *Subjectum* inquiritur accuratius, demonstraturque ex variis rationibus, quale istud demum sit; ut eo invento confirmatoque facilius explicentur, ac ipsi subjecto applicentur prædicata, quæ talia tum sunt, qualia ea esse a subjecto permittuntur. Atque hac methodo ἀποδείξεως, seu *Demonstrationis* plerumque usi fuere Apostoli, præsertim in suis ad populum sermonibus. Ita tamen ut nonnunquam methodum quoque *Deliberativam* adhibuisse videri possint: uti videas in concionibus Petri ac Pauli *Act.* 2:29. *seqq.* & *Cap.* 13:35. *seqq.* ubi ex *Psal.* 16. ratiocinantes probant ea, quæ ibi prædicantur, nequaquam Davidi, sed soli Messiæ esse applicanda. Simili modo inquirit etiam Paulus *Hebr.* 3 & 4. in sensum *Ps.* 95. de quibus, & quo tempore agat. Et utraque hæc methodus nullam ipsi

rei,

rei, quæ eòdem redit, ſed ordini ſolummodo tractationis varietatem quandam afferens, magno cum fructu ac utilitate cùm in ſcribendo, tum in docendo, uſurpari poteſt, habita illinc loci pertractandi, hinc verò auditorum ratione ſedula. Nec enim omnia loca æque *methodo deliberativæ* apta ſunt, neque omnes auditores ejuſdem æquè ſunt capaces, quæ res judicio dicentis relinquenda eſt. Nunc mihi poſteriorem eligere viſum; non quod hic locus minus aptus ſit ad *deliberativam* methodum; eſt quippe unus ex aptiſſimis: ſed ut Juvenes noſtri in loco duobus præcedentibus valde ſimili, ὑποτύπωσιν etiam, ſeu exemplar habeant methodi Demonſtrativæ, per quam, ſi ita lubet, Divina oracula haud minus explicari queant, quàm per priorem.

III Exordiamur ab ipſa rerum *connexione*, & Oraculi hujus inveniamus *occaſionem* & *ſcopum*. Prophetavit Vates noſter Zacharias non diu poſt Haggæum, Iſraële jam liberato ex captivitate Babylonica, & in priſtinas patriæ ſedes reſtituto: & eo quidem tempore, quando jam populi reducis occupatos tenebat animos Templi, nec non devaſtatarum ſuarum ædium reædificatio, ſub auſpiciis Zerubbabelis Ducis, & Jehoſuæ Sacerdotis Sumini. Etiamſi verò in Cyri Regis rerum jam potiti, edicto omnibus Judæis, citra ullam exceptionem, patriam repetendi facultas fuiſſet conceſſa, nihilominus eorum multi haud reverſi ſunt, in regionibus iſtis permanentes, quod cenſerent ſecurius ſe Babylone, quàm in patria avita habitare poſſe ob circumjacentium gentium terrorem; ſive quod durante captivitate domos ibi exſtruxiſſent, quales, uti & alia ad vitam neceſſaria, non videbantur initio in Canaäne tam feliciter habere poſſe, cùm hic rebus admodum proſperis fruerentur, conditis etiam in ipſa captivitate ſcholis נהרדעה/*Nehardiæ*, ad fluvium Euphratis ſitæ. Ibi enim erat, juxta traditionem R. Moſis Mikkotz in *Præfat.* Libri de *Præceptis*, *Collegium Sapientum*, אשר למדו מפי הנביאים המוגלים: *qui didicerant ex ore Prophetarum, in exilium abductorum.* Uti & in Codice *Sanhedrim Cap.* 1. varii Doctores recenſentur, qui variis in locis in Babylonia docuerint.

Connexio rerum apud Prophetam: ubi de coronis conficiendis non indiligenter agitur, reſpectu tum materiæ, quàm numeri, probabiliter binarii.

erint. Quæ tamen, utrum vera ſint, ratio dubitandi juſta eſſe queat, quia inter *Lamentationes* Eccleſiæ Iſraëliticæ, a Propheta Jeremia recenſitæ, & hæc reperitur querela *Cap.* 2: 9. *Non eſſe Legem, & Prophetas ipſos nullam a Deo habere viſionem.* Quid ergo ſcholas erexiſſent illi in terra inimica durante captivitate? Poſt edictum verò Cyri captivitatem ſolventis magis rebus ſecundis, etiam in religionis negotio, ſine dubio gaviſi ſunt Judæi, qui in tractibus iſtis perſiſtere malebant, quàm in patriam reverti. His forſan tunc licuit Scholas condere. Certè id ipſis licuit, ut Deum etiam Iſraëlis colerent, prout ibi temporum & locorum opportunitas iis permittebat: atque interea omnes fidei unitatem obſervarent cum fratribus Iſraëliticis in Palæſtinam reverſis. In cujus unionis ſignum accipit in mandatis Propheta noſter, ut *à deportatis*, id eſt, qui vel ipſi, vel in ſuis parentibus deportati fuerant, & vel ipſi nunc Babylone venerant, vel iſtic loci adhuc hærentes (nam de ambobus intelligunt Abarbanel, Coccejus, aliique, quemadmodum & vox גולה de univerſo etiam populo Hieroſolymam reverſo adhibetur, ob recentem deportationis memoriam *Ezr.* 10: 8. quò & facere videtur duplicata verbi לקח repetitio *verſ.* 9, 10, 11) ſuos legatos inde nunc miſerant, qui nunc erant in domo Joſiæ filii Tzephanjæ, &, uti videtur, cum auri argentique donis exulum quoque nomine offerendis Templo; *ut ab his*, inquam, *deportatis accipiat* Propheta *argentum & aurum, & exinde faciat coronas*, vel ipſe, vel potius ad ejus curam per artis hujus peritum, quia hic non additur אתה / *tu*, quod tamen diſerte offendimus, quando jubetur intrare in domum Joſiæ, *vers.* 9. *eaſque imponat capiti Jehoſchuæ filii Jehotzadaci, Sacerdotis maximi.* Non expreſſe indicatur coronarum numerus, unane fuerit, ex auri & argenti materia mixta, ubi vel aurum effulgeat præ argento, vel argentum auro obducatur? an verò duæ pluresve? Complures fuiſſe vult illuſtr. Grotius, quamvis cenſeat unam modò capiti Joſuæ impoſitam. Quod ultimum etiam judicat Camp. Vitringa *Obſerv. Sacr. L.* 1. *C.* 10. *p.m.* 126. *Quia uni Sacerdoti corona tantum convenit una*: quamvis exiſtimet

ſtimet plures factas. Quò etiam faceret quod *coronæ* plures in Templi ſecundi pronao ſuſpenſæ fuerint, poſtea ab Antiocho in Syriam delatæ, uti patet ex 1 *Macch.* 1:23. ſi modò conſtaret nobis illas coronas fuiſſe eaſdem has apud Zachariam memoratas; quod nonnulli quidem volunt, dum tamen alii alias fuiſſe putant ſimiles illis, quibus Chaſmonæi Templum adornaſſe leguntur 1 *Mach.* 4:57. De qua lite non eſt ut hic agamus. Nonnulli autem, inter quos alibi Lutherus, palam faſſi ſunt ſe id ignorare: etſi idem ille potius inclinet in eam opinionem duas exſtitiſſe: quæ etiam ſententia nobis cum Belgis noſtris hactenus veriſimilior: & quam pluribus propugnavit Calovius *Bibl. Illuſt.* in *h.l.* eamque etiam amplexus eſt Jac. Altingius *Heptad.* III. *Diſſ.* 6. §. 29. cujus in *h.l.* Diſſertatio erudita omnino legi meretur. Rationes nobis principes hæ ſunt. a. Quia dicitur in plurali עטרות / *coronæ*. Moris quidem, fateor, Hebræis eſt, rem præſtantem ac decoram in plurali nonnunquam efferre; at non facilè à litera recedendum putem niſi cogente neceſſitate. Neque magis nos movet Chaldæus Interpres, penes quem eſt בליל רב / *corona magna*; uti & Syrus utitur numero ſingulari. His autem opponimus verſionem τῶν LXX, quæ legit στεφάνους, *coronas*. Et hanc verſionem retinuerunt Cyrillus Alexandrinus, & alii inter Patres, immo & Hieronymus Hebraice apprime callens. b. Diſtinctè *auri* & *argenti* fit mentio, ex quibus metallis duobus hæ conficiendæ coronæ. At verò non videtur hæc duo miſcuiſſe Propheta, ad unam modò ex iis coronam adornandam, quod neque præceptum Divinum determinabat, neque excogitari poterat, quod mixtioni tam inſolitæ neceſſitatem, aut occaſionem abſque præcepto Dei expreſſo præbuiſſet. c. Duæ coronæ diſtinctæ melius etiam indicant diſtincta duo munera, Regium ſcilicet ac Sacerdotale; quæ diſtinctio certè non adeo fuiſſet evidens, ſi vel coronarum numerus ad plures quàm duas auctus fuiſſet, vel materia duplex in unam duntaxat confuſa.

IV. Conſtat autem coronas non modò *Regii* muneris inter quaſvis gentes fuiſſe inſignia; verùm & *Pontificalis* officii in

Significabant illæ munus Regium &

Sacerdotale, geſtanda ſimul, non a Joſua, ſed ab alio, cujus itaque deſcriptio a Zacharia additur.

ipſo Iſraële. Novi quidem vocem hanc עטרה haud reperiri in ſpecie uſurpatam de Sacerdote ſummo *laminam* auream geſtante, quæ ציץ vocatur *Exod.* 28: 36. 38. & quæ צניף / ſeu מצנפת / *cidari*, ſeu *tiaræ* erat alligata, qualem in capite geſſit Joſua noſter. Conf. *Zach.* 3: 5. At verò & hæc vox צניף de regio ornatu quoque uſurpatur *Ezech.* 21: 26. *Eſai.* 62: 3. & convenit cum Græco διάδημα: quod uti de regiis coronis uſurpatur, & a διαδεῖν, *circumvolvere*, *cingere* derivatur, eratque faſcia quædam candida, qua Regum caput circumligabatur; ita צניף & מצנפת / pro quibus Alexandrini habent κίδαριν, διάδημα, μίτραν, στέφανον, derivatur a צנף / quod eadem quoque *volvendi* & *circumligandi* venit ſignificatione. Immo & diſertè Sacerdoti ſummo, quatenus princeps erat in Iſraële, adſcribitur נזר / quæ vox *coronam* denotat *Exod.* 29: 6. 39: 30. *Levit.* 8: 9. 21: 12. uti eadem idcirco Regibus itidem tribuitur 2 *Sam.* 1: 10. 2 *Reg.* 11: 12. 2 *Chron.* 23: 11. *Pſalm.* 89: 40. 132: 18. Ea porro Sacerdotis *corona* ex auro quoque puriſſimo confici debebat *Exod.* 28: 36. Quocirca duæ coronæ diſtinctæ optimè diſtincta munera & *Regium* & *Sacerdotale*, de quibus *verſ.* 13. in viro *Germine* locum habitura, innuere potuiſſe videntur. Quæ eo quidem tempore, & modo extraordinario, imponendæ erant capiti Joſuæ, id eſt, vel ambæ ſimul cidari, quam ceu Sacerdos geſtabat, ſuperimponendæ, ut nonnullis placet; (quod mihi tamen nequaquam veroſimile eſt, cùm cidaris Sacerdotalis nullus plane eſſet extra Sanctuarium uſus:) vel potius nudo capiti applicandæ, altera ſucceſſive poſt alteram: eodem ferme modo, uti in viſione *Cap.* 3: 4 & 5. jubetur *capiti* hujus ejusdem Joſuæ *imponendam cidarim mundam.* Cùm autem corona præ primis Regni ſit inſigne ac emblema, quapropter ne fortè quiſpiam Judæorum reverſorum ex captivitate exiſtimaret, Joſuæ Sacerdoti, atque adeo ex Levitica tribu lato, Regni quoque jus competere, quod ad Judæ tribum pertinebat, hæc ratio fuit cur Zacharias Vates (cu-

(cujus erat has coronas Joſuæ capiti imponere, prout & Regum unctio Prophetis olim, nec non ipſius Aäronis in Sacerdotem inunctio *Exod.* 28: 41. Moſi olim demandata fuit) nomine Dei oſtendat, omnem hanc rem altioris eſſe indaginis pariter ac ſignificationis, Deumque velle per eam, ceu per repræſentamen aliquod typicum longè alia edocere, np. *Virum Germen* duas has revera geſturum coronas, ut ita ſimul foret & *Rex* & *Sacerdos* in throno, & ſplendidus quidem Rex, ac Sacerdos deſiderabilis, pretioſus, conſtans, ac immutabilis, quæ cuncta attributa auro & argento adumbrata dici poſſunt. Hæc verò diſtinctè & clarè admodum Joſuæ, & cum ipſo aliis, indicare jubetur Zacharias verbis iſtis: *Et dices ei: ita dicit Dominus exercituum; ecce, Vir Germen nomen ejus &c.*

V. Non deſunt tamen qui opinentur, quia in ornatu *Pontificali* nihil *argenti* prorſus offendimus, hic nihil idcirco adfigurari ad *Sacerdotium* ſpectans; adeoque his duabus coronis fuiſſe ſignificatum, in ſucceſſoribus noſtri Joſuæ cum ſacerdotio duplex ſucceſſive combinatum iri *Regnum*; alterum tenue admodum & exile; auguſtum verò & glorioſum plane alterum. *Prius* quidem in Joſuæ ſucceſſoribus carnalibus, qui Sacerdotes licet, Regiam tamen coronam unà cum Pontificali cidari impoſituri eſſent capiti, ut ſic ſimul eſſent Sacerdotes Regeſque; quemadmodum id deinceps obtinuit in Aſmonæis, ex Levitica tribu ortum ducentibus, quorum primus fuit Ariſtobulus. *Poſterius* autem in ejus ſucceſſore ſpirituali, ſive in magno illo Sacerdote, Joſuæ antitypo, id eſt, *viro Germine*. Exiſtimant itaque primum *regnum* per *argenteam*, ſecundum per *auream* repræſentatum fuiſſe coronam. At verò hæc hypotheſis videtur probari haud poſſe. Etenim, etiamſi conſtet nullum *argentum* obtinuiſſe in ornatu Pontificali, & id viciſſim conſtat, phraſi Scripturæ non ullam coronam argenteam inſigne Regni, etiamſi tenuiſſimi, unquam exſtitiſſe, ſed auream tantùm: 2 *Sam.* 12: 30. *Eſth.* 8: 15. *Pſ.* 21: 4. Ut adeo corona ea *argentea* non magis aptum *Regni*, quam *Sacerdotii* inſigne eſſe poſſit. Sic ergo difficul-

Diſtinctius inquiritur in ſignificationem auri & argenti.

ficultas ea ipſis non magis favet, quàm nobis. Sed & præterea difficultas ea nulla eſt. Probè enim notandum, hic extraordinarii quid occurrere, quod nequaquam cum iis, quæ cæteroquin vulgò obtinent, ex aſſe conferendum eſt. *Coronæ*, quæ cæteris olim Regibus, aut Pontificibus imponebantur, ſigna erant *unius* & ſingularis officii, quod ipſis dabatur, ſive regii, ſive ſacerdotalis. Meritò ergo illæ ex optimo metallorum auro conficiebantur. Hic verò Joſuæ ſignum imponi debebat duplicis diſtincti muneris. Quod quomodo aptius fieri potuit, quàm duplicem coronam ex optimo etiam, at duplici & diſtincto metallo adhibendo? Jam verò omnes circumſtantiæ docent cuncta hæc eum in finem inſtituta, ut aliquid adumbrent, quod obſervante Calvino noſtro, erat *prius incognitum*, *ſcil. quod idem futurus ſit Rex & Sacerdos*. Si quis roget, quodnam ergo munus per *argentum*, quodnam per *aurum* repræſentatum fuerit, an Sacerdotale, an Regium? Reſpondebo, ſi hac in parte quid conjecturare auſim, videri per argentum ſacerdotale, per aurum regium munus ſignificatum fuiſſe, quia argentum primo loco memoratur, aurum ſecundo: uti ſacerdotium Joſuæ jam impræſentiarum exſtabat, regnum verò, in Babele exſtinctum, nunc iterum exſurgeret, & ſacerdotio accederet. Quod verò olim in *Diſputatione* in *h. l.* Anno 1710. *edita* dixeram, *argentum* illud primo forſan loco poni, *aurum* ſecundo, ut ſignificetur, Sacerdotium Joſuæ, quod conjunctum aliquando haberet Regnum, nequaquam comparandum eſſe cum illo *Viri Germinis*, cujus munus Regium & Sacerdotale tanta dignitate, virtute, ac ſanctitate præcelleret iſtud Joſuæ, quantâ aurum argento, umbræque corpus præferri ſolet; id mihi nunc minus placet, quia *argentum* hic non ſignificat ſacerdotium typi, *aurum* verò ſacerdotium antitypi; ſed *argentum* & *aurum* ſignificant duo munera, *ſacerdotale* nempe & *regium*, ſimul eodemque tempore geſtanda a *Viro Germine*, aut uti forſan vellent quidam, etiam a Joſuæ hujuſce ſucceſſoribus. Unde ſequitur *argentum*, ſignificans, uti ſuppono, Sacerdotium Joſuæ, itidem

dem ſignificare ſacerdotium Viri Germinis; *aurum* verò ſignificare Regnum, ſacerdotio additum, ſive in ſucceſſoribus Joſuæ, ſive certè in Viro Germine. Adeo ut nulla oppoſitio inter ſacerdotium Joſuæ vilius, & ſacerdotium Viri Germinis melius, hic indicari poſſit: niſi quis mallet rem ita concipere, quod *corona argentea* ſignificaverit ſacerdotium, prout in Joſua tunc præſens erat; *aurea* autem regnum in Meſſia olim ſacerdotio acceſſurum, atque per illam combinationem ſacerdotio veteri novum ſplendorem additurum, & illud quaſi ex *argenteo* in aureum tranſmutaturum, quemadmodum *corona aurea*, in capite Joſuæ ſuperimpoſita *argenteæ*, hanc ipſam rubicundo ſplendore ſuo etiam illuminabat, & quaſi auream reddebat. Sed ſi hæc nimis ſubtilia fortè cuipiam videbuntur, fruatur ſuo judicio Lector, & meliora quærat.

Ritus imponendi eas coronas capiti Joſuæ explicatur à Zacharia his verſibus.

VI. Id verò extra omnem crediderim dubitationis aleam eſſe poſitum, hanc, quæ hic conſpicitur, actionem nullatenus fuiſſe luſum puerilem, vel inanem quandam geſticulationem, ut ſpectatorum ea oculis placere poſſit; immo, quod omnes ſuadent circumſtantiæ, ne quidem has coronas dari Jehoſuæ, ut ſibimet ipſi eas habeat, aut pro ornamento geſtet; utpote quæ ei pòſt adimuntur, & in perpetuam rei, cùm jam geſtæ, tum olim gerendæ, memoriam ſuſpenduntur ceu μνημόσυνον in Templo, *verſ.* 14. coronas ergo eas Joſuæ imponi tantùm, ut *Virum Germen* in his duobus muneribus adumbrarent. Hæc quoque cauſa eſt, cur expreſſe Propheta Joſuam edoceat, quid hæc ſibi vellet coronatio, *dicendo ipſi:* כה אמר יהוה צבאות לאמר הנה־איש צמח שמו וכו׳ *Sic ait JEHOVA exercituum, ecce, Vir cujus nomen Germen, &c. Ille ædificabit Templum Domini*, &c. *Ille portabit decus, & ſedebit, & dominabitur in throno*, tanquam Rex; *& erit Sacerdos in throno, & conſilium pacis erit inter illos duos.* q. d. Omne id, quod hic conſpiciendum datur, typicum modò eſt ac umbraticum, & ſuam demum veritatem habebit in *Viro Germine*, verè futuro *Rege* ac *Sacerdote in throno.* Atque adeo explicatione ea, ad actionem emblematicam addita, docetur id omne, quod hic verbo promittitur, & ſigno

gno tam illuſtri externo ſignificatur, tam certò eventurum, quàm iſtud auribus percipitur, & oculis coram conſpicitur, qui duo quidem ſenſus, & ita conjuncti, minus fallere ſolent. Qua ratione ita clarè, ita diſtinctè hæc cuncta deſcribit Zacharias Vates, ut jam impletum potius videatur Euangelium, quàm Prophetia. Quæ itidem ratio eſt cur nonnulli Veteres Zachariam noſtrum, æquè ac Eſaiam, *Prophetæ Euangelici*, immo & ipſius *Euangeliſtæ* titulo decoraverint.

In quibus obſervanda quinque.

VII. Atque ita nimis diu fortaſſe perſtitimus in veſtibulo. Rem ipſam aggrediamur. In cujus enarratione ſic verſabor, ut I. Inquiram in hujus Vaticinii *Subjectum*, quis nempe ille ſit VIR GERMEN, de quo tam magnifice agit Oraculum §. VIII–XVII. II. *Prædicata* explicabo, quæ varia hic dantur de ejus *natura*, *ortu*, *opere*, *majeſtate*, *muneribus*. §. XVIII–XLIX. III. *Fundamentum* horum omnium enarrabo, *Conſilium pacis inter ipſum* & JEHOVAM. §. L–LXV. IV. *Firmitatem* hujus magnifici Oraculi oſtendam ex titulo JEHOVA *Tzebaoth*, §. LXVI–LXXII. V. *Implementum* tandem exhibebo in Jeſu Nazareno, demtis Judæorum objectionibus §. LXXIII–LXXXIV.

I. SUBIECTUM deſcriptum a natura & origine, Vir Germen. Ubi oſtenditur quis ille. Non Joſua, *nec Chriſtiani quidam cum Euſebio, ne quidem ſenſu literali.*

VIII. Circa Oraculi *Subjectum* mirari ſubit nonnullos Chriſtianos, paria facientes cum quibuſdam Judæis recentioribus, hic vel Joſuam ſomniare, vel ipſum Zerubbabelem Joſuæ σύγχρονον, qui populi Iſraëlitici fuerunt è captivitate Duces, Eccleſiaſticus, ſeu Sacerdos ſummus alter, alter verò Politicus. Ad Joſuam inclinat Euſebius *Demonſtrat. Euangel. L.* 4. *C.* 17. p. m. 199. ubi poſt adducta Oraculi noſtri verba ſic habet: φέρεται δὲ ἐν ἐπιμελῶς, τίνα τρόπον νῦν μὲν πνευματικῶς ἐπὶ τῷ πάλαι γεγονότι Ἰησοῦ, τὴν εἰκόνα τοῦ ἀληθοῦς Φέροντός φησι τὸ, ἰδοὺ ἀνὴρ ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ &c. *Attende igitur diligenter, quemadmodum hic quidem ſpirituali quodam more de antiquo loquens Jeſu, qui imaginem veri ferebat, ſic dicat: Ecce Vir, oriens nomen ejus. Paululum vero progreſſus, quaſi de alio quid ſit oriens, ipſi illi, qui tunc aderat, Jeſu dixerit: audite nunc, ô Jeſu, Sacerdos magne,*

&

& tu, & proximi tui. Quoniam viri prodigiorum inſpectores ſunt: Ecce ego adduco ſervum meum, orientem. Si ergo ſermo erat de alio, qui venturus eſſet, ac verius quam ille, qui tunc aderat, oriens nominandus, certe imago venturi orientis ille erat: utpote, qui in imagine non ſolum Jeſus, ſed etiam oriens diceretur, ſiquidem tanquam ad ipſum præſentem, verba illa: Ecce Vir, oriens nomen ei, ad illum dicta ſunt. Merito igitur imaginis gratia, hic quoque Salvatoris noſtri appellatione dignus habitus eſt, nimirum quemadmodum etiam orientis. Nam ipſum Jeſu nomen in noſtram linguam converſum, ſalutare Dei ſignificat. Etenim Joſua, apud Hebræos ſalus. Filius autem Nave apud eoſdem Joſue nominatur. Joſue vero eſt, Jao ſalus, hoc eſt, Dei ſalutare. Nonnullis recentioribus eadem ſedet opinio, non negantibus quidem oraculum hocce myſtice ad Meſſiam ſpectare, ratis tamen ſenſum literalem ad Joſuam pertinere, quaſi ille duabus hiſce coronis, capiti ipſius impoſitis, creatus eſſet ſummus & Pontifex & Princeps: quemadmodum & poſtea anno poſt Hieroſolymæ excidium 486. ante Chriſti natalem Dionyſianum 104. duo illa munera per aliquem temporis tractum inter poſteros Joſuæ in una perſona combinata fuerunt, quorum primus fuit Ariſtobulus, qua ratione inter illa quoque munera dici poſſit exſtitiſſe *conſilium pacis*. Verùm hæc quidem ſpeciem habent, ſed ſpeciem tantùm. Etenim, tametſi haud negemus multam dignitatem habuiſſe Joſuam, nunquam tamen habuit regiam, cujus corona inſigne eſt. Poſteri verò ejus coronam cidari imponentes, fecerunt id ſponte ſua, non ex mandato divino. Neque etiam iſtud *pacis conſilium* inter *munera* iſthæc duo futurum prædicitur, ſed inter *Perſonas* ipſas hic diſtincte nuncupatas, prout pluribus docebitur infra. Immo jam ad finem §. IV. oſtendimus has coronas Joſuæ non impoſitas fuiſſe abſque addita admonitione, non propter *ipſum*, ſed ad *alium* denotandum id fieri, *Virum Germen* ſcilicet, id eſt, *Virum*, qui adhuc *Germinaturus* erat. Faceſcat itaque hæc explicatio, quæ placuit etiam vix Judæorum ulli.

Non etiam Zerubbabel, nisi vulgò Judæi, & quidam ex Christianis, ne sensu quidem etiam literali, ut Cyrillus, Pellicanus, Estius, Grotius, qui refutantur.

IX. Judæi verò deprehenduntur plures numero hic intelligere Zerubbabelem. Sic Dav. Kimchius certè & Salomo Jarchus, nec non Aben-Ezra, aliique. Sed modò adscribam verba Kimchii: *Ecce vir populi tui, qui erit caput Israël*, id est, *Zerubbabel, qui vocatur germen (incrementum) quia dignitas ejus erit sicut germen terræ, quod paulatim crescit, sic ejus dignitas paulatim adscendet, donec admodum crescat. Et sub eodem germinabit, id est, loco ejus ubi est, ex Hierosolymis, proveniet illi dignitas.* Inter Christianos veteres similiter sentit Theodoretus in *h. l.* Ταῦτα ἅπαντα περὶ τοῦ Ζοροβάβελ προαγορέυει, οὐχ ὡς μηδέπω τεχθέντος, ἀλλ' ὡς μηδέπω τὴν ἡγεμονίαν παρειληφότος: *Omnia hæc de Zorobabele prædicit, non quia non natus esset, sed quod nondum imperium nactus fuisset.* Et sic plures alios inter Veteres sensisse Serubbabelem hic signari, *qui ex humili atque captivo in Ducem populi Judaici repente consurgens ædificavit Templum*, testis est Hieronymus in *h. l.* Josuam verò & Zerubbabelem hic combinat Cyrillus Alexandrinus in *h. l.* Ὡς ἄμφω μὲν, Ἰησοῦς, καὶ Ζοροβάβελ ἐπὶ τὸν αὐτὸν καθεδοῦντας θρόνον, ὡς εἶναι κοινὸν τὸ τῆς βασιλείας καὶ τῷ μετὰ χεῖρας ἔχοντι τὴν ἱερωσύνην &c. *Ambos, Jesum, & Zorobabelem super eodem solio sessuros, ut commune sit regnum etiam sacerdotium procuranti; & dignitas sacerdotii etiam cum regnante communicetur: futurumque amborum unam pacificam, & consentientem voluntatem, ut in nullo prorsus discrepare videantur* &c. *Hæc facillima*, inquit, *& obvia est historiæ explicatio.* Addit tamen: Δῆλον δὲ ὅτι τὸ χρῆμα τὸ χεῖρας μυστήριον &c. *Certum est porro dubitaturum neminem, ad Christi mysterium rem spectare, si bene indagetur.* Inter recentiores Christianos quoque est Conr. Pellicanus, Estius, præ primis Illustr. Grotius, qui in *h. l.* Lectores revocat ad *Zach.* 3: 8. ubi ita scripsit: *Neque dubium est, quin mystico quodam modo hic locus ad Christum pacis æternæ auctorem pertineat, sed primum obviumque sensum si quærimus, agi hic de Zorobbabele evincet locus Cap.* 4: 10. *cum sequentibus, &* 6: 12. Ad quam sententiam adstruendam magnopere faceret, si, quod commentatur Hieron. Castrus, una duntaxat corona

Jo-

Joſuæ fuiſſet impoſita, altera verò Zerubbabeli reſervata. Quod ille ex eo arceſſit, quod non dicatur expreſſe: *Pones eas in capite Joſuæ*; ſed abſolute; *Pones in capite Joſuæ*. Quid verò *pones?* unam modò coronam, ait Caſtrus, alterâ Zerubbaleli reſervata. Sed attendenti facile fit liquidum, longè petitum argumentum id eſſe, dum Zerubbabelis in toto hoc negotio ne minima quidem mentio fiat. Immo contra expreſſe jubetur Zacharias adire non, *Zerubbabelem Ducem*, ſed, *Joſuam* tantùm *Pontificem*, hujuſque capiti imponere id, cujus mentio proximè præceſſerat, id eſt, coronas. Occurrit itaque unus modò coronatus Joſua. Quod porro ad iſtud Theodoreti attinet, ac ſi Oraculum ageret de Zerubbabele, *non tanquam nondum nato, ſed tanquam nondum imperium nacto*; uti & alii hanc phraſin, יצמח מתחתיו / exponunt *de dignitatis acquiſitione*, qua potiturus eſſet Zerubbabel; ſtatim ſanè ea cadit expoſitio, ubi conſideramus primò, verbum צמח nunquam tali ſenſu accipi, uti probe animadvertit Jac. Guſſetius ad hanc vocem in *Lexico* ſuo. Secundò verò hiſtoriæ etiam veritatem ea expoſitione everti: auctoritate quippe Regum Perſarum *Ducis dignitatem* jam Zerubbabel acquiſiverat, & ageretur tamen juxta Theodoretum hic de dignitate eadem in futurum adhuc obtinenda.

X. Si porro ſpectemus etiam *prædicata* hic occurrentia, nequaquam ea Zerubbabeli conveniunt. 1. Quippe de eodem hic agitur *Viro Germine*, vel ipſo Grotio judice, de quo antè *Cap.* 3: 8. ſermo factus fuerat ſub titulo *Germinis*, *ſervi Dei* κατ' ἐξοχὴν ſic dicti; *Faciam venire ſervum meum Germen*, ait ibi JEHOVA. Hic verò titulus Zerubbabeli in iſta emphaſi nequaquam competit; & nullibi etiam in hac Zachariæ prophetia Zerubbabeli datur. Cognomen *Germinis*, ſive *Surculi*, in ſtylo prophetico notiſſimum Meſſiæ eſt epitheton, *Eſai.* 11: 1. & alibi. Pariter titulus *ſervi Dei* Meſſiæ proprius eſt: *Pſalm.* 40: 9. *Eſai.* 42: 1. 49: 6. 53: 11. Ubi ergo illi duo tituli ſic combinantur, *Germen ille ſervus meus*, de alio quàm Meſſia ne cogitari quidem poteſt. Quod manifeſtius Lectori faciam, ubi exponam co-

Maxime ob Prædicata hic de Viro Germine apposita.

gnomen *Germinis*, & quidem *Germinis ex ſe ipſo*, vel *per ſe ipſum germinantis*, indicare fontem ſucci vivificantis alios, & id quidem ex propria ſufficientia. 2. Agitur hic de perſona olim demum futura & *germinatura*; atqui jam exſtabat hoc tempore Zerubbabel. Quod eò quidem magis ſtringit, quoniam *Cap.* 3: 8. de eodem hoc *Germine* dicit Deus, *Ego faciam eum venire*; tunc ergo ille nondum venerat: at Zerubbabel jam præſens aderat. 3. Docuit etiam experientia, eum haudquaquam *geſtaſſe decorem* iſtum, ut *ſederit in throno* JEHOVÆ, & quidem tanquam *Rex* pariter atque *Sacerdos*. 4. Quibus iſtud generale adjicere licet, cur, ſi noſtrum Oraculum Zerubbabelem indicare voluiſſet, potius Joſua Pontifex, quàm ipſe ille Zerubbabel coronetur? An igitur Pontifex coronatus externo ſigno, Ducis coronandi re ipſa per duplicem coronam ſignificatâ, erit umbra typuſve?

Sed unicè Meſſias: uti probatur α. Ex veteribus Judæis, Chaldæo & aliis.

XI. Nos ergo cum pleriſque longè Interpretibus credimus, Vaticinii noſtri *Subjectum* unicum eſſe *Meſſiam*, atque adeo quidem unicum, ut ne quidem illis accedamus, qui putant hæc dicta ad literam tamen ſpectare ad *Joſuam* & *Zerubbabelem*, tanquam typos quaſi Meſſiæ, per ipſos in hac coronatione repræſentati. Quamvis fortè concedi poſſet haſce phraſes ad illorum ſtatum & munera, aut opera, quæ tunc moliebantur, uti ex. gr. ædificationem Templi, ex obliquo alludere. Illud autem ita credimus. α. Quia Chaldæus Paraphraſtes Jonathan noſtra verba ſic reddidit: *Ecce Vir, Meſſiam nomen ejus, futurum eſt ut revelet ſe* &c. Cum quo conſentit gloſſa R. Salomonis Jarchi; quamvis illam expoſitionem ipſe deſerat, & de Zerubbabele locum accipiat, eo etiam nomine ab Abarbanele meritò refutatus. Inſigne eſt quod legitur in Echa Rabati ſuper illud *Thren.* 1: 16. *Quia elongatus eſt a me conſolator, reducens animam meam.* Hac occaſione quæritur: *Quod eſt nomen Regis Meſſiæ? Dixit R. Abba:* JEHOVA *eſt nomen ejus; quia dicitur Jerem.* 23: 6. *& hoc nomen ejus quo vocabunt eum, Dominus juſtitia noſtra. R. Joſua Ben Levi dixit: Germen* (צמח) *eſt nomen*

men ejus, ſicut dictum eſt Zach. 6: 12. (& tunc recitantur noſtri loci verba) *Ecce Vir Germen nomen ejus.* Sunt & alia ab aliis producta, & a nobis etiam ipſis *Diſſertat.* ad *Jerem.* 23: 5 & 6. §. XXXVIII. Tam autem vetus, tam conſtans etiam Judæorum expoſitio contemnenda non eſt, quia oſtendit nobis Majores ipſorum, Jonathane etiam priores, & appropinquantes ad tempus, quô vaticinatus eſt Zacharias, illam expoſitionem tanquam ex communi confeſſione Eccleſiæ habuiſſe; quæ quò antiquior, eò purior fuit. Non addo conſenſum ferme univerſalem omnium Chriſtianorum, tam veterum, quam recentiorum. Quæ hic repetere ſupervacaneum plane.

XII. β. Ne verò auctoritatibus pugnare videamur, nos ergo convertimus ad phraſes & prædicata hoc oraculo contenta, quæ omnia talia ſunt, ut Meſſiam, eumque ſolum, depingant. Præcipuè, ubi earum collatio inſtituitur cum Scriptura reliqua. Tunc enim fiet manifeſtum, nihil horum eſſe, quæ hic prædicantur de *Viro Germine*, *ædificaturo Templum Domini*, *portaturo decus*, *ſeſſuro in throno tanquam Rege & Sacerdote ſimul* &c. quæ non & alibi longè antea fuerint de Meſſia, & nullo alio prædicta a Vatibus; quemadmodum in ſequentibus ex ipſa rerum explanatione patebit. γ. Eòdem nos ducit imago *Joſuæ coronati.* Verba quippe Oraculi exponentis myſterium emblematicæ iſtius coronationis, ſine dubio loquuntur de ſubjecto, cujus ut coronatio per coronationem Joſuæ, ſic perſona per perſonam Joſuæ, in circumſtantiis ſuis conſiderati, repræſentabatur. Qualis verò ea perſona fuerit dubitari nequit, comparatione tantùm inſtituta. *Nemo* enim *clarius in Joſua depingebatur*, utor verbis Clar. Marckii noſtri *Diſput. Sel.* in *h. l.* §. XVI. *quam Vir Meſſias, conſpicuus eodem munere, diademate, opere, nomine, ut illum intuiti hunc ſimul videre poſſent.* Atque eum quoque in modum Dan. Cramerus *Schol. Prophet. Claſſ.* 3. *Explic.* 3. in *h. l.* ubi multa huc ſpectantia præmiſerat, ſic tandem concludit: *Unde Spiritus S. extenſo indice tum rei, tum nominis oſtendit, quemnam hic per coronatum Joſuam velit intelligi, illum videlicet, qui Joſua, ſeu* JESUS *futurus ſit totius*

β. Ex ipſis hic obviis prædicatis.
γ. Ex ipſo emblemate Joſuæ coronati.

generis humani. Quæ omnia ipſa pertractatio noſtra clariora faciet.

Oraculum ergo hoc vere eſt nomine Zachariæ dignum.

XIII. Id ſi conſtet, operæ ſane pretium erit, ut hujus Vaticinii ſenſum eruamus, quod profectum ab uno quidem ex Prophetis ſic dictis *minoribus*, a maximo tamen inter illos, maxima certè quæque continet; ita ut vix ullum aliud ſit hoc noſtro majus, & in quo illuſtriora de Meſſia promiſſa concurrant; quo ipſo oſtenderit quoque Vates revera ſe *Domini memorem*, quod Prophetæ noſtri *Zachariæ* nomine indigitatur. Neque enim *minores* Prophetæ ſic dicuntur reſpectu argumenti vaticiniorum ſuorum, quaſi quatuor ſic dicti *majores* gradu prophetiæ excellentiori fuiſſent uſi; ſed tantùm reſpectu molis ac quantitatis librorum, quos ab iis habemus reliquos. Sic oraculum hocce Zachariæ nulli alteri, de Meſſia vaticinanti, cedit: Sive reſpiciamus Meſſiæ hic *deſcripti* 1. *Ortum* & *naturam* futurum ſcilicet eum *Virum Germen*, *& deſubter ſe germinaturum.* Sive 2. Ejus *Opus* magnificum; *ædificaturum eum Templum* JEHOVÆ. Sive 3. *Gloriam* & *Munera*; *portaturum eum decus*, *& ſeſſurum* ceu *Sacerdotem* & *Regem* ſimul in *throno.* Sive 4. Horum omnium *fundamentum ſcilicet*, *Conſilium pacis quod foret inter illos ambos.* Sive 5. Tandem *Certitudinem* hujus promiſſi, non producti a Zacharia Vate, niſi ex ipſo Deo, & quidem *Deo Domino exercituum*, cujus nomine hæc cuncta noſter pronuntiat in aures Joſuæ, præſentibus tot teſtibus. Hæc profectò omnia clamant digniſſimam hanc eſſe materiam, quæ omni attentione pertractetur.

Et noſtra attentione, quam excitat הִנֵּה/

XIV. Præmittit autem Spiritus S. huic vaticinio particulam הִנֵּה/ *Ecce*: quâ 1. In genere ejus excellentiam denotari, in elucidatione *Jerem.* 23: 5 & 6. §. IV. ſatis diximus. 2. In ſpecie magis denotari eâdem excellentiam rei, non tantum præſentis, ſed & poſt ſecula demum futuræ, contra Abarbanelem probavimus *ibid.* §. IV. Immo 3. Coronari hic Joſuam, non pro ſe ipſo, non reſpectu ſui ipſius; ſed reſpectu alterius, velut typum ejus, qui revera ita coronandus eſſet, & cujus ille ad hoc tempus perſonam repræſentaret,

ret, *Viri*, nimirum, *cujus nomen Germen*. Quando igitur ita Propheta ait Joſuæ; *Ecce, Vir Germen* &c. tantundem eſt ac ſi diceret; *Attende*, ô Joſua! qui iſtas coronas nunc geſtas, neque temet-ipſum cogita, ſed eum, cujus typus es, Meſſiam puta, toties Eccleſiæ Iſraëliticæ promiſſum, & tandem certò olim, poſt ſecula non adeo amplius multa, exhibendum. Adeo ut de intuitu non tam corporali, quàm mentali ſimul intelligi poſſit & debeat.

XV. Deſcribitur hic verò Meſſias, primò juxta Naturam ſuam tanquam אִישׁ / *Vir*. Hæc vox differt ab illis אֱנוֹשׁ / & אָדָם / etiam de Meſſiæ uſurpatis *Pſalm.* 8: 5. & ſpectantibus vulgò ad ſtatum ejus humilem, quando ob graviſſimas, quas ſubit paſſiones, dicitur *vermis*, ולא איש, & *non vir*, *Pſalm.* 22: 7. atque adeo per hunc titulum *Viri* multa nobis ſignificantur. Nempe primò 1. Meſſiam quidem *hominem* futurum, revera humanæ naturæ, carnis & ſanguinis participem, qua in relatione de Deo negatur eum eſſe אִישׁ / *Virum*, *Hoſ.* 11: 9. ita ut de Meſſia dici poſſet, *puer nobis natus eſt, & filius datus Eſai.* 9: 5. qualis etiam eſſe debebat, ut & Sacerdos foret, qui ex hominibus ſumitur *Hebr.* 5: 1. & Rex hæreditarius Davidis, 2 *Sam.* 7: 12. *Eſai.* 9: 5. 2. Attamen ſimul futurum hominem *virili animo* præditum, clarum & ſtrenuum: 1 *Sam.* 26: 15. adeoque præ aliis inſignem ratione roboris, nobilitatis ac dignitatis, uti vox hæc de Jobo uſurpatur *Cap.* 1: 1. uno verbo Heröem, גִּבּוֹר / uti dictus eſt penes noſtrum Vatem *Cap.* 13: 7. eò quòd valeat robore & potentia; & vel hoc etiam reſpectu, uti multis aliis, *inſigniter pulcher* מִבְּנֵי־אָדָם / *præ filiis hominum vilium Pſalm.* 45: 3–6. Vid. etiam *Jeſai.* 11: 2. Atque hoc tam emphatico nomine אִישׁ / non modò a Zacharia inſignitur *Cap.* 1: 8. ſed & alibi in ſermone prophetico Meſſiæ illud notiſſimum ab initio fere, & ſuetum cognomen fuit. Vid. *Gen.* 32: 24. *Joſ.* 5: 13. *Eſai.* 32: 2. &c. 3. Immo & inſuper vox hæc indicat Divinam eum quoque habiturum excellentiam, omne quod hominis eſt, plane ſuperantem. Ita vocatur אִישׁ יְמִינוֹ / *Vir dextræ Dei Pſalm.* 80: 18. qualis honor nemini mortalium,

Ubi deſcribitur Meſſias ille reſpectu N. Naturæ ſuæ Vir, ob naturam ſuam humanam robore eximiam, & omnibus hominibus majorem.

An-

Angelorum nedum, teſte Paulo *Hebr.* 1: 13. contigit. Simili phraſi vocat ipſe eum Deus penes noſtrum Vatem *Cap.* 13: 7. גבר עמיתי / *virum proximum meum*, vel, *qui eſt inſiar mei*, utpote ejuſdem cum ipſo Deo eſſentiæ: & conſequenter omne id habens quod ad Mediatoris officium, cùm Sacerdotale, tum regium, requiritur, uti obſervavit rectè Sal. Glaſſius *Onomatol Meſſiæ Proph. Claſſ.* 2. §. 1. p. m. 399. Quin & titulo magnifico איש יהוה inſignitur *Gen.* 4: 1. juxta multorum certè opinionem: prout tradidimus in noſtra ad *h. l. Diſſert. Lib.* 1. Quæ porro ad notionem nominis איש pertinent, ea diſputavimus antè in *Diſſert.* de *Luctatione Jacobi* §. V. XXIX *& ſeqq.* Non verò abſque valida ratione Zacharias Vates hic uti maluit notione איש / quam illâ אדם / אנוש / aliave; quia ſcilicet hic non repræſentaturus eum erat in vilitate miſeriæ, ſed in excellentia gloriæ ejus, uti *vexillum portantem ſupra myriades*, & *pulchriorem filiis hominum omnibus Cant.* 5: 10. *Pſalm.* 45: 3.

b. Ut Germen, ob originem ſuam de terra, in qua & excreſcentia ejus, & exaltatio continetur.

XVI. Deſcriptionem *Naturæ* ſequitur illa *Originis* in nomine צמח / de quo jam ante ad *Jerem.* 23: 5 & 6. §. VI. ſatis latè diximus hic non repetenda. Tantùm dicam de ejus interpretatione per *Germen*, nullum dubium ſupereſſe poſſe hoc in loco, ubi conjungitur cum ipſo verbo צמח, / quod neceſſariam hic habet *germinandi* ſignificationem, uſurpaturque non ratione *Deitatis* Meſſiæ, aut *Sacerdotii*, ſed *humanæ naturæ*, quemadmodum oſtendi *Diſſert.* dicta §. XLVI. De qua certè notione in noſtro textu intelligendum liquido conſtare putem; partim, quia dicitur in futuro, adhuc *germinaturum* iſtud *Germen*, quod ſic tanquam nondum exiſtens concipitur, & de Filii Deitate capi omnino nequit; partim, quod egregia, quæ ei porro adſcribuntur prædicata, ut quod foret *Vir portaturus decus*, & *ſeſſurus in throno*, præ primis ad ejus humanam naturam ſpectant: uti in explicatione eorum videbitur. Rationes autem cur hoc nomine gaudeat Meſſias, breviter has hic habe. *Germen* dicitur Meſſias reſpectu *termini a quo* germen incipit, & *termini ad quem* germen excreſcit. *Priori* reſpectu

Meſ-

Meſſias *Germini* comparatur α. Quatenus eſt *Meſſias*, utpote *progerminans* ex verbo promiſſionis Divinæ. β. Quatenus *homo* eſt, utpote qui *progerminaturus* eſſet ex *Davidis domo collapſa*: 2 *Sam* 23: 5. *Amos*. 9: 11. & proditurus *inſtar ſurculi ex trunco ſucciſo Iſai*: *Eſai*. 11: 1. *Poſteriori* reſpectu Meſſias dicitur *Germen*, utpote ſuo tempore excreturus in arborem magnam, in ſublimem gloriæ gradum, *Ezech*. 21: 17. Quatenus foret *ſecundus Adam*, ſive ſtirps nova novorum ramorum, id eſt, filiorum Dei juxta promiſſionem, ſive ut Eſaias loquitur, *plantarum* JEHOVÆ, *quo glorietur*, *Eſai*. 60: 21. qui hac in σχέσει, in quantum eos portando vivificat, etiam ut *Radix* depingitur *Eſai*. 53: 2. *Eſai*. 11: 1. & *Apoc*. 22: 16. Quo ſenſu non malè ad *h. l.* dixit Cyrillus: Ἀνεθάλομεν δὲ ἡμεῖς ὑποκάτω αὐτοῦ. *Regerminavimus enim nos ſubter eum*. Et Hieronymus: *Subter eum orietur multitudo credentium*.

XVII. Verùm enimvero, quæri non ſine cauſa poſſet, an hoc potius nomine *Germinis*, quàm alio quovis Meſſiam Vates hoc loco compellet? Id quod ego non abſque ſapientiſſimo ſcopo factum putem. Nempe difficulter poterat adduci miſer nunc poſt reductionem ex captivitate populus, tenuia adeo primordia reſtitutionis in priſtinum ſtatum conſpiciens, (conf. *Ezr*. 3: 12. *Hag*. 2: 4.) ut crederet omnia denuo in Eccleſia ac Patria ſua in antiquam gloriam inſtauratum iri. Quocirca iſtius ævi Prophetæ languentium, & pene deficientium Iſraëlitarum animos erexerunt, repetendo oracula iiſdem ferme verbis, quæ ſtante & florente adhuc Republica Judæorum de Meſſia, & gloria per eum Iſraëli adducenda, olim erant edita. Jam temporibus priſcis ab Eſaia *Cap*. 4: 2. nec non à Jeremia, *Cap*. 23: 5. & 33: 15. vergente jam ad interitum Templo primo, & urbe Hieroſolyma, Meſſias ſub notione *Germinis* Iſraëli fuit promiſſus. Quid igitur, quæſo, aptius, quam ut ſub hiſce Templi ſecundi, & Hieroſolymæ novæ initiis tenuibus, omnes olim factæ promiſſiones de Meſſia *Germine*, ſub eadem hac notione emblematica Iſraëlitis in memoriam revo-

Sapientiſſimo autem ſcopo uſurpatur a Zacharia hic antiquiſſimum hoc Meſſiæ epitheton potius quam aliud.

carentur, ut ſic in ſua ſpe & fide confirmaretur populus, Deum Patrum ipſorum, non obſtantibus hiſce miſeriis, cuncta ſua promiſſa de Meſſia Germine olim edita impleturum, ſtante ipſo hoc Templo, cujus initia tam vilia ipſis videbantur. Atque hæc mihi ratio hic loci uſurpatæ nomenclaturæ hujus multo ſolidior videtur, quàm altera, quæ addi forſan poſſet, quod ſcilicet juſſus fuerat Zacharias mutuari ab Iſraëlitis argentum & aurum, ac ſi Deus eô voluerit ſignificare, obſervante Dan. Cramero, *ſe pari modo, ut nunc mutuaretur ab illis argentum & aurum, ita quoque ſuo tempore ex ipſorum ſanguine & poſteris, & non aliunde, ſumturum eſſe maſſam Filii ſui Meſſiæ, in hunc modum proditurі.* Quæ Meſſiæ humana ex hominibus origo hic ergo loci aptiſſimè per notionem *Germinis* exprimi poterat. Verùm, ut dixi, longè id petitum eſt.

B. Ortus: Germinabit deſubter ſe. *Sive, ut alii vertunt, ex loco ſuo, ſive jam terreſtri; ſive, ut alii, ca-leſti.*

XVIII. Videamus quid ſibi velit Vates, cùm pergit, dicendo de hoc *Germine:* ומתחתיו יצמח / quorum vocabulorum unum altero multo eſt obſcurius. Dicitur enim יצמח / *germinabit*, cum aperta alluſione ad nomen צמח / *Germen.* Neque id multam habet difficultatem. At verò variant valde Interpretes, quo pacto iſtud מתחתיו veniat intelligendum. Omnium tamen Verſiones ad duo revocari poſſunt ſumma genera, adeo ut ſcilicet vel *locus*, vel *modus* progerminationis hujus iſtô exprimatur. Alii enim id vertunt *ex loco ſuo:* uti ita de *loco* eadem vox exponitur *Exod.* 10: 23 & 16: 29. Et ſic vertunt præter Hebræos nonnullos, cum aliis Belgæ noſtri. Senſus tunc erit, cum alluſione ad germinis cujuſcunque ortum, quod uti hoc *è terra* ſua, ſive è ſolo ſibi conveniente, naſcitur, ita & Chriſtum, quoad humanam ſuam naturam, germinaturum *ex loco ſuo*, q. ex ſolo ſuo: id eſt, ex propria ſua gente, ex propria patria; ex *medio Iſraëlis*, uti Jeremias dixerat, & quidem, uti etiam longè prædixerat antè Propheta, ex urbe Bethlehemi, *Mich.* 5: 1. quæ *Davidis urbs* dici merebatur, non magis reſpectu *Davidis* prioris, quam poſterioris, qui & *Davidis filius*, & *David* ipſe dicitur. Neque tamen deſunt, qui iſtud *ex loco ſuo*, expo-

ponant, ex cœlo, quatenus ex cœlo, *loco ſuo*, ortum habet Meſſias juxta naturam Divinam. Uti & ſimili phraſi dein in Novo Teſt. dictum eſt de Chriſto, eum veniſſe ἄνωθεν, *ſuperne*, *Joan.* 3:31. quam ob rem idem etiam audit; Κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *Dominus e cœlo*, 1 *Cor.* 15:47.

XIX. Eſt autem & alia hujus phraſeos interpretatio, ita ut מתחתיו vertatur ac *a ſe ipſo*, ita R. Salomo: vel *ex ſe ipſo*; vel *de ſub ſe*, uti Calvinus noſter: vel *deſubter ſe*, ut Joan. Coccejus; & tum deſignatur qualitas adventus ejus quoad cauſam. Atque ita hac deſcriptione in genere denotatur, Meſſiam proditurum abſque ulla humani auxilii operatione, cultu atque robore, ſed tanquam *per ſe ipſum*, & *ex ſe ipſo*, propria vi, induſtria, atque virtute plane divina: ut ita ſit ſui. Vel etiam uti Jac. Guſſetius in *Lexico* ad hanc vocem *ex ſub ſe*, h. e. ait, *ex ſolo, fundo, ſine cultura hominis*. Obſervatque præterea idem Vir Eruditus τὸ מתחתיו *non ſolummodo excluſionem culturæ hominis, ſed inſuper aliquid poſitivum directè dicere:* nempe, ut porro mentem ſuam explicat: *Cum autem ejus Divinitas ſit ejus perſona, itemque ejus humanitas, ſane ut verum eſt hanc ab illa factam, ſic verum eſt eum germinaſſe ex ſe ipſo.* Quæ porro ſubtiliter philoſophatur de verbo צמח / tanquam uſurpari de rebus ſolito, quæ non ſeparantur a ſuo principio, unde tum myſterium arceſſit, ea impræſens non examinabo. Potius addam verba Celeb. Cocceji, totam hanc rem ita interpretantis: *Comparatur adventus ejus cum ſtirpe, quæ nullo ſatu, nulla plantatione, non a radice alia proveniat aut propagetur. Huc etiam aliquo modo facit Eſai.* 53:2. ut radix e terra ſiticuloſa. *Notatur enim ibi & defectus virtutis antecedaneæ, quæ ſit in arbore propagante, & defectus alimenti. Reſpondet autem huic emblemati nativitas ex Virgine per virtutem propriam Divinitatis, & proprium jus, a nullo homine acceptum, ad Regnum & Sacerdotium eorum cauſa gerendum, qui ipſi in filios dati ſunt, qui ipſius ſunt germina* &c. Et ſic quidem phraſis poſſet videri deſumta ab herbis nonnullis ſponte, abſque ulla ſeminatione aut cultu antecedaneo progerminantibus; vel ab arboribus quibuſdam Arabiæ ſponte

Sive, ut alii, a ſe ipſo; aut, ex ſub ſe, aut deſubter ſe, id eſt, propriæ ſuæ virtutes.

te ſuccreſcentibus in altum, atque deinceps ramos ſuos curvantibus verſus humum, ut hi in eo radices agant, atque tunc novarum plantarum inſtar denuo progerminent.

Cujus phraſeos ſignificatio traditur, & Germinationis ſimul latitudo, non tantùm reſpectu nativitatis hujus Meſſiæ, ſed & forſan reſpectu munerum ejus, & reſpectu prædicationis Euangelicæ per mundum.

XX. Si jam quaeras, phraſiſne hæc ſit ſumenda priori, an verò poſteriori ſignificatu? Reſpondebo, latiſſimo eam ſenſu capi poſſe, atque adeo ambas non malè conjungi ſignificationes; quemadmodum etiam video inſtituiſſe Clar. Jac. Altingium in ſua ad hunc locum Diſſertatione, quæ ejus *Heptados Tertiæ* eſt *VI.* §. XXXVII. Si tamen alteruter ſenſus eligendus ſit, præferendum eſſe poſteriorem, qui ipſi quoque Altingio magis placere videtur, hanc ideo ejus uberiorem quoque danti interpretationem. *A ſe ipſo*, inquit, *quoniam virtute propria ſine humanis auxiliis erat oriturus, cùm ratione naturæ humanæ, quia naſciturus ex Virgine ſine Patre; tum ratione muneris, quà Sacerdos, & quà Rex etiam*, &c. ubi pluribus tum ea deducit Altingius, quæ verbo duntaxat in modò allegatis notaverat Celeb. Coccejus, Meſſiam nempe habiturum in *Sacerdotio* neque anteceſſores, neque ſequaces, utpote ex Juda ortum: & quoad *Regnum*, ipſum illud capeſſiturum Davidicâ jam domo collapſa. Quò & facit quod Lutherus ad hanc phraſin commentatus eſt: *Ubicunque*, ait, *ipſe erit, ubicunque ipſius verbum erit, ibi creſcet ac germinabit. Non enim in uno tantum eſt loco, ſed in toto mundo per Euangelium.* Ex quibus omnibus inter ſe comparatis nova naſcitur quæſtio, np. de latitudine *progerminationis* iſtius Germinis ſic A SE IPSO *germinaturi*: an ſcilicet iſtud de hoc *germine* reſpectu *nativitatis* dicatur; an reſpectu etiam *prædicationis Euangelii* per mundum, quò Lutherum modò tendentem vidimus? Atque hic ego iterum reſpondebo, omnes iſtos poſſe ſenſus conjungi: primum tamen mihi poſterioribus præferendum videri: uti & viſus fuit accuratiſſimo Witzii judicio. Is enim OEcon. *L.* 2. *C.* 2. §. 7. ita ſcripſit: *Germen quod de ſubter ſe germinabit. Aben Eſra* מאליו/ *ex ſemet ipſo; quod nulla plantatione humanæ manus proveniet, aut propagabitur, ſed ex virgine per propriam vim Divinitatis naſcetur.*

XXI.

XXI. Ad hujus verò exegeſeos confirmationem apprime faciunt ea, quæ a Joſeph. de Voiſin, aliisque Eruditis, ex Judæorum Theologiæ antiquæ ruderibus eruta ſunt, dum citant R. Moſis Haddarſchanis, Auctoris celebris, & Raſchi (id eſt, R. Salomoni Jarcho, quandoque laudati) hæc verba: גואל אשר אקים מכם אין לא אב וכ"ל / *Redemtor quem ex vobis ſuſcitabo, patrem non habebit, juxta illud* Zach. 6: 12. Ecce Vir Germen nomen ejus, & ſubter ſe germinabit. *Similiter Eſai.* 53: 2. Et adſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitiente. *Sic etiam de eo ait David Pſalm.* 110: 2. Ex utero (*tanquam*) ex aurora tibi ros nativitatis tuæ. *Denique de eo Scriptura dicit Pſalm* 2: 7. Ego hodie genui te. Hactenus ille R. Moſes. Quo teſtimonio nihil præclarius dici poteſt. *Judæorum conſenſus.*

XXII. Quemadmodum verò Germina non tam ſibi creſcunt, quàm in hominum & animantium utilitatem, ita quoque Germen hoc Meſſias Eccleſiæ ſuæ tales proferret fructus, taliaque ederet opera, quæ reſponderent Nomini & excellentiæ perſonæ, à qua nihil niſi magna quævis exſpectari poterant. *Nam qualis vir eſt, tale eſt & robur ejus, Jud.* 8: 21. Talia autem abſque dubio ſunt *ædificare Templum Domini, portare ornamentum, ſedere in throno, ſacerdotem eſſe in throno*, & ſi quæ plura in Oraculo ſequantur. De horum primo ita pergit Oraculum; *Et ædificabit Templum Domini*; quo clauditur *vers.* 12. quo itidem *vers.* 13. denuo aperitur: ita ut bis reperiatur: quod ratione nequaquam carere videtur. Quæritur autem quæ præciſe ſit hujus repetitionis cauſa? Non eſt animus varias omnium hic recenſere ſententias; quarum una duntaxat aut altera ad rem præſentem facit. Judæi nempe *prius* iſtud dictum *verſ.* 12. applicant Zerubbabeli, nunc temporis ædificanti Templum ſecundum, inter quos eſt Abarbanel: *poſterius* autem, quod reperitur *verſ.* 13. Meſſiæ, ædificaturo olim Templum tertium. At nihil horum in textu reperitur. Nam A. Neque duo diverſa in utroque iſthoc dicto commemorantur ſubjecta: B. Neque de Zerubbabele quicquam hic nobis occurrit, cùm omnia & ſingula

C Operis: *Ædificabit Templum Domini, & ille ædificabit Templum Domini. Ubi 1. Inquirenda ratio repetitionis hujus, quæ non eſt, ut Judæi volunt, a. Ædificatio Templi ſecundi per Zerubbabelem aut tertii per Meſſiam quod regno Meſſiæ non convenit.*

ad *Germen* iſtud, id eſt, Meſſiam ſolum unicè ſpectare, in antecedentibus, ut opinor, ſatis ſit evictum. C. Neque Meſſiæ ſanè foret ædificare Templum aliquod manufactum ac materiale. Tempore enim Meſſiæ, quando ipſum *cœlum* ſolùm *thronus Dei* foret, talia molimina *ædificandi domum*, ubi iterum ſacrificia mactarentur, diſertiſſime vetuerat Deus per Eſaiam *Cap.* 66: 1. 3. uti neque Meſſias in ejuſmodi Templo poterat eſſe Sacerdos, vel throno ibi inſidere; utpote *adſcenſurus in altum*, *Pſalm.* 68: 19. *ſeſſuruſque ad dextram Dei*, *Pſalm.* 110: 1. conf. *Hebr.* 8: 1–4. D. quemadmodum hoc etiam recentiorum ſolummodo Judæorum commentum eſt. Nam antiquiores eorum Doctores duplex modò templum materiale in terra Iſraëlis crediderunt, ſcilicet מקדש ראשון ומקדש אחרון / id eſt, *ſanctuarium prius et, poſterius.* Tertium verò exſpectaverunt in cœlo, & in Hieroſolyma ſuperna: quæ tamen juxta ipſos ex *Eſai.* 2: 2. in vertice trium montium foret ponenda. *Vid. Mart. Raymundi Pug. Fid. Part.* 2. *Cap.* 9. E. Contrà verò Meſſiæ erat hoc ipſum materiale Templum, cujus exſtructioni nunc manum admovebant, totum quantum deſtruere, ſive ſaltem permittere ut *à populo principis advenæ*, id eſt, exteris Romanis, illud deſtrueretur *ad vaſtitatem totalem uſque*, uti prædixerat Daniel *Cap.* 9: 26, 27. Poſt hoc ergo nullum aliud poterat exſtrui materiale Templum tertium. Quemadmodum, ut hoc in tranſitu hic paulo latius addam, ipſa quoque experientia docuit modo admirabili adeo, ut nemo, qui ſtupendum hunc rerum eventum attenta mente conſideret, poſſit vel minimum dubitare de providentia Dei, aut de veritate Prophetarum, aut de juſta cauſa Jeſu Nazareni, qui totalem & ſempiternam hujus Templi deſtructionem etiam prædixerat *Matth.* 24: 1. *& ſeqq.* Quicquid enim egerint, vel Judæi, vel Ethnici, & ipſe etiam potentiſſimus Imperator Julianus Apoſtata, in Chriſtianorum illuſionem, & Judæorum gratiam, atque ſic in ipſius Jeſu Nazareni, de mendacio ita convincendi dedecus, Templum tertium erigere molientes, id omne, Divina providentia ſic dirigente, fuit

fuit omnino irritum, et cœlitus impedito molimine, opus ceſſare debuit. Quod ſi non ceſſaſſet, & ſi Templum iſtud iterum reapſe exſtructum fuiſſet, jam Jeſus non fuiſſet verus Propheta. Si autem hoſtes Jeſu volentes eum mendacii convincere, adeo ipſo publico omnium ludibrio ſint expoſiti, quid, quæſo, jam amplius dicere poterat infidelitas, aut impietas? Rem verò illam admirabilem Eccleſiaſtici Scriptores non modò teſtantur uno ore omnes; (Vid. Socratis *Hiſt. L. 3. C. 20.* & Sozomeni *L. 5. C. 22.* Chryſoſtomi *Orat. 3. contra Judæos*) ſed & ipſe Ammianus Marcellinus Scriptor Ethnitus, qui tempore Juliani Imperatoris vixit, & ſub eo militavit. Is verò *Lib. 23.* in initio eam rem tradit; quin & ipſi Judæi.

Quod ipſe oſtendit per miraculoſum impedimentum ædificationis Templi tertii tempore Imperat. Juliani, ex Chriſtianis.

XXIII. Rei tantæ pondus mihi videtur permittere, ut per modum excurſus Juvenibus meis loca iſthæc ordine exhibeam: tantoque id magis, quia hoc exemplum oſtendere poteſt, quàm iniquè ſæpè veracitas Chriſtianorum antiquorum Scriptorum in dubium vocetur. Si enim apud Chriſtianos ſolos hæc ſupereſſet hiſtoria, abſque dubio irriderent, & piam fraudem eſſe clamarent more ſuo profani. Quid verò nunc excipi poterit? Ita ergo Socrates, Conſtantinopolitanus patriâ, & qui floruit circa annum a nato Chriſto 440. quando ad Eccleſiæ hiſtoriam ſcribendam ſe accinxit, natuſque ſub Theodoſii junioris principatus, uti videtur, initia, adeoque vix poſt dimidium ſeculum, quando regnaverat Julianus: poſtquam memoraverat; *Imperatorem Chriſtianis nocere cupientem, Judæos ad ſe accerſiſſe, & ex iis ſciſcitatum, qua de cauſa, cum Lex Moſis ſacrificare eos jubeat, a ſacris faciendis abſtinerent? reſpondiſſe, alibi quàm Jeroſolymis id facere ſibi non licere*, porro ita pergit Hiſtoricus: Κελεύει τάχ' ἀνίζεσθαι τὸν Σολομῶνος ναὸν &c. *Jubet protinus inſtaurari Salomonis Templum. Ipſe interim ad bellum contra Perſas proficiſcitur. At Judæi, qui jam pridem optabant ut opportunum ſibi tempus obtingeret, quo Templum ipſis ad ſacrificandum reſtitueretur, tum alacres in opus illud incubuerunt, tum adverſus Chriſtianos inſolentiâ elati, formidabiles ſe oſtenderunt: minantes ſe tanta mala iis illaturos eſſe, quanta ipſis olim a Romanis*

manis perpeſſi fuiſſent. Igitur cum Imperator ſumptus operi præberi ex publico juſſiſſet, brevi parata ſunt omnia: materia ſcilicet, lapides, lateres cocti, argilla, calx, & quæcunquæ alia ad ædificandum neceſſaria. Quo quidem tempore Cyrillus Jeroſolymorum Epiſcopus, memor vaticinii Danielis Prophetæ, quod Chriſtus etiam in ſacris Euangeliis confirmavit, palam multis adſtantibus prædixit futurum brevi, ut in eo Templo lapis ſuper lapidem non maneret, ſed Servatoris oraculum compleretur. Cumque haec dixiſſet Epiſcopus, noctu ingens terræ motus exortus, lapides ex veteribus templi fundamentis avulſos ſurſum excuſſit, & cunctas una cum contiguis ædifiiis diſperſit. Terror ex eo non mediocris invaſit Judæos; famaque ejus miraculi plures exciti, ex regionibus ad eum locum convenere. Cum igitur quam plurimi adeſſent, aliud denuo prodigium accidit: ignis enim cœlitus miſſus cuncta opificum inſtrumenta conſumpſit. Itaque cernere erat malleos, ſcalpra, ſerras, ſecures, aſcias, cuncta denique ad opus faciendum neceſſaria, flammis abſumi. Et ignis quidem toto die hæc omnia depaſcebatur. Ad hunc modum, inquit, *Templum, quod reficere moliebantur, contra funditus everſum eſt.* Hermias Sozomenus, Palæſtinus, ut videtur, patriâ, & qui circa hæc eadem tempora floruit, poſtquam narràverat Julianum *Judæos fovendo, Chriſtianis, quibus infenſus erat, dolorem afferre, Judæoſque ipſos ad ſacrificia & gentilium ſuperſtitionem promtius allicere ſtuduiſſe*, ſic porro habet: Ἔδοξε δὲ ταύτην ἔχων τὴν γνώμην, οἷς ἐπέχειρησεν. Μεταπαλεσάμενος γὰρ τοὺς ἐξάρχους τοῦ ἔθνους &c. *Atque hoc ejus fuiſſe conſilium, conatus ipſe patefecit. Nam cum principes gentis illius ad ſe evocaſſet, hortatus eſt eos ut Moſis leges auſcultarent, & patrios ritus ipſis in memoriam revocavit. Cumque illi reſponderent, everſo Hieroſolymorum templo, nec fas ſibi nec morem majorum eſſe, ut metropoli ſua ejecti, alibi ſacra facerent; Imperator data illis publicâ pecunia, juſſit ut templum inſtaurarent, & majorum religionem obſervantes, juxta priſcam conſuetudinem ſacrificarent. Igitur illi haudqua quaquam animo reputantes iſtud omnino fieri non poſſe, ſicuti ſacris oraculis prædictum fuerat, ſedulo opus aggreſſi ſunt. Collectiſque peritiſſimis fabris, materias parare & locum purgare coeperunt.*

Tanta

Tanta porro animorum alacritate, ut uxores quoque eorum rudera gremiis exportarent, & monilia, ac reliquum omnem muliebrem ornatum ad ſumptus operis ultro conferrent. Sed & Imperator ipſe & reliqui Gentiles, omneſque adeo Judæi, cætera omnia huic operi poſtponebant. Nam Gentiles quidem, quamvis alioqui Judæis parum faverent, non minore tamen alacritate operi incubuerunt, quippe qui ſperarent ſe poſſe perficere id, quod conabantur, & Chriſti prædictiones falſi convincere. Judæi vero, & hoc ipſum cogitabant, & opportunum tempus inſtaurando templo nactos ſe eſſe arbitrabantur. Cum vero prioris ſtructuræ reliquias demoliti eſſent, ſolumque effodiſſent ac repurgaſſent; poſtero die, quo primum fundamenta poſituri erant, terræ motus ingens contigiſſe dicitur; eoque motu lapides ex fundamentis exſiliiſſe: ex Judæis autem periiſſe, tum eos qui opus curabant, tum qui ſpectandi causâ confluxerant. Nam & ædes templo proximæ & publicæ porticus, in quibus diverſabantur, repente corruerunt. Et complures ibi deprehenſi, partim illico interierunt; partim ſemivivi, manibus & cruribus mutilatis reperti ſunt, aut aliis corporis partibus debilitati. Poſtquam terra movere deſiit, ii qui incolumes ſupererant, opus denuo aggredi coeperunt. Quippe cum & Imperatoris præcepto ad id cogerentur, ita ut detrectare non poſſent, & ipſis id eſſet gratiſſimum. Homines enim in rebus quæ ipſis voluptati ſunt, plerumque ad id quod noxium eſt vergunt, idque unum utile fore exiſtimant quod perficere cupiunt. Et hujuſmodi errore præventi nec quid utile ſit proſpicere poſſunt, nec experimentis malorum admoniti reſipiſcunt. Quod quidem Judæis quoque ea tempeſtate accidiſſe exiſtimo. Nam cum prior repulſa ſatis perſpicue oſtendiſſet Deum conatibus ipſorum infenſum eſſe, rurſus tamen idem fruſtra aggrediuntur. Simul autem ac denuo manum operi admovent, ignis ſubito ex fundamentis templi erumpens multos conſumpſiſſe dicitur. Atque id ab omnibus uno conſenſu & refertur & creditur, nec ab ullo in dubium revocatur: niſi quod alii quidem narrant, cum Judæi in templum violenter irrumpere vellent, flammam ignis occurrentem id, quod dixímus, præſtitiſſe; alii vero, tunc cum humum egerere atque exportare coepiſſent. Verum ſive hoc quiſpiam,

ſive illud prius admiſerit, utrumque parem meretur admirationem. Poſt hæc verò, aliud miraculum accidit, priore illo majus atque evidentius. Repente enim omnium veſtes crucis ſigno inſignitæ ſunt; & indumenta ſtellis quibuſdam diſtincta habere cœperunt, quaſi textoris acu artificioſe depicta. Ea re factum eſt, ut alii quidem confeſtim judicarent Chriſtum Deum eſſe, Templique inſtaurationem ipſi diſplicere. Alii vero haud multo poſt Eccleſiæ ſeſe adjunxerunt, & ſuſcepto Baptiſmo, hymnis ac ſupplicationibus pro iis, quæ tentare præſumpſerant, Chriſtum placarunt. Quod ſi cuipiam hæc incredibilia videbuntur, fidem ei faciant qui ea auditione acceperunt ab hominibus, qui res ipſi viderunt, & qui etiamnum ſuperſtites ſunt. Sed & Judæi ipſi ac Gentiles faciant, qui opus imperfectum dimiſerunt: aut, ut verius dicam, ne inchoare quidem potuerunt. Chryſoſtomus autem, qui floruit in fine ſeculi quarti, adeoque Juliani temporibus Socrate & Sozomeno propior, cùm eadem fere narraſſet, ita tandem perorat *loc. cit.* Καὶ νῦν ἐὰν ἔλθῃς εἰς Ἱεροσόλυμα, γυμνὰ ὄψει τὰ θεμέλια τῆς γῆς ἐκείνης. Καὶ τούτου μάρτυρες ἡμεῖς πάντες· ἐφ' ἡμῶν γὰρ, ὃ πρὸ πόλλου ταῦτα γέγονε χρίνω. *Et nunc ſi redeas Hieroſolymam conſpicies nuda fundamenta. Hujus rei nos omnes teſtes ſumus. Noſtra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt.* Conferantur etiam quæ idem habet Chryſoſtomus de *Laudibus Babylæ Martyr.* ad finem ferme: nec non *Homil.* 4 & 12. in *Matth.* His addam tandem Gregorium Nazianzenum, qui floruit Ao. 370. Juliani coætaneus. Hic verò *Orat.* 48. & in *Julianum* 2. in *initio*, eadem habet, quæ interprete Jac. Billio Latinè dabo. Poſtquam enim de nonnullis perſpicuis iræ divinæ in homines Eccleſiæ perſecutores diſſeruiſſet, ita pergit: *Verum hæc lubens præteribo, non quod eis, quæ oculis hominumque ſermone poſita ſunt, fidem abrogem, aut rerum eventu fortuito cuidam & temerario caſui tribuam, quemadmodum illi, qui res hujuſmodi temere ſentiunt, ſed ne majoribus atque inſignioribus rebus prætermiſſis, levioribus immorari videar. Illud vero miraculum, quod omnium ore celebratur, ac ne apud eos quidem, qui Deum nullum putant, fide caret, oratione proſequar. Furebat ille* (Julianus) *indies adverſus nos vehementius* &c. Et poſt

non

nonnulla adducta ſic pergit: *Cum autem per omnia alia graſſatus, atque omne genus tyrannidis in nos & crudelitatis, ut leve & abjectum aſpernatus eſſet, ad extremum Judæorum quoque nationem in nos immiſit, tum veteri eorum levitate, tum antiquo noſtro odio ipſorum pectoribus inuſto, ad id quod moliebatur perficiendum, adjutoribus uſus, fatale nimirum ipſis ex eorum libris & arcanis eſſe affirmans, in patriam redire ac Templum inſtaurare, patriorumque rituum vigorem redintegrare, ac benevolentiæ ſpecie conſilium celans. Poſtquam autem hæc in animum induxit ipſisque perſuaſit, tum illi ad Templi exſtructionem ſe comparare, atque in id opus, & manu multa, & animi alacritate laborequo incumbere. Illud quidem narrant, qui eorum facta laudibus & admiratione proſequuntur, uxores quoque ipſorum non modo matronalem omnem mundum corporiſque ornatum promto animo detraxiſſe, atque in operis ſtructuram laborantiumque opem contuliſſe, verum eo quoque animo fuiſſe, ut terram ſinu efferentes, ac nec veſtibus præclaris ac ſumtuoſis, nec teneris membris parcentes, pietatis officio ſeſe fungi exiſtimarent, omniaque hoc conatu inferiora ducerent. Ut vero a ſævo turbine, ac repentino terræ æſtuantis tremore compulſi, ad propinquum quoddam templum perrexerunt, partim orationis cauſa, partim, ut in hujuſmodi rebus accidere ſolet, eò quod offerebatur, ad periculi propulſationem utentes, partim cum tumultu abrepti, atque incitato curſu ſe mutuo protrudentes; ſunt, qui ne in templo eos admiſſos fuiſſe commemorent, ſed cum ad apertas fores acceſſiſſent, repente eaſdem clauſas peſſuloque obductas offendiſſe, potentia quadam obſcura & inviſibili, quæ ad impiorum terrorem, piorumque confirmationem hujuſmodi prodigia deſignat. Hoc verò uno jam ore omnes referunt, ac pro certo habent, quod eos per vim obnixamque contentionem ingreſſum ſibi aperire conantes, ignis e templo occurrens inhibuit, eoſque partim exuſſit & abſumſit (ut ſimile quiddam ipſis acciderit, quod Sodomitis, aut etiam Nadab & Abihu novo atque alieno more thura adolentibus, ac periclitantibus) partim inſignioribus corporis partibus demutilatos vivam columnam divinæ ſceleratos comminationis indignationiſque teſtem reliquit. Atque hoc quidem ad hunc modum ſe habuit*

(*nec fidem deroget quiſquam, niſi qui eadem ratione aliis quoque Dei miraculis nullam fidem habendam putet*) *quod hoc etiam mirabilius clariuſque fuit, lux e cœlo ſtetit crucem in orbem deſcribens, ac nomen illud ac figura, quæ in terra prius impiis contemtui fuerat, in cœlo nunc omnibus æque oſtenditur, Deoque victoriæ de impiis relatæ trophæum efficitur, trophæo omni ſublimius & præclarius*, &c. Scribit tum in ſequentibus effectum apparitionis crucis multorum fuiſſe converſionem. Hactenus hi Scriptores Chriſtiani: quæ eadem ferme & alii habent, uti Theodoritus, qui floruit Ao. 423. *Hiſt. Eccles. L.* 3: C. 20. Ruffinus, qui floruit Ao. 390. Caſſiodorus Ao. 514. Nicephorus Calliſtus Ao. 1333. *ib.* 10. C. 32, 33. aliique.

Ex ipſo Ammiano Marcelino, immo & Judæorum Tzemach David; ubi excurſus contra hodiernos profa-nos.

XXIV. In quorum narratione quidem aliquid occurrit de nonnullis circumſtantiis, quas crepant Critici; nullum verò hic remanet effugium, quod ad rei ſummam ſpectat, cùm Ethnici ipſi hanc eandem hiſtoriam (utpote facientem ad operum Imperatoris magnitudinem celebrandam) rei & conatus hujus reſpectu, ſimili modo conſcripſerunt. Talis eſt Ammianus Marcellinus jam citatus, qui Juliani contemporaneus fuit. Sunt quidem eruditi nonnulli qui cenſent eum Chriſtianum fuiſſe, aliter autem Hadr. Valeſius, cùm de Diis gentium tanquam de ſuis ſemper loquatur, de Chriſtianis ſacris myſteriiſque non item. Qui etiam videtur Julianum, quem ſuum fecit heroa, hanc ob cauſam tantopere laudare, quod a religione Chriſtiana ad Numinum cultum deſciverit. Nonnunquam tamen de rebus Chriſtianis benevolè, ceu ſincerus Scriptor commemorat, quam, ut Principibus ſuis acceptam, & toto fere orbe Romano diffuſam, palam damnare non auſus eſt. Vid. Valeſii *Præfat.* ante Ammianum. Hic verò *loc. cit. Et licet accidentium varietatem ſollicita mente præcipiens* (*Julianus*) *multiplicatos expeditionis apparatus flagranti ſtudio perurgeret, diligentiæ tamen ubique diffidens, imperiique ſui memoriam magnitudine operum geſtiens propagare, ambitioſum quondam apud Hieroſolymam Templum, quod poſt multa & interneciva certamina obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, ægre eſt expugnatum, inſtau-*

ſtaurare ſumtibus cogitabat immodicis: negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Quum itaque rei idem fortiter inſtaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, METUENDI GLOBI FLAMMARUM PROPE FUNDAMENTA CREBRIS ASSULTIBUS ERUMPENTES, FECERE LOCUM EXUSTIS ALIQUOTIES OPERANTIBUS INACCESSUM: *hocque modo, elemento deſtinatius repellente, ceſſavit inceptum.* Hactenus ille. Immo verò eidem etiam miraculo teſtimonium perhibetur ab ipſis juratiſſimis Jeſu hoſtibus Judæis in libro, qui inſcribitur צמח דוד / *Germen Davidis Part.* 2. p. 36. *Numer.* 368. הקיסר הזה / צוה לחדש הבנין בית המקדש לכבוד ולהפארת וכו׳ *Imperator hic* (Julianus) *juſſit renovari ſtructuram ædis ſacræ ad gloriam & decus, & ſumtus de publico præbuit. At cœlitus impeditum eſt opus, quo minus conſummaretur: Imperatore, dum cum Perſis pugnaret, trucidato.* Eandem quoque hiſtoriam attingit R. Gedalia p. 109. non bona autem fide. Etiamſi quidem non neget (quod apertum etiam nimis erat, ut negari poſſet) operas primùm igne impeditas, merum tamen commentum eſt, deinceps animo recuperato Templum exſtruxiſſe, quod multis poſt annis terræ motu concuſſum, atque dirutum: commentum, inquam, quod omni annalium fidei contrariatur, ipsâque refutatur experientia.

XXV. Judæorum ergo explicatione de cauſa repetitionis hujus funditus everſa, alia ejuſdem repetitionis, quæ emphaſi carere nequit, ratio quærenda eſt. Eam autem alii forſan hanc ſubſtituent, quod pertineat ea ad majorem promiſſi aſſertionem. Verùm hæc mihi minis languida videtur, rato Dei ſapientiæ longè convenientius fore diſtincti aliquid iis ſignificari, utpote verbis haud fruſtrà repetitis. Id quod quidam eruere annituntur ex ipſo textu Hebraico, quaſi ibi in membro priori, ſi *Vau* converſivum verbo בנה dematur, legatur, *ædificavit*, in *præterito* tempore; & membro poſteriori in *futuro* יבנה / *ædificabit*. Tunc porro

b. Non etiam major prædictionis aſſertio & certitudo. c. Sed ſignificatio diſtinctæ ædificationis Templi duplicis; 1. Non tamen Templi Vet. T. de quo dicatur;

Et ædificavit; & Novi T. de quo dicatur; Et ædificabit.

per *Templum Domini* hi intelligant ejus Eccleſiam, quæ uti vulgò diſtinguatur in Eccleſiam *Veteris* & *Novi* Teſt. ita horum illi verborum hunc ſenſum faciunt, ac ſi iis doceretur, Meſſiam, qui *ædificaverat* Templum Domini, i. e. Eccleſiam Iſraëlitarum, ſub Veteri Teſt. pariter eum *ædificaturum* eſſe Templum Domini ſub Novo Teſt. quod congregandum eſſet ex omnibus Gentibus. Addunt inſuper hujus interpretationis hanc rationem, quod Chriſtus olim & nunc, *heri*, h. e. ajunt, ſub Veteri Teſt. & *hodie*, h. e. ſub Novo Teſt. *idem ſit in omne ævum Hebr.* 13: 8.

Quia id, etſi non veritati rei, Hebraico tamen textui repugnat.

XXVI. Non inepta plane hæc eſt interpretatio, ubi rem ipſam ſpectamus. Verumtamen cum textu Hebraico nequaquam ea convenire videtur. Ibi enim omnia in *futuro* efferuntur. Verbum quippe ובנה / etſi quoad formam videatur poni in *præterito*; tamen iſtud *futuri* ſignificationem aſſumit per *Vau* converſivum: certo quidem cum diſcrimine a ſimplici forma futuri יבנה / uti poſtea ex Altingio afferam §. XXVIII. attamen futuri aſſumit ſignificationem. Quam converſionem ſignificationis ſi aliquis vel maxime nolit in hoc ובנה ex vi additi *Vau* admittere, jam etiam convincetur per ſequentia verba *verſ.* 13. ומשל / וישב / quæ tunc etiam reddenda eſſent, non: *& ſedebit*, & *regnabit*: ſed, *& ſedit*, *& regnavit*, quod tamen contra omnem contextum foret. Præ primis ſi conferamus *verſ.* 15. ubi prædicitur, *venturos qui procul ſunt*, ובנו / *& ædificaturos* &c. Ubi ergo hoc idem verbum, licet forma etiam *præteriti* efferatur, de *futuro* tamen intelligendum liquidò patet; uti etiam priori loco *verſ.* 12. Taceo, cùm hoc vaticinium manifeſtam contineat promiſſionem, hic ſermonem debere fieri, non de eo, quod jam feciſſet Meſſias, verùm quod olim adhuc facturus eſſet, & tunc quidem, quando ceu Vir Germen *deſubter ſe germinaturus* eſſet. Ob has ergo rationes primum iſtud ובנה æque ac iſtud ſecundum ויבנה / immo & omnia hic occurrentia verba, in *futuro* reddenda cenſuerim: & conſequenter eum in modum verba interpretamur: *Et ædificabit Templum Domini, & ædificabit Templum Domini.*

XXVII.

XXVII. Verùm enim verò, ſic repetitionis hujus ſolida cauſa nondum apparet. Fateor. Ego verò eam mox reddam, poſtquam hic fundamenti loco præmiſero, agi in oraculo de ædificatione Templi, non corporali, ſed ſpirituali. Rationes dedi §. XXII. Hic verò hypotheſin eandem Lectori probabiliorem faciam, appoſitis verbis Theod. Hackſpanii in *Notis* ad *h. l.* qui docturus ſollicitè attendendum eſſe ad ſtylum Propheticum, ita ſcribit: *Quòd Prophetæ à rebus V. T. & quidem terrenis derepente tranſeant ad promiſſiones de Meſſia myſtice intelligendas; unde etiam factum, ut retinuerint in cultu ſpirituali N. T. deſcribendo vocabula petita à cultu Judaico. Unde nemini mirum videri debet, ſi hoc quoque loco non intelligatur Templum aliquod materiale, ſed ſpirituale.* Optime. Addam autem & *porro*, quod hoc ipſo loquendi more Vates noſter Iſraëlitis ſui temporis in memoriam revocare voluit promiſſum Divinum, olim ante ſecula Davidi factum, *poſtquam* ſcilicet ille *occubuiſſet cum Patribus, Deum tunc ſuſcitaturum ſemen poſt ipſum, proditurum ex viſceribus ejus* (quod proin de Salomone nequaquam intelligi poteſt, utpote jam nato dum viveret adhuc David, ſed de Meſſia) *Et ille*, ait Deus, *ædificabit domum nomini meo: 2 Sam. 7: 12, 13.* Neque in eo ſubſiſto. Sed & *tertio* loco obſervari velim a Lectore meo, quam aptè circumſtantiæ temporis promiſſionis hujus a Zacharia in memoriam nunc revocatæ, inter ſe conſentiant. Iſta quidem tunc prolata fuit per Nathanem, quum animo cogitationes volveret David de exſtruendo *primo* Templo; eadem revocata fuit per Zachariam, quando Templi *ſecundi* exſtructione occupati erant Iſraëlitæ. In qua quidem temporis comparatione oſtendi ego clariſſime putem, Judæis ita a Zacharia indicatum fuiſſe, promiſſionem Davidi olim datam nequaquam nunc impleri in Templo hoc per Zerubbabelem, Davidis etiam progeniem, nunc incepto; minime. Contrà verò eandem promiſſionem, hac ædificatione non obſtante, manere prorſus abſque implemento: adeoque neque prius, neque hoc poſterius Templum iſtud eſſe, quod revera Deo dignum ſit,

Sed 2. Templi ſpirituaſiter ſic dicti.

ſit, ac proinde mentes ab omni iſtiuſmodi Templo materiali avocandas ad tale, quod ædificaturus eſſet ipſe Meſſias.

At non quærendi in cœlo & terra; verum in ſola potiſſimum terra, in unius Meſſiæ corpore duplici. x. Naturali, *ſive* humano.

XXVIII. Spirituale ergo, ſive ſpirituali ſenſu ſic dictum *Templum* hic cogito: non tamen Templum cœleſte ſupremum, quod nonnulli quoque hic intellexerunt Chriſtiani Interpretes, in quo in ſtatum beatorum erecti cœlicolæ Deum glorificant. Quod Templum & ipſe Meſſias dicendus ſit ſtruxiſſe, quatenus per eum omnia facta ſint. Quatenus etiam in iſto cœli Templo, ſive domo, nobis ille *manſiones paret*: *Joan.* 1: 3 & 14: 2. Verùm cùm Templum iſtud cœleſte jam ab initio ædificatum fuerit; hic verò agatur de exſtructione futura, de iſto hic quidem cogitari nequit. Quid igitur? Exiſtimem ego, ut uno verbo dicam, quod exiſtimavit etiam Jac. Altingius in *Heptad. loc. cit.* quod exiſtimavit itidem Herm. Witzius in *Symbol. Exerc.* XIV. §. 17. addita hac ratione: *Eorundem enim verborum repetitio facit, ut non de uno Templo cogitemus*; exiſtimem ego, inquam, per *Templum Domini* hic primo loco *verſ.* 12. denotari Meſſiæ *corpus naturale*: Secundo vero loco *verſ.* 13. *corpus* Chriſti ejuſdem *Myſticum*, ſive Eccleſiam; quarum notionum neutra a phraſi hacce aliena eſt.

Quod per partes oſtenditur eſſe Templum JEHOVÆ Patris *efficientis, & inhabitantis, ab ipſo tamen Meſſia ædificatum in nativitate & reſurrectione.*

XXIX. Nam quod ad *corpus Chriſti*, expreſſe iſtud *Templum* vocatur, & de ejus *ædificatione* loquitur ipſe Chriſtus dicens *Joan.* 2: 19, 22. *Deſtruite Templum hoc, & intra triduum reædificabo illud.* Et tum additur a Joanne ipſo iſta interpretatio: *At ille loquebatur de Templo corporis ſui.* Hoc verò corpus erat quaſi Templum, quòd in *eo habitaret tota Deitatis plenitudo* σωματικῶς, *corporaliter*, & non, ſicut olim, in umbra, *Col.* 2: 9. Et hoc quidem Templum *Domini* dicitur, tanquam cauſæ efficientis, quia ipſe *Dominus*, ſive Deus Pater, qui dicebatur *perforaturus aures* Meſſiæ *Pſalm.* 40: 7. id eſt, uti *Hebr.* 10: 5. id explicatur, *adaptaturus ei corpus*, hoc corpus Meſſiæ præparavit, ut Deitas Filii in illo habitaret. Immo & *Templum Dei Patris* dici poteſt, tanquam inhabitantis quoque. Ita quippe Scriptura

ra diſerte loquitur *Patrem* in Jeſu Chriſto, dum in carne obambulabat, & *videri*, & *eſſe*, & *manere*, & *opera facere*, *Joan.* 14: 9, 10, 11. Et tamen idem illud *corpus*, ſive *Templum ædificaturus* etiam hic dicitur ipſe Meſſias duplici quidem ratione. א. Quando homo in carne manifeſtandus corpus aſſumeret per nativitatem. ב. Quando hoc idem ſui corporis Templum in morte deſtructum reædificaret in ſua ex morte reſurrectione. Quô utroque etiam reſpectu fieret ambabus domibus Iſraëlis למקדש / *in ſanctuarium*, *Eſai.* 8: 14. id eſt, in *Templum*. Nam Templum titulo מקדש ſæpe indigitatur, uti *Pſalm.* 68: 18.

XXX. Novi equidem contra hanc explicationem hic excipi poſſe 1. Quòd Meſſias *corpus ſibi ſit ædificaturus*, id jam videri ſatis ſignificatum eſſe iſthac phraſi priori מתחתיו / *deſubter ſe germinabit*. Uti & nos ſuprà §. XIX. phraſin eam iſthoc ſenſu explicuimus. Verum tamen quid prohibet illud, quod ibi generatim & latius fuerat pronuntiatum, ſtricte magis & ſpecialius hic explanari, atque ideo hic addi, quòd Meſſias, dum illam ſuam germinationem *deſubter ſe* perficit, eo ipſo eſſet ædificaturus *Templum* JEHOVÆ? ut ita indicetur Meſſiam aſſumturum corpus non *ſibi* tantùm ipſi, ſed & Deo Patri; id eſt, non ſimpliciter ut ipſe homo fiat; ſed longè etiam excellentiori ſcopo, ſcil. ut homo fiat, in quo habitet gloria Dei Patris. Novi porro objici poſſe collationem cum *verſ.* 15. ubi dicitur, *venturos longinquos, & ædificaturos in Templo Domini*, quod de *Templo corporis* Meſſiæ haudquaquam intelligi poſſit: cùm tamen videatur eadem iſthic phraſis adhiberi, adeoque de re eadem utrobique ſermonem fieri. Verùm nec hæc nos objectio turbat. Nam quid cogit, ut effatum hoc *commatis* 15. ad prius colon hoc *verſ.* 12. referatur, & non potius ad ſecundum, in quo eadem verba repetuntur *verſ.* 13. non ſignificantia tamen, uti jam præmonui ſuprà, ædificationem corporis humani Meſſiæ, ſed corporis ejusdem myſtici, ſive Eccleſiæ, in qua ſanè ædificanda ad fidem credentes Ethnici egregiam operam conferre poſſent: ut e-

Et defenditur contra duas objectiones.

tiam prædicitur fore *Esai.* 60: 1. &c & alibi.

12. Mystico, sive Ecclesia Christiana, de qua etiam ostenditur per partes, quod illa vocetur Templum, & JEHOVÆ, Domini *quidem, sive Dei Patris decernentis efficientisque, dum tamen ea ædificanda sit a Messia.*

XXXI. Quod autem modò etiam præmonui, per verba *vers.* 13. *Et ædificabit Templum Domini*, secundo loco repetita, designari spirituale *Ecclesiæ Templum*, quam Messias in semet ipso tanquam rupe, fundamento, ac petra ædificaturus esset, conf. *Esai.* 28: 16. *Zach.* 3: 9. coll. *Matth.* 16: 16. & hoc à phrasi Zachariæ usurpata nequaquam alienum est. Ecclesia enim præclarè valde sub *Templi* emblemate repræsentata est penes Ezechielem *Cap.* 40. *& seqq.* Atque adeo *domus* & *Templum* passim audit in Scriptis Novi Test. *Hebr.* 3: 6. 1 *Tim.* 3: 15. 2 *Cor.* 6: 16. Quod Ecclesiæ Messiæ Templum consistit *ex lapidibus vivis*, credentibus electis puta, qui *accedentes ad ipsum ceu lapidem vivum*, & cum ipso uniti *fierent domus spiritualis:* conf. *Esai.* 54: 11. coll. 1 *Petr.* 2: 4, 5. Atque hoc Ecclesiæ Templum JEHOVÆ quoque, id est, Dei Patris *Templum* vocatur, quia Deus Pater, quemadmodum ratione exstructionis Templi Corporis Messiæ, ita & ratione Templi Ecclesiæ, suas quoque partes habiturus esset; uti certè hæc ad ejus ædificatur gloriam, quocirca & lapidem angularem, & reliqua saxa viva ad hoc Ecclesiæ Templum elegit ante jacta mundi fundamenta, & in tempore per totam eam seriem beneficiorum spiritualium, quæ Paulus recenset *Ephes.* 1. hæc sanctificat, tanquam *superstructa super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente uno angulari lapide ipso Jesu Christo, ut fiant* TEMPLUM *sanctum* DOMINO, id est, Jesu Christo, *& domicilium* DEI *per Spiritum*, id est, Dei Patris. Nam nomen *Deus* nomini *Domini* in eodem contextu appositum, significat Deum Patrem, uti & *Ephes.* 4: 5, 6. in quo ille sit *habitaturus*, non ut in tentorio Abrahami, ad breve tempus; *Gen.* 18. non uti in Templo Veteris Test. per aliquot secula; sed *in æternum: Ephes.* 2: 20, 22. coll. *Psalm.* 132: 14. Hoc verò Ecclesiæ Templum *ædificaturus* etiam esset Messias, tanquam Servus Dei ad hoc opus a Deo ordinatus: uti ita nobis describitur *Prov.* 9: 1. summa illa *Sapientia* tanquam *ædificans domum suam.* Et eadem illustrem in modum ob-

ver-

verſatur etiam Ezechieli Vati *Cap.* 40: 3. in viſione prophetica, ſub emblemate *Viri cum funiculo lineo in manu ſua, & calamo menſuræ.* Quô adumbrabatur quàm ſapientiſſimè, Meſſiam in hac ædificatione cuncta compoſiturum juxta normam conſilii ſui, ad laudem gratiæ ſempiternæ, exædificando ſuos, ac ſegregando in domum ac Templum ſpirituale, in quod cum Patre ac Spiritu ipſe veniat, & domicilium in eo ponat *Joan.* 14: 23.

XXXII. Quo vero tempore, quibuſque Meſſias id præſtiterit gradibus, dicam verbis Clar. Marckii in *h. l.* §. XXVIII. *Cœperat quidem olim ædificatio Eccleſiæ, ſed nec omne nec præcipuum opus abſolverat tum Meſſias; ſed poſt tenuia laboris initia & præludia illud aggreſſurus erat ſub Novo Teſt. cum ſanguine fuſo æternæ ſponſioni fatisfaceret, & promiſſa Patribus facta impleret, Euangelii ſonum in omnem terram emitteret, Spiritumque in omnem carnem effunderet, ut hæc ad Templum undique conflueret. Hæc ſcilicet erat luculenta deſtructio idolorum, in quibus colebatur olim Satanas, & apparens coram omnium oculis erectio ampliſſimi Templi* JEHOVÆ, *quale olim viſum non erat. Conferre licet nomen* Regni Dei, *quod olim quidem fuit aliquod, ſed tamen ob datas rationes erigendum ſub N. Teſt. promittebatur tum.* Quibus addere poſſumus verba Celeb. Jac. Altingii, quibus rationem ſimul aperit, quare prior *ædificatio corporis Chriſti verſ.* 12. in forma *præteriti*, ut & nos ſuprà obſervavimus; poſterior verò *ædificatio Eccleſiæ verſ.* 13. in forma *futuri* temporis enuntiari debuerit; quia ſcilicet Meſſias Eccleſiæ ædificationem lento opere erat perfecturus, novos quotidie addendo lapides, & iſtis quotidie lapidibus addendo incrementum, cujus conſummatio demum accedit in conſummatione ſeculorum, cùm corpus ſuum brevi conſummaverit: *Itaque*, ait *Heptad. loc. cit.* §. XLIV. *de poſteriore dicitur* יִבְנֶה/ ædificabit, *inhærendo eidem operi jugiter: de priori vero* וּבָנָה/ ædificabit, *ſed ut, ubi cœperit, mox perfecto opere de ipſo valeat* ædificavit. Quæ ſatis argutè adinventa ſunt: an ſolidè etiam, olim in hac diſputatione oſtendi valde me dubitare.

Et quidem ſub Novo Teſt. & per gradus lentos ex Marckio, & Altingio illud eleganter obſervante ex ipſo יִבְנֶה/

Ubi tamen nunc diligentius cogito rationem aliquam ſubeſſe poſſe, cur de priori *templo corporis humani* dicatur ובנה / cum *Vau* quidem converſivo, ſed in forma tamen *præterito* tempori propria, de poſteriori verò, ſive de *Eccleſia*, יבנה / forma *futuri* temporis ſimpliciſſima, non repugnabo ſi Lector meus obſervationem Altingii accipiat.

Quare & emphatice additur ILLE *ædificabit titulo grandi & divino.*

XXXIII. Neque negligere hic poſſumus, quod magna cum emphaſi addatur ſecundo hoc loco ſive Pronomen, ſive Nomen והוא יבנה / & IPSE *ædificabit*. Si enim Pronomen ſit illud הוא / jam minimum id ſignificabit, *Germen* ob præclarum illud opus quaſi digito demonſtrandum eſſe, & dicendum eſſe de eo, *Hic eſt*; ut ille ſic ab omnibus aliis, tanquam ad tale opus nimis ineptis, ſecernatur. Animadvertamus verò & inſuper, הוא nonnunquam à Judæis inter Dei *Nomina* recenſeri. Tritum eſt non illud modò Arabum; *Non eſt Deus niſi Deus* ILLE. Vid. Hottingeri *Diſſert.* IV. §. 17. uti & illud Derviſorum, quod quoddam Religioſorum genus apud Turcos eſt, qui in ſacris ſuis alta ſæpe voce repetunt *Hu*, quô Deum indigitant, prout refert Petr. Vallenſis *Itinerar.* P. 1. p. 32. cum quo conferri poteſt iſtud *Huſa*, quod alta voce in ſacro ritu quodam exclamari refert H. Maundrellus in *Itinerario* ſuo; ſed & Hebræi nonnulli ex Sacris producunt hunc in finem iſtud *Eſai.* 42: 8. אני יהוה הוא שמי / quod ita interpretantur: *Ego ſum* JEHOVA, HOU *eſt nomen meum*: refragantibus tamen, & non abſque cauſa, aliis. Si cui lubeat diſcrepantes hac de re ſententias audire, conferat Pfeifferi *Dub. Vex.* ad *Eſaiæ loc. cit.* & quæ nos etiam diſputavimus ipſi *Diſſert. de Prot-Euang.* Lib. de *Chriſto Fundam. Eccles.* p. 177, 178. Iſtis ſaltem ergo, apud quos הוא pro tali *nomine divino* habetur, additamentum hoc indicaret, *Germen*, de quo prædictum fuerat grande iſtud opus *ædificationis prioris Templi Domini*, revera ſufficiens fore ad opus perficiendum; quia foret הוא / i. e. verus Deus, æquè ac *Dominus Pater*; immo ob eandem quoque cauſam ſufficiens ad alterum adhuc opus æque magnificum, *ædificationis* ſcilicet *Templi* poſterioris.

XXXIV.

XXXIV. Nunc juxta recenſionem propoſitam ſupra §. VII. pergendum eſt ad Quartum caput deſcriptionis hujus Meſſiæ apud Zachariam, ſcilicet, ad *Gloriam* ejus, ſive *Majeſtatem*. *Gloria* autem ejus exprimitur magnifico illo verbo: והוא ישא הוד / *Et ipſe feret majeſtatem*. De voce Hebræa הוד / quæ opponi ſolet ei, quod vile, tenue ac contemptum plane habetur, obſervant probè Lexicographi, eandem vocem propriè denotare claritatem & evidentiam, quæ efficiat הודות / *fateri*, ſcil. *tantum eſſe in re, quantum eſt in nomine rei*. Hinc dicitur de *fulgore Job*. 37: 21, 22. *Eſai*. 30: 30. Refertur itidem ad Magiſtratus, notatque illum præcellentiam ac majeſtatem, qua Magiſtratus in genere, ac in ſpecie Reges ſupra ſuos eminent ſubjectos. Hoc ſenſu uſurpatur de Salomone Rege 1 *Chron*. 29: 25. et pro הוד Paraphraſtes Chaldæus ibi habet זיו / *Splendorem:* prout ita occurrit in editione Plantiniana. Eleganter in hanc vocem commentatus eſt Celeb. Coccejus ad *Pſalm*. 8: 2. ubi hæc ipſa etiam occurrit, cujus verba merentur ut hic conferantur & tranſcribantur: הוד מלכות *ſignificat dignitatem & majeſtatem, quæ eſt in Rege, efficiens* הודות / *ipſi parere, voluntati & dicto ejus aſſentiri & obtemperare. Ergo* הוד / *majeſtas, in hoc loco notat demonſtrationem Divinæ potentiæ, virtutis ac poteſtatis, & Regni Chriſti*. Inde הוד de vigore etiam, ac potentia plane regia uſurpatur, eoque ſenſu tribuitur Deo. Vid. *Pſalm*. 145: 5. *Eloquuturus ſum* הדר כבוד הודך / *decorem gloriæ majeſtatis tuæ*. Ad quæ verba ſic commentatur Coccejus: *Majeſtas, ſive virtus, & potentia, & ſplendor regio nomine digna*. Et interpretatur etiam deinceps *de vi flexanima ad obedientiam*. Sicque convenit cum τῇ ἀρετῇ Græcorum: quod de Deo uſurpatum notat ejus τὴν θείαν δύναμιν, *divinam potentiam*, juxta Heſychium. Hieronymus autem de eadem voce הוד ita ſcribit; *Ab alio*, inquit, ἐπιδοξότης, *ab alio* ἐπιπρέπεια, *ab alio* ἀρετή, *ab alio* δόξα *ſcribitur, quæ vel inclytum, vel decorem, vel virtutem, vel gloriam ſonant*. Et hoc ſenſu vox הוד / uti Deo *Hab*. 3: 3. ita & Meſſiæ, cùm tanquam *Regi*, tum tanquàm *Deo* adſcribitur *Pſalm*. 45: 4.

D. Gloriæ Et ipſe portabit gloriam. הוד *ſignificant* majeſtatem regiam, *quæ Meſſiæ competit, ut* Deo, *immo ut* Regi.

ubi ei acclamatur: *Accinge gladium tuum ſuper femur, ô Robuſtiſſime, Gloriam & Majeſtatem tuam*: alludendo ad Reges, qui majeſtatem ſuam commonſtraturi coram ſubditis, regiis induuntur veſtibus & ornamentis, quibus olim, juxta nonnullos, etiam nomen *Regis* inſcriptum erat; conf. *Apoc.* 19: 16. Diſerte enim Meſſias *Rex* audit *vers.* 12. qui & diſe te tanquam Deus deſcribitur *vers* 7, 8. Quo utroque reſpectu הוד ipſi tribui ibi potuit: & ſic etiam hic loci. Hinc etiam *coronam*, Regibus proprium Majeſtatis ſignum, Meſſiæ tribuit S. Scriptura *Pſalm.* 21: 4. 132: 18. *Cant.* 3: 11. & Judæorum etiam Magiſtri tradunt in *Midraſch Tehill. fol.* 19. *Edit. Venet. Regi humano*, inquiunt, *non imponunt coronam ejus* (Dei) *Deus autem benedictus imponit eam Regi Meſſiæ*, quia dicitur: *Impones ei coronam auri purgatiſſimi* (ſcil. *Pſalm* 21: 4) Et alia inſuper citat teſtimonia Daſſovius *Diſſert.* in *Jerem* 23: 6. *Part.* 1. §. 11. Quibus ego addiderim, inter decem eas Judæorum de Deo *Sephiroth* itidem recenſeri כתר / *coronam*, quæ Meſſiæ competat.

Sed etiam een Sacerdoti *maximo.*

XXXV. At exiſtimem ego & tertio inſuper reſpectu Meſſiæ hic הוד / ſive *majeſtatem* tribui. Non tantùm ſcilicet reſpectu Deitatis, aut Regni, verùm unà reſpectu *Sacerdotii* ejus. In ſequentibus enim diſerte prædicitur ſeſſurus in ſolio tanquam *Sacerdos*, quæ ſeſſio non videtur planè ſeparari poſſe *a portatione gloriæ* modò promiſſa. Et inſuper alluſio, quæ ſub ea phraſi *portandæ gloriæ* latet, evidenter nos eò ducit. Non enim Joſua Sacerdos duplici hic corona ſplendens, ſed & omnes Vet. T. Sacerdotes Maximi in ſua illa *lamina aurea*, ingens præ omnibus Iſraëlitis, immo & Sacerdotibus reliquis *portabant decus* (Conf. dicta §. IV.) Quare & Hebræorum Magiſtri nonnunquam eam laminam vocarunt *coronam Sacerdotii.* Quò & inſuper faciebat omnis iſte ornatus Pontificalis aureæque veſtes, veram veri Pontificis majeſtatem adumbrantes. Cum qua Pontificis gloria, juxta Judæos, ne Regis quidem majeſtas comparari poterat. Etiamſi enim Judæi veteres Regem Sacerdoti M. præponant, uti traditur in *Pirke Avoth Cap.* 5. Sacerdotes dunta-

xat

ſat 24 gradus dignitatis habere, cùm Regibus 30. ac Divinæ Legi 48. ejusmodi gradus adſcribant; aliquando tamen Sacerdotes Regibus majores ducunt. Sanè Philo Judæus Pontificem Summum, ubi Sacra adminiſtrat, omnibus Regibus excellentiorem facit. Idem ille docet, Haſmonæos Regio ſimul & Sacerdotali munere fungentes, Regiam dignitatem ἐν δευτέρῳ τάξει poſuiſſe, eò quod res humanæ ad Regnum, Divinæ ad Sacerdotium pertinerent. Conferri poſſunt ea quæ habet *de vita Moſis Lib.* 3. item in *Legatione ad Cajum* p. m. 1031. *Edit. Francof.* idem Philo verba hæc habet: *Avos proavoſque*, ait, *Reges habui, & ex his aliquot etiam Summos Pontifices, quam illi dignitatem pluris faciebant quam regiam, rati quanto Deus anteſtat homini, tanto Pontificatum Regno excellentiorem: ad illius enim curam Divinas res, humanas ad hujus pertinere.*

XXXVI. Hanc ergo majeſtatem, ſive הוד *Divinam*, *Regiam* & *Sacerdotalem* Meſſias ישא / id eſt, ſive *accipiet*, ſive *feret*, vel *portabit*, prout vertas, & res eòdem redit: *accipiet*, non *rapiet*: quippe omnem eam majeſtatem ceu Mediator, ſive tanquam *Vir Germen*, ſuſcipiendo non tantùm munus *Regium* & *Sacerdotale* a Deo Patre ſibi datum ſuo merito, ac unà gloriam hiſce annexam, ſed & in templum humanæ ſuæ naturæ, unà cum *plenitudine Deitatis*, quæ ſemper ipſi adfuit, etiam in ſtatu humiliationis, recipiendo τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς, *Joan.* 17: 4, 5. quæ pro tempore occultata fuerat. *Acceptam* autem gloriam revera *feret*, *portabitque*: non abjiciet, non corrumpet, non abſcondet. Ita autem *feret* eam Meſſias, quemadmodum nemo præter eum, ex omnibus etiam Regibus & Sacerdotibus Summis olim ſub œconomia vetere: de quo adhuc aliquid in particulari notabo inferius. Ideo verò inde putem in Hebraico & hic rurſus Textu occurrere והוא ישא הוד / & ILLE *portabit majeſtatem*, quaſi diceret Spiritus S. non *portabit majeſtatem* Joſua, etiamſi duas has coronas jam capiti ſuo impoſitas habeat, (is enim typus duntaxat eſt) non portaverunt unquam majeſtatem κατ' ἐξοχὴν ſic dictam ulli antiqui Reges, aut Sacerdotes; at verò והוא / IL-

Quam accipiet juſto titulo, aut portabit והוא ILLE *ſolus, non negliget, aut abjiciet.*

ILLE, ille idem, qui Vir *Germen*, qui Meſſias eſt, & hujus Oraculi ſubjectum, majeſtatem eam portabit ſolus, & primus, & ultimus.

Et quidem portabit eam gloriam *poſt* ædificatum JEHOVÆ Templum, *cùm* corporis *ſui*, *tum* Eccleſiæ.

XXXVII. Et quidem, nam & hoc notatu quàm maximè dignum eſſe puto, *portaret majeſtatem eam*, *poſt ædificationem Templi Domini*, quæ utique præcedere deberet: in ſignum luculentiſſimum, Meſſiæ eſſe ut prius *minor fieret præ Angelis*, *antequam coronaretur honore & gloria*, *Pſalm.* 8: 6. *coll. Hebr.* 2: 7. *ſeqq.* Hæc enim *diminutio* ipſius comprehendit & aſſumtionem humanæ naturæ, & reſuſcitationem ejuſdem, quæ duo efficiunt *ædificationem Templi prioris* memoratam *verſ.* 12. uti diximus ſuprà §. XXIX. Si dicas, *ædificatio Templi poſterioris* memorata *vers.* 13. etiam præcedit *portationem hanc gloriæ*, & tamen *ædificatio myſtici* ejus *Templi*, ſeu *Eccleſiæ*, ſecuta demum fuit Meſſiæ coronationem, conſequenter fallit modò data animadverſio: Reſpondebo, non quidem *conſummationem* Templi myſtici præceſſiſſe coronationem illam; ſed tamen in illa ipſa diminutione fundamentum exſtructionis Templi Myſtici, ſive Eccleſiæ, jactum fuiſſe, non de jure tantùm per ſua merita, dum Eccleſiam ſanguine emit; ſed & de facto, dum primitias Eccleſiæ ipſius colligit, convertendo diſcipulos multos, conſtituendo Apoſtolos ad plures convertendos, & dando his mandatum ad Eccleſiam ſuam ex Judæis & Gentibus colligendam deinceps. Quæ ubi præceſſiſſent, tunc ille demum *portaturus* eſſet majeſtatem, & ad ſummum gloriae gradum quàm maximè exaltandus ceu talis ab aliis agnoſceretur, *Pſalm.* 95: 1–3. *Eſai.* 24: 14. Quod ipſum diſerte ſatis confirmatur in iis, quæ ſequuntur, ubi *portatio hæc majeſtatis* præcipuè in eo ponitur, quod Vir Germen ſit *ſeſſurus in throno*, & conſequenter ſeſe ibi palam geſturus tanquam populi ſui *Rex* atque *Sacerdos*.

E. Munerum *in ſpecie*: Et ſedebit, & dominabitur in throno ſuo, & ſa-

XXXVIII. Pergit namque Vates: וישב ומשל על כסאו / והיה כהן על כסאו / *Et ſedebit, & dominabitur in ſolio ſuo, & Sacerdos erit in ſolio ſuo.* Doctiſſ. Joan. Druſius ita accipit combinationem hanc verbi *ſedebit ac dominabitur*, ac ſi dictum eſſet, *dominabitur ſedens in ſolio ſuo.* Mihi aliter videtur.

tur. Cur enim non ſequimur ſimplicitatem, quam ipſa verborum poſitio ſuppeditat? Verbum generale eſt, *ſedebit*, ſive *conſidebit*. Quod & ſæpius tam generaliter adhibetur, uti *Pſalm.* 9: 8. *Dominus ſedebit in æternum.* Sic *Pſalm.* 55: 20. 123: 1. Uti verò *ſedendi* notio mox ſupponit *ſedile* aliquod, ita plenius etiam mox exprimitur eadem phraſis, uti additur mentio *ſolii.* Quid autem ſit *ſedere in ſolio* patet ex *Eſth.* 1: 2. *Cum ſederet Rex Ahaſuerus in ſolio Regni ſui*, id eſt, cùm regnaret. Ergo cùm hic dicitur, *Vir Germen ſedebit*, generaliter dicitur eum in ſtatu glorioſo ſeſſurum in *throno.* Tum verò mox in ſpecie explicatur, quid in eo throno ſit acturus, nempe duo ea: *Et dominabitur in throno, & Sacerdos erit in throno.*

XXXIX. כסא / *ſolium* aliquando in genere *ſedem* quamcunque, vel etiam ſedem ornatam dicit 2 *Reg.* 4: 10. plerumque verò in ſpecie deſignat amplam & ſplendidam eorum ſedem, qui in ſumma poſiti ſunt majeſtate: ſive *ſedem Regum*, quæ multo ac pretioſo ornatu ſplendens, & fulcris aliquanto ſupra terram evecta, apud omnes ferme Gentes, in primis Orientales, in honore ingenti haberi ſolebat, tanquam viſibile abſolutæ poteſtatis ſignum: conf. *Gen.* 41: 40. Simili ratione in theocratia veteri Iſraëlis Rex Iſraëlis thronum habebat in Sanctuario, nempe arcam fœderis, inde *thronum gratiæ* dictam, quatenus ei ceu throno inſidebat Deus, in ſignum præſentiæ ſuæ gratioſæ habitans inter Cherubinos *Pſalm.* 80: 1. 99: 1. & deſuper ea gratiam ſuam populo declarabat. At verò veniret tempus, quo derelicta illhac inhabitatione Templi umbratica, *majeſtatem ſuam collocaturus eſſet Deus ſupra cœlos: Pſ.* 8: 2. adeoque *ſolium ejus ipſum* foret *cœlum: Eſai.* 66: 1. ubi *thronus Dei firmatus eſt Pſ.* 103: 19. Neque tamen ſolum *cœlum Dei* eſſet *thronus:* namque Jeremias præclarum hoc edidit oraculum *Cap.* 3: 16, 17. ex Junii autem diſtinctione *verſ.* 11 & 12. *Eritque cum augeſceris & fœtificabitis in hac terra temporibus illis; dictum* JEHOVÆ; *ut non dicant amplius, arca fœderis* JEHOVÆ, *neque veniat in animum: neque recordabuntur ejus, neque recen-*

cerdos erit in throno ſuo. *Phraſis ea non ſit explicanda cum Druſio:* ſedens dominabitur: *ſed diſtincte cum emphaſi. A. In genere, de ſtatu Meſſiæ:* & conſidebit, *ſive ſedem capiet glorioſam* in throno. *Et tunc B. In ſpecie, de actionibus ejus in eo ſtatu:* Dominabitur & Sacerdos erit.

A. Status; Et ſedebit, *nempe* in throno. *Cujus oſtenditur* 1. *Natura, eſſe ſcilicet ſellam majeſtatis.* 2. *Locus, non in ſanctuario, ſed cœlo.*

ſebunt, nedum ut magnificetur amplius. Tempore illo vocabunt urbem Jeruſalemum urbem *ſolii* JEHOVÆ, *& rectà confluent eò omnes gentes ad nomen* JEHOVÆ, *Jeruſalemum; neque ſequentur amplius ſententiam animi ſui mali.* Signa temporum *verſ.* 16. innumerata nos ducunt, ut hoc vaticinium accipi debeat de Eccleſia Nov. Teſt. Prædicitur ergo illam Eccleſiam futuram Dei Thronum, non minus ac olim in Sancto Sanctorum Templi arca Thronus JEHOVÆ fuerat, in qua, uti Domini gloria habitans conſpiciebatur, ita & eadem *gloria Domini* inhabitaret novam illam *Hieroſolymam.* Iſthoc ergo ſenſu *thronus Domini* æque foret in cœlo ac in terra, quatenus in cœlo ſuam quoque habet Eccleſiam & in terra: in qua Eccleſia, veluti in ſolio ſuo habitat & regnat; in terra ſuâ quidem gratiâ; in cœlo autem ſuâ gloriâ. Uti & duplicem eam Eccleſiam quoque Paulus ad unam reduxit ἀνακεφαλαίωσιν *Epheſ.* 1: 10.

3. *Dominus; Thronus* EJUS: *id eſt, vel Dei Patris, uti de Dieu, Coccejus &c. vel ipſius Meſſiæ, cui thronum tribuunt Judæi, & ipſe Spiritus S.*

XL. Ita *throni* naturam & locum ſcimus. Nondum verò *throni Dominum.* Dicitur enim כִּסְאוֹ / THRONI EJUS. Cujus vero? an *Domini?* an verò *Viri Germinis?* Neque hæc quæſtio caret difficultate. Utriuſque enim mentio præceſſit. Neque clarè liquet ad quem affixum EJUS referri debeat. Plurimi intelligunt ſolium JEHOVÆ, ut *cui inſideret* aliquando *Meſſias*, tanquam Eccleſiæ ſuæ *Rex*, ad Patris dextram. Neque hæc throni ad Dominum, ſive Deum Patrem, relatio caret omni emphaſi. Aſſumtio enim Viri Germinis, ad ſedendum in throno Dei, ſignum foret manifeſtum, ipſum omnia, quæ ei, tanquam Mediatori, à Patre peragenda data erant, antea perfeciſſe. Ita capiunt Lud. de Dieu, Coccejus, Jac. Altingius, Witzius. Alii verò capiunt de throno ipſius *Meſſiæ.* Nam ſolium, ſive thronum Meſſiæ quoque peculiarem & proprium adſcribunt Judæi in *Tractat. Sanhedrin Cap.* 4. ubi ad verba *Daniel.* 7: 9. *Uſque dum ſolia poſita ſunt, & antiquus dierum conſedit*; ita quæritur: *Hæc autem pluralia quem ſenſum habent?* Ad hanc quæſtionem reſpondet R. Joannes: *Deus nihil facit, priuſquam conſilium iniit cum familia ſuprema,*

ma, juxta illud quod dicitur Dan. 4: 14. In decreto vigilum ſententia eſt, & in verbo ſanctorum rogatio. Quæritur rurſus: *Hoc bene eſt, quod ſic percipere poſſumus: at quid dicis de illo, ubi dicitur*, uſque dum ſolia ponerentur: *quid dicendum eſt?* Reſpondetur; *unum ipſi*, ſcil. Deo; *alterum Davidi*, id eſt, Meſſiæ. Satis enim ſuperque notum eſt per Davidem à Judæis, præeunte & S. Scriptura *Hoſ. 3: 5.* Meſſiam intelligi. Duos itaque thronos ſtatuunt Judæi, *unum* qui *Dei* ſit, *Meſſiæ alterum.* Nec Judæi tantum, ſed & ipſe Dei Spiritus Meſſiæ thronum diſerte adſcribit *Pſalm. 45: 7.* ubi ad Meſſiam dicitur: *Thronus tuus*, (& occurrit hic idem nomen אֱלֹהִים) *ô Deus, in ſeculum* & ſempiternus eſt.

XLI. Si nunc quærat quiſpiam, quæ harum duarum interpretationum præferenda ſit? Reſpondebo, ambas ſuis quidem non eſſe deſtitutas rationibus. Mihi nihilominus, ut animi mei ſenſa libere dicam, hactenus magis arridere priorem, quæ hoc ſolium ad ipſum JEHOVAM refert. *Primò* quidem, quia JEHOVA proximum eſt ſubjectum, cujus *Templum* hic *Vir Germen* ædificaturus eſſe dictus erat. *Deinde*, quia JEHOVÆ erat Meſſiam, poſt humiliationis ſuæ exantlatos labores, ad *ſolium* illud *ſuum* evehere, in reportatæ victoriæ ſignum & præmium luculentiſſimum. Conf. *Pſalm. 110: 1.* ubi Meſſias tanquam Rex ſedens ad *dextram* JEHOVÆ introducitur, quod abſque ſolio JEHOVÆ concipi nequit. *Tertiò*, quia in ſequentibus dicitur fore, ut *ſit conſilium pacis inter illos ambos*, puta JEHOVAM & Meſſiam, quod conſilium non adeo in Meſſiæ, quam ipſius JEHOVÆ throno initur. Accedit *Quartò*, quod ipſe Chriſtus dicat *Apoc. 3: 21. ſe, quando vicerat, ſedere cum Patre in throno* EJUS. In quo loco evidentiſſima alluſio eſt ad hoc ipſum Zachariæ Oraculum. *Thronus* ergo, in quo *ſedebit Vir Germen*, eſt ſine dubio *thronus Dei Patris.* Sed idem tamen *thronus* fit etiam thronus *Viri Germinis*, ubi hic ſeſſionem in illo accipit. Sic enim idem rurſus ait Chriſtus *loc. cit. Apoc. 3: 21. Qui vicerit, tribuam ei ut ſedeat mecum in throno* MEO, *quemadmodum & ego vici, & ſedeo cum Patre meo in*

Quarum explicationum prior præfertur poſteriori ob rationes quatuor. Ita ut 4. Conſeſſor in eodem throno JEHOVÆ ſit Meſſias.

throno EJUS. Qui primò vocabatur thronus *Chriſti*, deinceps dicitur thronus *Patris*, & promittitur vincentibus, quod unà ibidem ſeſſuri ſint cum Chriſto; id eſt, eadem cum ſuis a Chriſto communicanda ſit judicandi regnandique dignitas, quam cum Chriſto, poſtquam graviſſimis afflictionibus defunctus fuiſſet, communicaverat Deus Pater. Quæ a Patre ad Filium, a Filio ad fideles tranſiens communicatio, cùm in duplici throno commodè fieri poſſe haud videatur, malumus aſſerere, unum eundemque duntaxat eſſe *thronum Divinum*, qui vario reſpectu nunc JEHOVÆ, nunc Meſſiæ thronus audiat. Quo etiam reſpectu, uti non malè obſervatum eſt ab Eruditis, eleganter Patres Græci Chriſtum vocaverunt Σύνθρονον τῦ Πατρὸς, nec non σύνεδρον τῷ ἰδίῳ Πατρὶ, ob communicatam ſcilicet ſeſſionem in throno eodem cum Patre. Hanc verò phraſin tranſſumtam eſſe ab Ethnicis, qui vocabula σύνθρονος & πάρεδρος in *conſecrationibus* uſurpabant, & συνέδριον, *concilium*, ſive *collegium* quoddam Deorum ſtatuebant, ex variis Scriptoribus diligenter & eruditè obſervavit Camp. Vitringa *Obſerv. Sacr. L. 2. C. 5. p. m. 74.*

Nam ſedebit ibi triplici ſenſu, ut conſtitutus 1. In dignitate regia. 2. In quiete & regia & ſacerdotali. 3. In plena ſecuritate & conſtantia tam regni, quam ſacerdotii.

XLII. *Throni* vidimus *Naturam*, *Locum*, *Dominum*, & *Conſeſſorem* EJUS, i. e. *Virum Germen*. Videamus porro quo ſenſu dicatur *Vir Germen* ibi *ſedere*. Triplici autem phraſi hic utitur Zacharias: SEDEBIT, & DOMINABITUR *ille in throno ſuo*, & SACERDOS *erit in throno ſuo*. Ipſa poſitio, ſive conſtructio horum verborum indicat, quod & ſuprà diximus, illud *ſedere* ita referendum eſſe ad duo ea quæ ſequuntur, ut generalius ſit; quaſi diceret Propheta, *Sedebit ille*, ut ſedens ille duo illa peragat, ut nempe *Dominetur*, & inſuper adhuc ſimul *Sacerdos ſit*. *Sedere* geſtus eſt hominis auctoritatem exercentis, ſive id faciat tanquam Doctor, *Matth.* 23: 2. ſive tanquam Judex, *Eſai.* 28: 6 & *Matth.* 19: 28. ſive tanquam Rex: 1. *Chron.* 29: 23. *Sedere* etiam geſtus eſt quieſcentis poſt peractos labores, ut pernotum eſt. *Sedere* etiam eſt ſecuri, nihil timentis, & à nemine terrefacti, ut *Mich.* 4: 4. In *Virum Germen* omnes

iſtæ

istæ significationes quadrant. Juxta *primam* τὸ וישב notabit Regiam majestatem & munus, quod Messias erat habiturus, & quod in sequentibus clarius insignitur per משל / *dominari*. Juxta *secundam* notabit, Messiam post *animæ suæ laborem* exactum, quieturum in statu illo dignitatis, tanquam præmii per laborem promeriti: *Esai.* 53: 11, 12. immo & quieturum illum tanquam qui opus suum sic consummavit, ut nihil amplius laboris agendum habeat. Quod referri posse mihi videtur ad utrumque modò nominatum munus, *quiescet* ut *Dominator*, quatenus victoriâ, per passiones suas a Serpente semel reportata, exspectandum modò habet, donec *omnes inimici sui*, unus post alterum, *ponantur scabellum pedum ipsius*, *Psalm.* 110: 1. *Quiescet* etiam ut *Sacerdos*, quatenus, unâ hostia semel oblata, non opus habet identidem iterum offerre, uti Pontifices Vet. T. sed vi unius istius sacrificii tantùm intercedit pro iis, qui per eum ad Deum accedunt, ut eos salvos faciat: quæ ipsius Pauli animadversio est ex notione ישב *sedendi Hebr.* 10: 13, 14. quam ego latius illustrabo ex ipsis etiam Judæis infra §. XLVII. Juxta *Tertiam* denotabit quoque τὸ ישב perpetuam ejus Regni constantiam, durationem atque immobilitatem, quod non movebitur in omnem æternitatem. Vid. *Dan.* 2: 44 & 7: 14. Sic οἱ LXX τὸ ישב vertunt passim per οἰκεῖν, παροικεῖν, μένειν, & similiter. Immo significat non *Regni* tantùm talem constantiam, sed & *Sacerdotii* ejus, quod Deus expresse juravit *æternum* fore *Psalm.* 110: 4.

XLIII. Ita ergo sedens ibi Messias non foret tamen otiosus, sed hæc sua munera vere administraret, quod primum docetur de Regno, ubi dicitur: *Dominabitur ille in solio ipsius.* Hæc imperii ejus descriptio ipsum actuale dignitatis notat exercitium, uti id Regibus re ipsa competit in throno sedentibus. Hoc enim etiam ille verè exerciturus erat in Ecclesia sua & regenda & defendenda. Inde vocatur Rex *Psalm.* 2: 8. nec non *Jer.* 23: 5. quod ibi latius adstruximus. Et alibi etiam ab hoc משל / *dominari*, denominatur מושל / *Dominator*: 2 *Sam.* 23: 2. & *Jerem.* 30: 21. ubi & hæc uberius

B. Actiones, sive functiones munerum in eo statu. 1. Dominabitur ibi, ut Rex in regno cælorum.

rius a nobis sunt explicata. Dicitur autem cum emphasi, dominabitur הוא / ILLE; 1. Quatenus *dominationem* eam administraturus esset magna potentia & gloria: *Esai.* 9: 5, 6. subditos sibi parando, & judicando hostes *Gen.* 49: 10. Immo & 2. Quatenus id facturus esset solus, sine dominatoribus aliis Diisve nominatis, qui, qualescunque demum essent, abolendi forent omnes, *Zach.* 11: 8. *Psalm.* 82: 6, 7. ut ita *imperium traderetur filio hominis Dan.* 7: 14. Tunc obtineret id quod dicitur *Esai.* 33: 22. JEHOVA *est Rex noster:* JEHOVA *est Legislator noster:* JEHOVA *est Judex noster: ille nos salvabit.* Quod omne spiritualiter est capiendum, *Psalm.* 68: 19. 110: 2, 3, 5, 6. cùm Messiæ Regnum sit cœleste prorsus, uti & phrasi Judæorum illud audit מלכות שמים / *Regnum cœlorum.*

2. Sacerdos erit *ibi.* כהן Sacerdotem *notat: at non alium quam* virum Germen. *Uti Judæi hoc referunt vel, ad Jehosuam Pontificem; vel, ad alium sacerdotem tempore Messiæ exstititurum: nec non & Cyrillus deceptus versione* ἢ LXX.

XLIV. Non autem foret hoc Regnum meræ potestatis, sed in justitia fundari debebat. Atque eam ob rem additur; והיה כהן על כסאו / *Et erit Sacerdos in throno ipsius.* Ita quippe hic vertimus vocem כהן per *Sacerdotem:* quia significationem eam non tantùm habet ex nativa origine, uti pluribus adstruximus in *Libro de Sacerdotio Christi juxta ordinem Melchizedeci* ad *Psalm.* 110: 4. *Cap.* 11. §. 3. *& seqq.* verùm & quia hic loci eandem servandam esse, scopus ac rerum contextus necessariò evincit. In distinctione enim à priore משל / *dominari*, hic additur והיה כהן / *Et erit*, sive *etiam*, *insuper*, *adhuc erit Sacerdos.* Verùm removenda hic est magna difficultas, quæ contra hanc explicationem oriretur, si posterius hoc munus ad aliam personam referatur, quam ad *Virum Germen*, qui *dominabitur.* Et tamen sunt, qui ita statuunt præeuntibus Judæis, in quibus hujus opinionis causa haud procul petenda, quandoquidem Messiæ Sacerdotium nullum concipiunt. Existimant igitur eorum alii Prophetam hic de *Josua Sacerdote* sermonem inchoare. Alii verò promissionem fieri censent indefinitam de *alio* quodam *Sacerdote*, tempore Messiæ excitando, qui æque ac Messias sessurus in throno Dei, & Sacerdotium tunc

tunc administraturus esset, sicuti Messias Regnum. Quem in finem illud עַל כִּסְאוֹ explicant *coram throno ejus*. At verò nullum afferunt locum, in quo particula עַל veniat hùc in significatione pro *coram*, & commenta hæc satis arguunt eos in personæ & munerum Messiæ mysterio valde obfuscatos habere oculos, ea dividentes separantesque, quæ Deus O. M. in uno illo Messia conjunxit. Quam veritatem cùm agnoscant Christiani ad unum omnes, multo magis mirandum est, quod & inter Patres Theodoretus, & Cyrillus somnient hic etiam Sacerdotem a Rege distinctum. Cui opinioni occasionem præbuisse videtur versio Græca Septuaginta-viralis dicta, sic legens: Καὶ ἔσται ἱερεὺς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ: *Et erit Sacerdos a dextris ejus*: cùm juxta Textum Hebræum, etiam in posteriori membro, legendum esset, ἐν θρόνῳ αὐτοῦ, *in throno ejus*. Ex quo probabile est hos Interpretes aliam cogitasse personam, quæ Sacerdos foret *a dextris ejus*, & aliam, quæ tanquam Rex sederet in throno. Nos verò Sacerdotem hunc eundem esse cum Messia, qui simul & Rex & Sacerdos esset futurus, sequentibus argumentis contra Judæos facile evincimus.

Sacerdos hic idem esse Messias demonstratur per quinque argumenta, unà cum testimonia Judæorum antiquorum.

XLV. 1. Quia etiam in hoc orationis membro sermo continuatur de eodem illo subjecto, quod in initio Oraculi nominatum fuerat, *Vir Germen*: de illo, & de nullo alio, omnia prædicata hucusque pronuntiata fuerunt. Si absque ullo novi subjecti indicio liceret prædicata sequentia sic a prioribus avellere, & ad aliud pro lubitu a nobis fictum subjectum referre, jam actum foret de interpretatione omni. 2. Idem patet quoque ex typo coronati Josuæ, qui, etiamsi Sacerdos, coronam quoque, Regni signum, gestat in capite, ut hoc pacto unus ille Josua, duplicis muneris insignibus ornatus, non duas personas, sed unam, id est, Messiam, at duobus hisce muneribus ornandum, adumbraret. 3. Id itidem patet ex analogia fidei apud Scriptores sacros Zacharia anteriores de Messia traditæ. Nam in eâ Messias tanquam & Rex & Sacerdos simul futurus depingitur: uti *Psalm.* 110: 1. & 4. *Jer.* 30: 21. Quod vel ex ipso ejus typo Mel-

Melchizedeco patebit, qui unà exſtitit & *Rex Salem*, & *Dei altiſſimi Sacerdos: Gen.* 14: 18. Ab ea Theologia Meſſias noſter non poterat deviare: qui & ideo Meſſiæ Sacerdotium, tanquam antitypum illius Aäronici, deſcripſerat *Cap.* 3: 8. & *ſeqq.* Cùm ergo & hic loci ſatis ſuperque in antecedentibus fuiſſet actum de Meſſiæ Regno, debebat etiam ejus ſacerdotium addi. Et conſequenter id, quod ſequitur, de ejus Sacerdotio intelligendum venit. 4. Præſertim, cùm hoc Domini Templum, quod Meſſias hic prædicebatur ædificaturus, æque, immo magis, *Sacerdote*, pro Eccleſia ſe offerente ac intercedente, indigeret, ac *Rege*, eam regente ac defendente. Quod poſterius officium, cùm non homo aliquis, ſed ipſe Meſſias omni humano Rege major, Templo iſti præſtiturus eſſet, quis credat *Sacerdotale* officium ejus Templi, quod Meſſias ædificat, adminiſtrari poſſe ab ullo alio præter eundem illum Meſſiam? Poſſumus verò 5. Et iſtud addere, utramque Judæorum explicationem ſuprà a nobis adductam nimis abſurdam eſſe, ut contra tam claram & facilem hujus Oraculi explicationem, qualem jam dedimus, in ullam conſiderationem venire debeat. Etenim, quivis videt Joſuam hic intelligi non poſſe: ille quippe jam exſtabat revera aderatque, cùm hic Sacerdos promittatur poſt ſecula demum futurus tempore Meſſiæ. Quàm etiam jejunum eſt ac frigidum hic quemcunque alium fingere Sacerdotem, in diebus Meſſiæ quaſi futurum, de quo nihil nobis dicere poſſunt ex præcedentibus Prophetiis, quemque ex ſolo ſuo comminiſcuntur cerebro, tantùm ut *Virum Germen* ab honore Sacerdotii, in hoc eodem Oraculo promiſſi, removeant. Non debet in vago fingi Sacerdos aliquis, neſcio quis, cùm hic ſermo definitus occurrat evidenter promittens eum, qui tanquam *Rex dominaturus erat in throno*, itidem fore *Sacerdotem*. Adeo ut hæc poſtrema verba ſint inter prædicata, quæ *Viro Germini* Regi adſcribuntur. Quod, ut hoc tandem 6. Addam, neque citra Judæorum omnium eſt aſſenſum, etiamſi enim rem ipſam haud probè intelligant, bona permiſcentes malis, eorum tamen ſaniores Meſ-

ſiæ

ſiæ *Pontificis Summi* titulum nequaquam invident. Ita quippe Targum Jonathanis in *h. l. Virum Germen* non modò rectè interpretatur per *Virum Meſſiam*; ſed & reliqua Oraculi hujus verba ita vertit: וְיהֵי כָּהֵן רַב עַל כורסוֹהִי / *Et erit ſummus ſacerdos in ſolio ſuo.*

XLVI. *Vir Germen* ergo foret ſimul *Sacerdos in throno Dei.* Et ut idem ille hoc duplex munus ita haberet conjunctum, ſummopere erat neceſſe: quia, uti duo illa munera in Meſſia paſſim conjunxit Spiritus S. *Pſalm.* 110: 1. & 4. *Jerem.* 30: 21. & hic loci, ita ipſa rei natura poſtulabat, ut hoc Regnum fundaretur in *veritate & juſtitia*, *Pſ.* 89: 15. utque præterea Dei juſtitiæ ſatisfaceret Meſſias *animam ſuam ponendo* אשם / *ſatisfactionis pretium*, & tunc demum *viſurus ſemen: Eſai.* 53: 10. Quæri autem hic poteſt, cur Spiritus S. ubi duo illa munera in Prophetiis Meſſiæ ſimul tribuit, ſoleat *Regnum* præmittere *Sacerdotio*, uti & hic loci; cùm tamen Meſſias deberet prius ſanguine ſuo emere ſubditos, antequam Regnum capeſſere poſſet; ſive, uti ait ipſe *Luc.* 24: 26. *pati* prius, & tunc demum *intrare in gloriam ſuam?* Reſpondeo, Prophetias eſſe quaſi patefactiones Teſtamenti divini. In teſtamento autem divino videtur Regnum Filio eſſe ordinatum ſub conditione & pacto ſatisfactionis ſacerdotalis. In Prophetiis ergo etiam Regnum Meſſiæ prius promittitur; at ſimul ſubnectitur obligatio ejus ad conditionem eam præſtandam.

Dicitur autem, Et dominabitur, & ſacerdos erit, *quia* dominium & ſacerdotium *in Meſſia* conjungenda erant. *Ubi*, *quæritur*, *cur* dominium *præmittatur* ſacerdotio?

XLVII. Præterea & illud in hoc Oraculo notabile eſt, quòd Meſſias dicatur futurus *Sacerdos in throno Dei:* ut ſcilicet primùm præmoneatur hujus Prophetiæ Lector, ne cum Judæis alium hic *Sacerdotem*, quàm eundem illum intelligant, qui *Dominaturus* eſſet *ſupra throno Dei.* Deinde ſimul, ut maxima excellentia hujus *Sacerdotis* oſtendatur, utpote qui apud Dei dextram in gloria ſua regia adhuc ſit functurus ſacerdotio pro ſuis, & ſibi poſtulaturus ipſorum ſalutem: *Pſalm.* 2: 8. 21: 5. Porro non debet abſque animadverſione præteriri in noſtro Oraculo, quòd Meſſias di-

Sacerdos *autem non minus* erit ſupra throno ejus, *quam* dominator ſuper throno ejus. *Nec minus tanquam ſacerdos* 1. Sedebit *ibi*, *quam tanquam*

Dominator. catur non ſolùm fore *Sacerdos in throno ſuo*; ſed fore *ſacerdos in throno ſuo* poſtquam jam *ſederet*, aut *conſediſſet ibi*, adeoque etiam in ſtatu illo *ſeſſionis* fore *ſacerdos*. In tanta enim emphaſi, & non ſenſu, uti Druſius volebat, tam exili, illud *ſedendi* verbum ex antecedentibus eſſe repetendum, & hic ſubintelligendum ſuprà dixi §. XXXVIII. quod magnam emphaſin habet. Ita namque aliquid denotatur, quod *ſoli Meſſiæ ſacerdoti* præ omnibus Aäronicis peculiare foret; ut & jam ſuprà incepi dicere §. XLII. Nempe omnes Sacerdotes miniſtrantes in Templo *ſtabant*. Ita dicitur diſertè *Pſalm.* 134: 1. *Benedicite* JEHOVÆ *vos omnes ſervi* JEHOVÆ, *qui* STATIS *in domo ejus*. Paulus etiam de Sacerdotibus teſtatur *Hebr.* 10: 11. *Omnis ſacerdos* STAT *quotidie ſacro miniſterio defungens*. Et uno ore tradunt Doctores Judæi, nemini, quisquis demum ille fuerit, licitum fuiſſe in Templo *ſedere*, ne quidem ipſi Summo Sacerdoti, niſi Regi duntaxat ex ſtirpe Davidica ortum habenti, & huic quidem, juxta nonnullos, ad dextrum altaris latus: uti dicitur 2 *Sam.* 7: 18. *Ingreſſus eſt Rex David, & ſedit coram Domino.* Lubet hæc ex ipſo Moſe Maimonide audire, *de Regibus Hebræorum Cap.* 2. §. 4. *Si Rex intret atrium Sanctuarii, & ſit ex ſemine Davidis, ſedebit. Nam non eſt ſedes in atrio, niſi ſolis Regibus domus Davidis, ſicut dicitur* (loc. cit.) *Tunc intrabat David, & ſedebat coram facie* JEHOVÆ. Merentur conferri Clar. Melch. Leideckeri *Notæ* in *h. l.* Maimonidis, nec non Schickardus *de Jure Regio Hebræorum* cum *Notis* Carpſovii *Cap.* 4. *Theor.* 13. p. m. 235. Cæteroquin, quod ad Sacerdotes miniſtrantes attinet, hæc a Doctis citantur verba ex eodem Maimonide in *Biat Hammikdaſch Cap.* 5. אין עבודה אלא מעומד וכ"ל / *Non eſt miniſterium niſi ſtantis: quia dictum eſt* (*Deut.* 18: 5.) *ut ſtent ad miniſtrandum.* Talia etiam memorat R. Sal. Jarchus ad *h. l.* Addunt porro: *Quiſquis igitur ſedens miniſtrat, profanus eſt, irritumque eſt miniſterium ejus.* Nec Sacerdotes modò miniſtrantes, ſed & omnes qui in Sanctuario orabant Deum Iſraëlitas ſtetiſſe, obſervavit etiam Guil. Outramus *de Sacrificiis*

Lib.

Quod magnum Meſſiæ ſacerdotis præ omnibus ſacerdotibus Aaronicis privilegium eſt; uti ex S. Script. & Judæis oſtenditur eos ſtantes miniſtraſſe. Stationis illius ſacerdotalis cauſa erat non tam reverentia Numinis, quam imperfectio functionis ipſorum nunquam omittendæ, ſed identidem repetendæ.

Lib. 1. *Cap.* 6. §. 15. Qui & ab hac *ſtatione* deducit, quòd illi, qui totius cœtus Iſraëlitici perſonâ induti Sacris publicis interfuerunt, dicti fuerint אנשי מעמד / *viri Stationarii.* Quod ſi ita ſit, conſuetudinis tam univerſalis ratio etiam fuerit idonea; quæ in genere ea quidem dari poteſt, quæ a ſumma petitur reverentia Numini Divino debita, quæ jubeat ne ſedeant, at verò ſtent Sacerdotes ei miniſtrantes. Verùm & alia adeſt peculiaris magis, quam Paulus ipſe nobis ſuppeditavit, quòd ſcilicet quotidie STABAT unuſquiſque Sacerdos, *easdem ſæpe offerens hoſtias, nunquam peccata auferre valentes*, *Hebr.* 10: 11. atque eam ob cauſam quotannis die expiationis magnæ repetendas, uti obſervaverat *Hebr.* 10: 1, 2. At contra Meſſias. Quod eleganter denuo adſtruit idem Paulus Apoſtolus *loc. cit. verſ.* 12. *Unâ pro peccatis ille oblata victima*, CONSEDIT *ad dextram Dei in perpetuum:* tanquam officio ſacerdotali plane & plene defunctus.

XLVIII. SEDERET ergo tanquam *quieturus*, & ita quidem, quod ſecundo loco ex collatione præcedentium hic obſervo, ut *geſtaret decorem*, quem contrà Pontifex Levitieus poſt peractum ſuum munus, unà cum ornatu pontificali, deponere tenebatur, aſſervandum denuo in quodam Templi conclavi. De qua veſtium cuſtodia Pontificalium magnæ aliquando inter Judæos ac Romanos lites fuerunt: uti vides apud Joſephum *Antiquit. L.* 18. *Cap.* 6. & *L.* 20. *C.* 2. Denique & iſtud Tertiò ex Antiquitatibus Hebræorum hic obſervo, non licuiſſe etiam Sacerdoti Summo die expiationis magnæ apud Deum pro populo *ſtanti*, diu morari in Sancto Sanctorum coram propitiario, ſed ilico inde ipſum functione peracta diſcedere debuiſſe, *ne metum Iſraëli injiceret*, mortis ſcil. repentinæ ob expiationem non legitimè peractam. Vid. *Cod. Jomæ Cap.* 5. §. 1. Quare etiam maturare ſolebat exitum, ne ipſum in Sanctuario mortuum populus ſuſpicaretur. Ideo etiam Maimonides in expoſitione ſuper verba modò adducta hæc habet: *Timebant ne ipſi acciderit mors: quandoquidem multi Pontifices maximi obierunt in Sancto Sanctorum, ſi indigni fuerint, aut ſi quid mutaverint in oblatione*

2. *Tanquam Sacerdos etiam* decorem geſtabit in perpetuum, *quæ alterum Meſſiæ privilegium ſupra Aaronicos ſignatur.*

3. *Tanquam Sacerdos ſedebit* ſemper coram Deo, *immo* in throno ejus.

thymiamatis. Et hæc causa est procul dubio, cur populus adeo sollicitus fuerit de salute Zachariæ sacerdotis, patris Joannis Baptistæ, quod solito diutius hæserit in Templo: *Luc.* 1: 21. Et Lex etiam divina toties repetierat hanc comminationem, *ne moriatur*, *Levit.* 16: 13. At verò Messias sine ullo simili metu *sessurus* erat in Sanctuario cœlesti, & quidem in ipso throno Dei, ibidemque permansurus semper: quemadmodum Hebræum verbum ישב non solùm significat *sedere*, sed & *manere*, & *permanere*. Ita Græci LXX. τὸ ישב *Deut.* 9: 9. interpretantur per καταγίνεσθαι, *morari*, *perseverare*.

XLIX. Dicitur quidem hic fateor; *Et erit sacerdos in throno*; non verò dicitur: *Et sedebit*: quasi similis esset antiquis sacerdotibus, quibus *statio* competebat, nequaquam *sessio* in Sanctuario, multo minus *in throno*; quod Regum proprium erat: vel etiam, si ad thronum illum Sanctuarii, de quo suprà §. XXXIX. alludatur, Dei scil. solio suo super propitiatorium inter Cherubinos insidentis; sed verò verbum *sedere*, prout jam antè observavi §. XXXVIII & XLVII. jam generaliter & emphatice præmissum erat, adeoque hic tanquam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum est. Vati enim nostro est propositum contrarium ejus, quod olim obtinebat, proindeque Messiæ excellentiam summam præ reliquis Sacerdotibus, cum manifesta ad eos oppositione, insigniter delineare. Neque etiam diffiteri alterum volo, quod videri posset datæ explicationi nostræ obstare, quodque nonnulli Eruditi ex Aben Ezra aliisque notarunt, præter Regem nempe licuisse aliquando ipsi quoque Sacerdoti Summo in Sanctuario *sedere*, non quidem in Sancto Sanctorum super solio Dei, sive propitiatorio, immo ne in Sancto quidem; attamen in atrio, & quidem, uti volunt, in *atrio Mulierum*, sicut Rex sedisse fertur in atrio *Virorum*. Possunt consuli Melch. Leideckeri *Notæ loc. cit.* nec non præter ibi citatos Auctores Joh. Braunius de *Vestitu Hebræor. Sacerd. L.* 2. *C.* 26. §. 712. Ego eam rem hic pluribus inquirere impræsens nolo. Id duntaxat dicam, hoc si vel maximè constaret, tum adhuc hoc respectu supra typi-

Duplici difficultati occurritur: & ad duo alia, de combinatione regni *&* Sacerdotii *in uno Messia; nec non de incipiendo* regno & sacerdotio *demum sub Novo Test. quibus tamen Messias jam sub Vet. T. functus dicitur, discenda ablegatur Lector ad Librum de Melchizedeco.*

picum Pontificem M. excellere Meſſiam, utpote qui ſeſſurus erat, non in atrio aliquo exteriore, ſed in ipſo Sancto Sanctorum, in throno quidem Dei, idque adhuc tanquam & Rex & Sacerdos ſimul. In qua combinatione duorum munerum in Meſſia, & quidem in illo ſolo, novam præcellentiam hic notare deberem, niſi quæ in eum finem olim in hac Diſſertatione mea ad hunc locum ſcripſeram, diligentius poſtea reſcripſiſſem in meo Libro *de Melchizedeco Cap.* IV. §. 5. & *Cap.* VII. §. 3. *& ſeqq.* Neque opus etiam eſt hic quærere, quamobrem Meſſias hic dicatur in futuro, *dominaturus* ut *Rex*, & *futurus Sacerdos*, cùm vulgò ſoleat dici jam ſub toto Veteris Teſt. tempore, longè ante hoc Zachariæ Oraculum, fuiſſe *Rex* & *Sacerdos* ſuæ Eccleſiæ? Nam & hanc difficultatem haud inconſiderate, at diſtinctè ſatis, ut puto, expedivi eodem *Lib. de Melchizedeco Cap.* III. §. 17 & 23. Quamobrem Lectore meo hinc ad loca iſta ablegato, tranſeo, juxta ordinem præſtitutum §. VI. ad conſiderandum horum omnium Fundamentum obſcurioribus hiſce comprehenſum verbis: ועצת שלום בין שניהם / *Et conſilium pacis erit inter ambos illos.*

III. FUNDAMENTUM *horum omnium* prædicatorum *aſſignandum*: Et conſilium pacis erit inter ambos illos. 1. Ambo illi *non ſunt duo populi, ſive Judæi & Gentes, ſive Iſraël & Juda; ſive Judæi in Babylonia & Canaäne.*

L. Primò etenim hic quæritur, quinam ſint illi *Ambo?* Et variant in eo Interpretes. Intelligunt namque nonnulli *duos populos*, eosque vel Judæos & Gentes: vel ipſos etiam Judæos, in Iſraëlem olim & Judam diſtinctos: aut etiam, prout quidam malunt, tempore Zachariæ Prophetæ ſeparatos diſtinctione inter illos, qui permanſerant in Babylonia, donaque illa auri argentique Templo dederant; atque illos, qui jam reduces in Canaäne habitabant. Quod ad Gentes Judæosque attinet, notius eſt quàm ut moneri neceſſe ſit, exſtitiſſe quondam parietem intergerinum, quo a communione Iſraëlis arcerentur Gentiles, tunc temporis *extranei quod ad pactorum promiſſiones attinet*, qui conſiderarentur proinde tanquam tales, *qui procul* eſſent, quorum *pacem quærere* Iſraëli planè erat interdictum *Epheſ.* 2: 12. *ſeqq. Deut.* 23: 6. Inter hos verò populos Meſſiæ tempore exoritura eſſet pax, deletâ omni, quæ prius fuerat, inimicitia; adeo ut illi

illi *qui longinqui erant*, *venturi ſint ac ædificaturi in Templo* JEHOVÆ, prout promittitur ab hoc ipſo Zacharia hoc ipſo *Capite verſ.* 15. *ſeqq.* Qui autem hoc de Judæis ipſis intelligunt, ante in duo Regna, Iſraëlis puta & Judæ, diviſis, vel noſtri etiam Prophetæ diebus adhuc juxta duplicem habitationis locum, Babyloniam ſcilicet & Palæſtinam, ſeparatis, rem ita concipiunt, eos nimirum omnes pacem inter ſeſe eſſe culturos, abſque ulla ſingularum tribuum inter ſe invicem averſione, ut ſic ſub Meſſia in primis pacati vitam ducerent planè tranquillam & concordem, qualis reſpectu olim diſtinctorum in duo regna, & antea promiſſa erat aliquando inter Judam & Ephraimum futura apud *Eſai.* 11: 13. qualisque etiam reſpectu ſeparatim adhuc habitantium ſignificata modò fuerat per ſignum Zachariæ Vati mandatum, ut aurum ſumeret argentumque tam a deportatis, & adhuc in Babylonia habitantibus, quàm ab iis qui illinc reverſi fuerant in Palæſtinam, atque ex ea materia inter ſe juxta quosdam mixta; juxta nos verò (vid. ſupra §. III. & IV.) ſuper caput Joſuæ, etſi in diſtinctis coronis, combinandas, duas conficeret coronas.

Quod diſtincte oſtenditur.

LI. Quod ad me attinet, tametſi explicatio ea §. præcedenti exhibita, nihil contineat à veritate rei, aut etiam à dignitate verbi Prophetici alienum, non video tamen eam cum occaſione hujus Oraculi, aut connexione antecedentium convenire. *Gentium* quippe nulla facta fuerat in præcedentibus mentio. De ſeparatione inter *Ephraimum* & *Judam* nullus antè ſermo; cùm tamen phraſis ea, *ambo illi*, videatur ſupponere duo ſubjecta Lectori prophetiæ ex contextu facile cognoſcenda. Dicitur quidem *verſ.* 15. eos, *qui longinqui ſunt venturos &c.* ſive per hos intelligas Ethnicos, ſive Iſraëlitas diſperſos; ſed iſtud pro nova habendum eſt prædictione, ex qua explicari haud debet phraſis, quæ adeo longè jam præmiſſa erat, ut totum comma *verſ.* 14. de rebus planè aliis loquens, interjectum eſſet. *Judæorum* in Babylonia hærentium, fateor, facta fuerat mentio in antecedentibus *verſ.* 10. Et ſi ex tribus jam memoratis opinionibus,

nibus unam eligere deberem, hanc reliquis præferrem. Ad hos enim illa etiam prædictio *verſ.* 15. *de longinquis venturis, & ædificaturis in Templo Dei*, facilè referri poteſt. Nam talis ædificationis ſignum jam illi dabant per aurum & argentum ad Templum è Babylonia, terra ſatis longinqua, miſſum. Veruntamen haud video, quo ſenſu prædici poſſet *pacis conſilium* futurum inter Judæos eos Babylonicos, & hos in Canaäne degentes. Nulla enim inter eos diſcordia erat; nulla etiam pactio inter eos facta fuit. Erant & manebant unus populus, una Eccleſia. Et unionem eam hoc ipſo tempore demonſtrabant dona ea ad Templum mittentes, tanquam ad Templum etiam ſuum: de quo dixi antea §. III. Alia ergo nobis explicatio quærenda eſt.

LII. Alias autem mente cogitationes volvunt alii, rati non de *populis*, ſed de *perſonis* oraculum hoc explicandum eſſe. Per quas tum intelligunt Zerubbabelem & Joſuam, inter quas mutua ſit futura pax & concordia. Ea in ſententia præ primis ſunt Judæi antiquiores, quorum jam tempore ſuo meminit Hieronymus in *h. l.* & recentiores Sal. Jarchus, Aben Ezra, Kimchius, alii: immo & Chriſtiani quidam, cùm veteres, & inter eos judicio ac doctrina valentes Patres Theodoretus & Cyrillus; at hic non ſatis ſibi ab fermento Judaico caventes: nec non & recentiores, Pellicanus, Lyranus, & qui porro eos ſequuntur. Sed hoc male. Neque enim in verbis noſtris, neque eorum connexione, ullus eſt de Zerubbabele ſermo, qui hic proinde ne minimum quidem conſiderandus venit. Accedit, optatam re ipſa pacem & concordiam mutuam inter Viros hos ambos tam impræſens interceſſiſſe, cùm tamen in Textu prædictio inſtituatur *conſilii pacis*, ejus quod adhuc futurum eſſet, & hujus quidem promiſſi *Germinis* temporibus.

Non etiam duo homines Serubbabel & Jehoſua.

LIII. Quod alii probè animadvertentes ad alia idcirco commenta deflectunt, intelligentes per *hos ambos* primò Meſſiam *Dominatorem*: dein verò aliquem coætaneum ipſi Sacerdotem, quem in diebus ejus unà exſtiturum fingunt, uti & ſupra §. XLIV. notavimus, & cujus miniſterio uſurus ſit

Non etiam Meſſias, & Sacerdos ille tempore Meſſiæ exſiturus.

Rex

Rex Meſſias. Inter hos verò ambos, inquiunt, *pax* erit & concordia perfectiſſima, absque ulla unquam lite aut diſſenſione vel minima, quemadmodum nunc temporis talis amicitia obtinebat inter Joſuam Sacerdotem, & Zerubbabelem Principem. His *duobus* tum porro applicant illud *Pſalm.* 133: 1. *Ecce quam bonum & jucundum eſt fratres etiam unà habitare:* quia ſcilicet Meſſias cum hoc ſuo Sacerdote, ad inſtar duorum fratrum, in optata pace ſedebunt, ac dominabuntur unà. Hactenus Judæi Doctores Abarbanel & Abendana. Verùm fruſtrà. Etenim, per alterum ex his duobus eos Meſſiam intelligere, id hucusque bene habet, facitque vel ad eorum inter Chriſtianos confuſionem, qui uti modò tales memoravimus, hic aliud objectum quàm ipſum Meſſiam intelligunt. Verùm & eosdem illos juxta Meſſiam alterum inſuper fingere, id uti ex maligna eorum oritur cœcitate, percipere nequaquam valentium duo iſthæc munera, & Regium ſcilicet ac Sacerdotale, obtentura ſimul in una eademque Meſſiæ promiſſi perſona; uti & ſuprà dixi §. XLV & XLVI. ita tota hæc explicatio e diametro cum veritate pugnat. In antecedentibus enim oſtendimus hic loci de unica duntaxat perſona, id eſt, Meſſia, ſermonem inſtitui, & de hoc uno prædici, quod ille *utroque* hoc ſimul *munere* fungens ſit futurus Rex atque Sacerdos *in* throno Dei.

Non denique inter duo munera regni & ſacerdotii.

LIV. Alii ergo, inter quos & Chriſtiani ſunt Doctores, ad ipſa hic recurrunt munera, dicentes fore, ut inter *munus regium & ſacerdotale ſint conſilia pacifica.* Ita Munſterus, aliique, alluſionem hic tum inſtitui cenſentes ad mores, cùm inter Iſraëlem, tum inter & Gentes, alibi hoc reſpectu obſervatos, quod ſcilicet mutua pacis inter Regem & Sacerdotem in commune Reipublicæ pariter ac Eccleſiæ bonum ſolerent obſervari conſilia; quæ duo ſimul munera cùm jam locum habitura eſſent in uno Meſſia, perfecta ſanè inter ea foret concordia. At licet hæc interpretatio nec veritati, nec analogiæ fidei veræ repugnet, repugnat tamen omnino phraſeologiæ a Spiritu S. hic adhibitæ. Conſilium enim proprie

priè *perſonis* competens muneribus velle adſcribere, & dicere, *conſilium* eſt inter duo munera, id enimvero valde improprium eſt. Neſcio an & ſatis cautum. Solemus namque, ubi de *Summa Sapientia* legitur, *ejus eſſe conſilium, & prudentiam, & robur*, *Prov.* 8: 14. nec non ubi ſimilia Spiritui S. adſcribuntur attributa, ex iis legitime argumentari contra hoſtes Deitatis & Filii, & Spiritus S. & *Sapientiam* eam æternam, & *Spiritum S.* verè eſſe perſonas; addimusque valde abſonum meritò cenſeri, talia prædicata, dona, aut qualitates perſonis competentes ſignificantia, inteliigere velle vel de proprietatibus, vel operibus aliquibus Dei, quæ quaſi nomine *Sapientiæ Summæ*, aut *Spiritus S.* exprimerentur. Ea verò argumentatio haud parum vacillabit, ſi Theologi Reformati fateantur *muneribus* Meſſiæ adſcribi *conſilium pacis*, & non *perſonis*, quas ambas facilè hic adinvenire poſſumus. Accedit inſuper, quod ſi verba; *Erit conſilium pacis inter illa duo*, ſignificarent; *Erit mutuus conſenſus inter Regnum & Sacerdotium*, tunc, quod probè notaſſe putem Eruditiſſimum Joan. Druſium, non legendum foret בין שניהם / ſed בין שתיהם / Jure ergo ipſi, uti bene loquitur, *coactum* videtur id de muneribus intelligere velle. Neque hanc difficultatem effugiunt, qui eandem interpretationem revera ſequentes, perſonas tamen duas, ſi locutionem eorum ſpectes, ſervare videntur. Ita nimirum Vatablus & Glaſſius. Ita ille phraſin hanc, qua de quærimus, interpretatur; *Summam pacem inter Regem & Sacerdotem fore; quia idem erit & Rex & Pontifex.* Similiter Glaſſius *Onomatol. Meſſiæ Prophet.* p. m. 461. *Edit Lugd. Bat. Docetur Chriſtum fore Sacerdotem ſimul & Regem, his verbis:* Et conſilium pacis erit inter ambos ipſos: *nempe inter Sacerdotem & Regem, quorum mentio immediate præceſſit. In cujus rei typum Joſuæ, Sacerdoti Magno, coronæ argenteæ & aureæ impoſitæ fuerunt verſ.* 11. At verò & hæc interpretatio durior eſt. Ubi enim Scriptor ullus, ſive ſacer, ſive profanus ita loquitur, cùm ſignificare vult duo munera ab eadem geri perſona, ut tunc utatur nominibus, ut ita dicam, non

realibus, ſive munera ea exprimentibus, ſed perſonalibus, & deſignantibus perſonam tali munere fungentem, prorſus quaſi de duplici perſona loqueretur? Quis dixerit de Melchizedeco, in eo *pacem* fuiſſe *inter Regem & Sacerdotem?* Non debemus nos uſum phraſium Biblicarum fingere, ſed ex aliis locis detegere.

Sed ambo illi *ſunt* JEHOVA, *&* Vir germen.

LV. Quocirca cunctis hiſce interpretamentis valere juſſis, arbitramur nos cum præcipuis longè inter Patres antiquos, nec non inter recentiores quoque hujus & præteriti ſeculi Theologos ſummos, nil ſcopo vaticinii hic eſſe tam conveniens, nil phraſeologiæ tam aptum, nihil ſenſu tam ſanum, quàm per *hos ambos* Deum Patrem & Filium intelligere. Adſcribam hic Hieronymi verba in *h. l. Legi*, inquit, *in cujuſdam libro hoc, quod dicitur:* Et conſilium pacificum erit inter duos; *ad Patrem referri, & ad Filium: quia non ſuam, ſed Patris venerit facere voluntatem: & Pater in Filio ſit, & Filius in Patre.* Optimè. De Patre enim & Filio in Oraculo hoc facta fuerat mentio ſub nomine JEHOVÆ, & VIRI GERMINIS. Et de his duobus ſolis, neque de pluribus, neque de aliis. Etenim, ut diſtinctè id oſtendam, de Filio, ſeu Meſſia hic ſermonem inſtitui, poſt tot adducta in prioribus argumenta, ne minima amplius nobis hæſitatio ſupereſt. Simul hic de JEHOVA Patre ſermonem eſſe, conſtat ex eo, quod in antecedentibus facta erat mentio Templi JEHOVÆ. Atqui per hunc JEHOVAM intelligi poteſt Deus Pater, cujus Templum ædificaturus eſſet hic *Vir Germen*; dum ſive corpus humanum ſibi aſſumit per nativitatem, æquè ac per reſurrectionem; ſive dum Eccleſiam ſuam ædificat. *Corpus* enim Meſſiæ *Templum Dei Patris* dici ſano ſenſu poſſe; *Eccleſiam* autem Meſſiæ *Templum Dei Patris* revera in Scripturis dici, antè oſtendimus §. XXIX & XXXI. & probabitur adhuc inferius. *Thronum* etiam, cujus in præcedentibus facta eſt mentio, per iſtud affixum *ejus* in כסאו / referri melius ad JEHOVAM oſtendi multis rationibus §. XL & XLI. Cùm itaque 1. Proximè præceſſerit mentio duarum perſonarum divinarum, aptiſſimè

ergo

ergo mox ſequens adjectivum, *ambo illi*, ad eas referetur. Tantoque magis 2. Quia ad nulla alia proximè nominata ſubjecta hoc *pacis conſilium*, quæ perſonalis actio eſt, perſonaſque ſupponit, prout dictum eſt antè, abſque abſurditate referri poteſt. Rectè ergo 3. Ait Lud. de Dieu in *h. l. Noſtra explicatio ſimplex videtur & perſpicua.* Idem ſentiunt Celeb. Coccejus, Altingius, Witzius, aliique Recentiores. Et hæc *ultima ſententia*, ſcribit Theod. Hackſpanius, *omnium maxime ſe mihi probat; cujus ratio hæc eſt, quod* עצת שלום *tribuatur Viro, minus rectè autem ſolio, in quo ille ſedet. Atque omnino locus hic conferri debet cum alio, Eſai.* 9: 6. *ubi itidem Meſſias notanter vocatur* שר שלום / item יועץ / *adeoque habemus jam illum, cui proprie* pacis *tribuitur* conſilium. Vid. ejus *Not. Philol.* in *h. l.* Quibus illud tandem 4. Coronidis loco addimus, nihil quicquam eorum eſſe, quæ hic deprædicantur de *conſilio* illo *pacis*, quod eſſet *inter ambos*, quæ non & Deo, & Meſſiæ ita ſpeciatim competunt, ut non competant ullis aliis ſenſu æquè proprio & emphatico. Quale primum illud eſt, quod memorentur duo ita æquales, ut comprehendantur phraſi ea שניהם / *ambo illi.* Quæ indicat eos pares eſſe, inter quales etiam vulgò conſilium initur. Ita quippe dicitur Meſſias Deo non tantùm *æqualis*, & *in ejus forma Phil.* 2: 6. *in cujus medio eſt nomen Dei, Exod.* 23: 21. ſed ipſe quoque Deus, & apud eundem quidem Vatem noſtrum Zachariam *Cap.* 13: 7. nominatim deſcribit Meſſiam ceu גבר עמיתי / *virum proximum meum*, vel, *qui eſt inſtar mei*, conſilio ſcil. voluntate, & natura. Idem porro magis ex iis, quæ mox ſumus dicturi, manifeſtum erit. Si quis interea objiciat hic non legi; *conſilium pacis erit inter me & ipſum:* quo modo tamen Deus Pater, ſive JEHOVA, qui hoc in Oraculo loquens introducitur, videtur locuturus fuiſſe de *Viro Germine*, & *ſe ipſo:* Reſpondeo, in eodem hoc Oraculo JEHOVAM Patrem plus ſemel de *ſe ipſo* loqui in tertia perſona, æquè ac de *Viro Germine.* Ita enim modò dixit: *Et ille ædificabit Templum* JEHOVÆ: &, *dominabitur in throno* EJUS: &, *Sacerdos erit in throno* EJUS.

Quibus ita præmiſſis, & eodem adhuc halitu de novo aliquid de iiſdem perſonis additurus, non poterat commodius quàm in eadem perſona tertia perſeverare, atque dicere, *inter ambos illos:* i. e. inter duos eos modò a me memoratos, JEHOVAM & הוּא / ILLUM κατ' ἐξοχὴν ſic dictum.

22. Conſilium inter ambos hos. *Cujus explicatur* 1. *Natura, quale ſit in genere.*

LVI. Quibus ita præmiſſis, & prout mihi ſaltem perſuadeo, ſatis validè demonſtratis, quod ob rei momentum aliquanto prolixius inſtituere viſum fuit, jam intellectu facilius erit, quale illud demum *conſilium* ſit, quod præſignificatur fore aliquando *inter hos ambos*. *Conſilium* ſua notione prima, doctrinæ & admonitionis quædam ſpecies eſt de iis, quæ factu ſummopere ſunt neceſſaria ei, qui propoſitum ſuum finem aſſequi rite velit: ſoletque illud a ſapientiori dari minus rerum agendarum perito. Hoc ſenſu certum eſt nec Deum Patrem, nec Filium ullo ullius indigere *conſilio*, quippe in utroſque iſtos tanquam ejuſdem Deitatis compotes quadrat, quod ſcribitur de Deo *Eſai.* 40: 13, 14. *Quis expendit ſpiritum* JEHOVÆ; *ut Vir a conſiliis ei, docuit eum? Cum quo communicavit conſilium, ut inſtrueret ſe; doceretque ſe iter judicii, doceret, inquam, ſe ſcientiam, & viam ſummæ prudentiæ notam faceret ſibi?* Et in ſpecie etiam de Meſſia conſtat omnes ſapientiæ theſauros in eo eſſe reconditos, ita ut *nomen ejus* etiam ſit יועץ / *conſiliarius Eſai.* 9: 5. quô uti duo denotari queunt, & *conſilium dans*, & *conſilium capiens*, ſenſu maximè activo, ita etiam hoc ſenſu in Meſſia obtinet, qui ſibi ipſe etiam עצה / *conſilium* adſcribit *Prov.* 8: 14. Etiamſi porro conſtet à JEHOVA eum *conſilium* quoddam accepiſſe quà Mediatorem, quod in opere ſalutis executioni mandaret, & de quo dicere ipſe poterat *Pſalm.* 16: 7. *Celebrabo* JEHOVAM, *qui mihi conſilium dedit*; tamen, quia hic ſermo inſtituitur de *conſilio inter* JEHOVAM, & *Virum Germen*, idcirco per hoc *conſilium* notione vocis aliâ intelligendum eſt propoſitum aliquod decretumque, quod per modum quaſi deliberationis, & ex ea exortæ conventionis inter duas illas perſonas mutuis fundatum conditionibus, utrimque in ſalutem electi generis humani

præ-

præſtandis, conſtitutum eſt atque concluſum. Non quidem quaſi deliberatio quædam, nonnullam ignorantiam ſupponens, de rebus gerendis inita fuiſſet; talis enim nequaquam cadit in Deum omniſcium & ſapientiſſimum: placuit tamen Spiritui S. cum hominibus loquenti humano hoc uti vocabulo, quia alternum illud propoſitum adinſtar *conſilii* ſe haberet. Ad *conſilium* quippe inter homines 1. Plures perſonæ concurrunt, quod & in Divinis obtinet: conf. *Gen.* 1: 26. 11:7. 2. In eodem abſoluta obtinet libertas, & obtinere debet ſapientia ſumma; quæ & hic adſunt: *Rom.* 11: 33, 34. Atque iſta 3. Apud homines conſiliis bene captis in executione addunt conſtantiam planè firmam abſque vel minima mutatione. Quæ nec hic deeſt. Poſſunt conferri *Prov.* 8: 14. *Pſalm.* 33: 11. *Prov.* 19: 21. *Eſai.* 46: 10.

Quod illud ſit in ſpecie conſilium pacis.

LVII. Quale autem conſilium hoc ſit, rectè demum percepturi ſumus, ſi attendamus conſilium illud *Pacis* vocari. Summatim hoc Celeb. Coccejus ita expreſſit *Sum. Doctr. de Fœdere & Teſtam. Dei* §. 88. *Scilicet voluntas Patris Filium dantis caput & λυτρωτὴν* Redemptorem *populi præcogniti, & voluntas Filii ſeſe ad hanc ſalutem procurandam ſiſtentis, habet rationem conventionis, dum ſecundum ineffabilem illam œconomiam negotii ſalutis noſtræ conſideratur Pater ſtipulans obedientiam Filii uſque ad mortem, & pro ea ipſi regnum & ſemen ſpirituale repromittens; Filius autem ſe ſiſtens ad faciendam voluntatem Dei, & a Patre ſalutem populi ſibi e mundo dati reſtipulans, ſive, ut clarius loquar, altrinſecus petens. Hinc dicitur* inter utrumque, DOMINUM, & Virum Tzemach, *hoc eſt*, Germen, eſſe conſilium pacis *Zach.* 6: 13. Hactenus ille. Nos verò paulo latius rem graviſſimam ac pulcherrimam explicabimus. Solet *Pax* apud homines vulgò ſupponere inimicitiam quandam, quæ antea interceſſerat inter partes litigantes, de quibus reconciliandis, ubi conſilium initur ac deliberatio, vocatur illud *conſilium pacis*. Ejusmodi verò lis vel inimicitia nulla unquam fuit inter JEHOVAM & *Virum Germen*, in propria ſua perſona conſideratum. *Pater namque diligit Filium, qui eſt in gremio ejus*, ſuum unige-

nitum, dilectum, *in quo ſibi complacuit, & qui quotidianæ ejus deliciæ:* confer *Joan.* 3: 35. 1: 18. *Eſai.* 42: 1. *Prov.* 8: 30. Immo, qui non ſolùm *filius amoris ejus Col.* 1: 3. ſed & per excellentiam inſignitur ὁ ἠγαπημένος, *dilectus ille Epheſ.* 1: 6. Et rurſus; *Filius amat Patrem*, facitque ſemper ejus *beneplacitum*, absque minima, vel in minimis, aberratione, *Joh.* 14: 31. *Eſai.* 53: 10. uti etiam *venerat ad ejus voluntatem exequendam Joan.* 4: 34. & dicere poterat, *per noctes* non modò tenebrarum, ſed & ſummarum afflictionum, *me eruditunt renes mei Pſalm.* 16: 7. adeo ut ille ne minimum quidem deflecteret, vel cum *renibus ſuis*, qui cæteroquin pravarum cupiditatum ſedes eſſe ſolent ac fomentum primarium, unde malæ cogitationes, & deſideria factaque oriuntur. Nulla ergo *Pax* inter JEHOVAM ac *Virum Germen*, in ſua perſona, uti dixi ſuprà, conſideratum, fieri potuit.

Pacis nempe inter Deum & peccatorem, ſive Meſſiam peccatoris ſponſorem.

LVIII. Hoc verò conſilium totum ſpectat ad *Pacem* hominum, ac inter eos ſpeciatim electorum, qui ob peccatum inimici Dei, cum eo nullo unquam pacto in gratiam redire poterant, absque ſanctitatis & juſtitiæ Divinæ læſione, niſi prius ei ſatisfieret modo Deum & hominem decente. Ad id autem duo requirebantur. Primò, ut morte ſat pretioſa juſtitiæ Divinæ ſatisfieret. Deinde, ut devicto Satana ex ejus poteſtate ac dominio eriperentur electi, atque transferrentur in Regnum Dei. Atqui homo mori quidem, ſua verò morte, utpote morte meri hominis, & hominis mortem ſuo ipſius crimine commeriti, juſtitiæ Divinæ ſatisfacere nequaquam poteſt, *Pſalm.* 49: 8. Homo etiam *potentem* illum, Satanam puta, vincire nequaquam poteſt. Contrà verò *victus maneret ipſe ſemper Diaboli laqueo ad ipſius libitum* 2 *Tim.* 2: 26. niſi aliquis, qui JEHOVA eſt, interveniens dicat, immo *captivi potentis eripientur ipſi Eſai.* 49: 25. Is verò JEHOVA ipſe Meſſias eſt, qui tanquam ſponſor, ſuorum factus Rex atque Sacerdos, quà Sacerdos *animam ſuam poneret* אָשָׁם / *ſacrificium*, ſive *ſatisfactionis pretium* pro peccatis *Eſai.* 53: 10. ipſum *redemtionis pretium ſolveret: Job.* 33: 24. ſicque pacem ipſis procuraret pe-

penes Deum. Quà Rex verò *vinciret robuſtum illum, eique ejus capturam eriperet*, *Eſai.* 49: 24. 25. coll. *Matth.* 12: 29. ſuosque ſic in adepta jam pace conſervaret. Vel ergo JEHOVA Pater de Meſſia, vel Meſſias de ſe ipſo pronunciat *Eſai.* 27: 5. *Facturus eſt pacem, qui robur meum apprehendet.* Certè Paulus ait Deum per Meſſiam *facta pace per ſanguinem crucis ipſius, ſecum omnia reconciliaſſe*, *Col.* 1: 20. In qua pace itaque & ea includitur, quæ locum habitura eſſet Judæos inter ac Gentiles, quando priori illa, quæ fuerat inter utrosque olim, inimicitia ſublata, nec non pariete intergerino diruto, Meſſias ſub hac Templi domo, cujus ædificatione, dum hæc vaticinatur Zacharias, nunc temporis occupabantur Iſraëlitæ, *pacem* eſſet daturus *Hag.* 2: 8. Quare & ultimo Capitis noſtri verſu etiam additur, *adventuros longinquos & ædificaturos in Templo* JEHOVÆ. Atque hoc ſanè oppoſitum ejus eſt, quod fecit Moſes. Hujus enim miniſterium erat populos dividere, Meſſiæ contrà eos conjungere unumque facere, dicendo, *ſumma ſit pax & longinquo & propinquo: Eſai.* 57: 19. Ita ergo *pax*, a qua denominatur hoc *conſilium*, primariò eſt *pax inter Deum & peccatores.* Poſſet tamen forſan ſano ſenſu dici etiam *pacem* eandem pertinere ad *Virum Germen*, non in ſe ipſo ſpectatum, ſed ſpectatum ſub relatione ſponſoris, qui perſonas peccatorum illorum repræſentabat. Qua de re aliquid monebo adhuc infra.

LIX. Cum *conſilio pacis* hactenus, ut puto, non ſine cura explicato, nunc conferam alia S. Scripturæ dicta, oſtendentia tum *Regnum* Meſſiæ fundari ſuper *conſilio hoc pacis*, tum *Sacerdotium* ejus iſti *conſilio* includi, adeoque rectè a Zacharia *ſeſſioni Germinis in throno Dei*, tanquam *Dominatoris* & *Sacerdotis* ſubſterni, ſive adjungi hoc *conſilium pacis* inter Patrem & Filium: immo verò a *conſilio* hoc *pacis ambos* iſtos, inter quos *pacis* iſtud *conſilium* eſſe dicitur, epitheta quædam, quaſi titulos honorificos ſortiri. Quod ad *Regnum* attinet, *Pſalm.* 2: 6. *ſeqq.* Meſſias declaratur *Rex ſuper Zyonem*, & mox hoc ejus Regnum ſuper *pacis* iſtud *conſilium* fun-

Quod ex comparatione aliorum locorum S. Script. latius expenitur.

fundatur. Narratur enim *verſ.* 7, & 8. *decretum*, in quo JEHOVA ita Meſſiæ dixit: *Tu es Filius meus; ego hodie genui te. Pete a me, & dabo gentes in poſſeſſionem tuam, & fines terræ jus hæreditatis tuæ.* Conf. *Eſai.* 49: 5, 6. Sic & quoad *Sacerdotium Eſai.* 53: 10. dicitur: *Quando poſuerit* (Meſſias) *animam ſuam ſatisfactionem*, ſeu redemtionis pretium & ſacrificium pro peccato, *videbit ſemen*, ex Judæis & Gentibus; *prolongabit dies:* ſive id de Meſſia dictum, ut vulgò fit, accipiamus, qui ex morte reſuſcitatus prolongaret dies, & viveret in æternum, *Pſalm.* 16: 11. & 21: 5. ſive cum Celeb. Coccejo id interpretemur de ipſo *ſemine prolongaturo dies*, & in *cujus manu voluntas* JEHOVÆ *proficeret:* ut ita indicetur, quid ſua obedientia & paſſione in ſuorum utilitatem acquiſiturus eſſet Meſſias. Lubet denuo in hanc rem adſcribere verba Celeb. Cocceji, locum *Eſai.* 53: 10. *Sum. Doctr. de Fœdere* §. 220. ita explicantis: Si *quidem* ponet ſatisfactionem anima & *enixiſſimus amor ejus* (*perpetua interceſſione Hebr.* 9: 24. *Job.* 33: 24. *Eſai.* 63: 9. & *gratioſa applicatione ejus ſacrificii, quod ſemel pro reatu obtulit, ſive adſperſione ſanguinis ſui Ezech.* 36: 25.) videbit ſemen. *Quo loco*, inquit, *ſi penitius introſpiciatur, non tantum ſatisfactioni Chriſti adjungitur tanquam certum & infallibile conſequens multiplicatio ſeminis, ſed preſſius* animæ *& voluntati ipſius hoc pretium redemtionis Deo proponenti, & ſibi datis opponenti & tradenti acceptus refertur ſeminis novi proventus.* Eòdem referam quod *Pſalm.* 110: 4. dicitur JEHOVA *Virum Germen* ad hoc *Sacerdotii* munus non ordinaſſe *abſque juramento.* Juramenta enim ſuam ad fœdus aliquod, utpote quod juramento ratificari ſolet, manifeſtam relationem habent. Vid. quæ ſcripſi *Lib. de Melchizedeco Cap.* VII. §. 15. Ex hoc porro *pacis conſilio*, tanquam actione & JEHOVÆ Patri, & *Germini* glorioſiſſima, *Deus* audit *Deus pacis Rom.* 16: 20. *Hebr.* 13: 20. Et *Meſſias* inter nomina ſua & illo inſignitur שר שלום / *princeps pacis Eſai.* 9. 5. Immo quod magis eſt, vocatur זה שלום / *ipſe pax Mich.* 5: 4. quod imitatur Paulus *Epheſ.* 2: 14. uti & hoc reſpectu adumbratus fuit Meſſias olim per Melchizede-

decum, qui etiam fuit & *Rex* & *Sacerdos*, & Rex quidem *Salem*, id eſt, *pacis*. Vid. plura in meo *Lib. de Sacerdot. Chriſti loc. cit.* §. 10. Ejuſdem etiam *pacis* reſpectu Meſſias per *Salomonem* adfiguratus fuit, cujus nomen uti *pacem* indicat, ita ipſe & *pacem vigere fecit* ſuis diebus: 1 *Reg.* 4: 24. & tanquam princeps pacis *Templum Domini ædificavit*. Quod & *Vir Germen*, dum *pacis conſilium* cum JEHOVA habet, facturus a Zacharia hic dicitur.

LX. Ea, quæ hucuſque diſputavimus de *conſilio Pacis inter* JEHOVAM & Meſſiam è Sacris, nunc fert animus ex ipſis Judæorum monumentis priſcis illuſtrare. Hi enim miris licet ſub rerum & verborum involucris ipſa Chriſtianorum etiam nonnunquam dogmata de ſponſione Meſſiæ, de pacto ab eo cum Patre inito, nec non dignitate ejus Divina planè, de paſſionibus & a Judæis perferendis, de adventu ejus ſtante Templo ſecundo, de ejus redemtione, ad ipſos quoque Patres antiquos, qui olim fuerunt, ſe extendente, & aliis id genus multis, in ſuis Synagogis olim tradiderunt. Unum teſtimonium producam, ſed quod omnium inſtar haberi poteſt, ex libro Judæorum antiquiſſimo *Peſikta* in *Jalkuth Eſai.* 60. Citavit hoc Joan. Jac. Cramerus *de Ara Exteriore Cap.* XII. §. 3. Quod & reperio apud Cl. Joan. Braunium *Comment.* ad *Hebr.* 10: 10. Textum Hebræum non adſcribam, locis citatis, ſi cui lubeat, videndum. Dabo itaque interpretationem Braunii. Ea verò ſic habet: *Dixit* כנסת / *congregatio* (Eccleſia) *Iſraëlis, coram Sancto & Benedicto illo: Domine mundi, propter Legem, quam dediſti mihi, quæ dicitur fons vitæ, ego me oblectabor in luce tua. Quid eſt illud; In luce tua videbimus lucem tuam?* (Reſpondetur) *Hæc eſt lux Meſſiæ; uti dictum eſt* (Gen. 1: 4.) *Et vidit Deus lucem, quod bona eſſet. Id docet, quod Deus Sanctus & Benedictus viderit generationem Meſſiæ, & ejus operam antequam creaſſet mundum, & quod occultaverit eam pro Meſſia & pro generatione ejus, ſub throno gloriæ ſuæ. Dixit Satan coram Sancto laudato, Domine mundi, Lux quæ abſcondita eſt ſub throno gloriæ tuæ, cujus eſt? Reſpondit ipſi, illius, qui te*

Immo & ex reliquis Judaicæ Theologiæ notabilibus confirmatur, ex libro Peſikta, & Bereſchith Rabba.

evertet, & ignominia afficiet. Dixit ipsi, Domine mundi, ostendas eum mihi. Dixit illi, veni & vide eum. Quum autem eum vidisset, contremuit & cecidit in faciem suam. Dixit, certe hic est Messias, qui conjiciet me & omnes gentes in gehennam, ut dictum est (Es. 25: 8.) absorpsit mortem in victoriam, & absterget Dominus Deus lacrymas ab omni facie. Eadem hora tumultuati sunt populi (Ps. 2: 1.) *& dixerunt coram eo: Domine mundi, quis est ille, in cujus manus incidemus? quod est nomen ejus, & quis est ejus status? Respondit ipsi Sanctus Laudatus, Ephraim Messias Justitia mea est nomen ejus. Et exaltabit staturam suam, & staturam generationis suæ, & illuminabit oculos Israëlis, & servabit populum suum, & nulla est gens, nec lingua, quæ coram eo stare poterit, ut dicitur* (Ps. 89: 23.) *non aget exactorem inimicus contra eum, & filius iniquitatis non affliget eum.* Sequitur nunc pactum inter Patrem & Filium, Messiam. *Incepit Sanctus Laudatus* (seu Benedictus) *ille* (Deus Pater supremus peccatoris Judex) *convenire cum eo* (Messia) *quum aufugissent* (hostes ejus) *dicens, illorum, qui apud te absconditi sunt, iniquitates imponent tibi jugum ferreum, & facient te ut vitulum hunc, cujus oculi caligant, & suffocabunt spiritum tuam jugo; & propter iniquitates eorum lingua tua adhærebit palato tuo* (potest conferri *Psalm.* 22: 16.) *Estne tuum beneplacitum ut ita fiat? Respondit Messias coram Sancto Laudato Deo; fortassis istius angustiæ erunt anni multi* (id est, angustiæ & dolores mei multis annis durabunt.) *Respondit Sanctus Laudatus* (Benedictus) *tota vita tua, & vita capitis tui. Hebdomadam decrevi contra te, si animæ tuæ molestum est, extrudam eos ilico. Respondit* (Messias) *ei, cum gaudio cordis mei, & cum lætitia cordis mei illud recipiam in me* (nempe quidquid à me petis) *modo ne unus pereat ex Israële; neque tantum viventes in diebus meis salventur, sed & illi qui in pulvere sunt occultati; neque mortui tantum salventur, qui meis diebus mortui fuerint, sed etiam illi omnes qui mortui fuerint à diebus Adami primi huc usque. Neque illi tantum, sed & abortivi dierum meorum salventur. Et non abortivi tantum, sed & omnes quos creaturus es, & nondum creati sunt.*

Ita

Ita ego volo, & ita ego (dolores & angores) *in me ſuſcipio*; q. d. ſic tibi adſtipulor, hac conditione ſtipulationem tuam amplector. Poſt quæ recitata Braunius optimè ſubjicit: *Hæc ſane credi & tradi non poterant, niſi ab iis quorum religio caſtior fuit, qui cognitionem habuerunt* conſilii pacis *inter Patrem & Filium, qui eſt verus Meſſias.* Simile teſtimonium ex *Bereſchit Rabba* citat Mart. Raymundus *Pug. Fid. Part.* II. C. XI. §. 16 & 17. ad *Gen.* 1: 1. *In principio creavit Deus &c.* ubi hæc reperiuntur verba: תורה אור זרוע להצדיק וגו׳ / *Hoc eſt, quod ſcriptum eſt* (Pſalm. 97: 11.) Lux ſeminata eſt juſto. *Dixit R. Abba* (Dan. 2: 22.) *Et lux*, vel *lumen cum eo eſt*, vel *quieſcit: hoc eſt lumen Meſſiæ. Et ſic dicitur* (Pſ. 36: 10.) quoniam tecum fons vitæ; in lumine tuo videbimus lucem. *Iſtud eſt lumen Meſſiæ. Docet autem propter hoc, quod vidit Deus ſanctus benedictus Meſſiam & generationem ejus, reſervavitque eum ſub throno gloriæ ſuæ. Dixit ergo Satan coram Deo, Domine ſæculi, lumen iſtud, quod eſt repoſitum ſub throno gloriæ tuæ, cui?* ſcil. *eſt. Dixit ei, Meſſiæ & generationi ejus? Dixit coram eo, Domine ſæculi ſine me, & adverſabor Meſſiæ & generationi ejus. Dixit ei Deus, non poſſes contra eum. Dixit coram eo, Domine ſæculi permitte mihi, & ego potero. Dixit ei Deus ſanctus & benedictus, ſi tu firmiter ſic proponis, ego deſtruam Satanam de mundo, & animam unam de illis generationibus ego non deſtruam. Statim incepit Deus paciſci cum Meſſia, dixitque ei, Meſſia juſte meus, iſti qui ſunt repoſiti apud te, futura ſunt peccata illorum mittere te in jugum graviſſimum. Oculi tui non videbunt lucem, aures autem tuæ audient opprobrium magnum populorum mundi: naſus tuus odorabitur fœtorem; os tuum guſtabit amaritudines, adhærebitque lingua tua palato tuo, applicabitur quoque cutis tua oſſi tuo, & extenuabitur corpus tuum in luctu & gemitu. Eſtne voluntas tua in eis? Nam ſi tu ſuſcipis, bene quidem; ſi non, ecce abjiciens ea ex nunc. Dixit coram eo, Domine ſæculi, in hoc ego lætus ſum, ac ſuſcipio ſuper me tribulationes iſtas ſuper tali conditione, quod reſuſcites mortuos in diebus meis, ac mortuos, qui mortui ſunt a primo Adam uſque nunc; & non illos tantum ſal-*

ves, ſed etiam illos, quos devoraverunt lupi atque leones, illos quoque qui ſubmerſi ſunt in aquis maris, & fluminum, in diebus meis ſalves. Et non illos tantum ſalves, ſed etiam abortivos; & non abortivos tantum, ſed etiam illos, qui adſcenderunt ſuper ſcientiâ tua ad creandum, & non ſunt creati. Dixit ei Deus ſanctus & benedictus, Etiam. Statim ſuſcepit Meſſias omnes tribulationes ex dilectione, ſicut dictum eſt: Eſai. 53: 7. Afflictus eſt, & ipſe voluit. Hactenus Scriptor ille. Ex quo teſtimonio Raymundus quinque veritates mere Chriſtianas derivat, in quibus & conſilium iſtud pactumque inter Deum atque Meſſiam: quæ apud eum videri poſſunt *loc. cit.*

2. Conſilii ejuſdem tempus. Ubi non vertendus textus in præterito: Quoniam conſilium pacis fuit inter ambos.

LXI. De *Natura conſilii pacis* ſat diximus. Supereſt quæſtio de *Tempore*, ad quod hoc *pacis conſilium* ſit referendum? Plurimi Interpretum hic intelligunt illud *pacis conſilium*, quod JEHOVA pepigit cum Meſſia Filio ſuo ante jacta mundi fundamenta. Quam ob rem verba ſic reddunt: *Quoniam conſilium pacis eſt*, vel *fuit inter illos ambos.* Quæ ſcilicet copula *Vau* ſignificet *quoniam*, & ex verbo תהיה / quod futuri temporis eſt, tempus præſens vel præteritum, per enallagen temporis, apud Hebræos in verborum temporibus ſatis uſitatam, facilè fieri poſſit: æquè ac ex. gr. *Pſ.* 17: 3. *conflaſti me*, *nihil* תמצא / *reperies*, in futuro, pro *reperis*, ſeu *reperiſti.* Scio ego copulam *Vau* variam habere pro rerum natura notionem, nec diffiteor temporum commutationem apud Hebræos aliquando obtinere; & id tamen ſcio, inſolitas ejuſmodi & figuratas interpretationes, per quas a prima, ſolita, & paſſim obvia notione receditur, non niſi graviſſimam demum ob cauſam admittendas eſſe, quæ ſanè hic nulla apparet. Etenim, copula *Vau* conſtanter hic in textu venit ſignificatione ו *Et.* Omnia etiam verba reliqua, quæ in forma *futuri* hoc in Oraculo occurrunt numero plura, *ſignificationem* quoque habent *futuri*, quod in antecedentibus adſtructum ſatis. Quin & in adducto loco *Pſ.* 17: 3. iſtud תמצא æquè *futurum* denotare poſſe, quàm *præſens*, vel *præteritum.* Cur enim dicere non poſſit fidelis ſibi conſcius candidi animi, & propoſiti tenacis, Deum ne mi-

minimum quidem nequitiæ in ipſo non *reperiſſe* tantùm antea, aut hoc ipſo momento *reperire* poſſe; ſed ne *reperturum* quidem in futurum? conf. *Job.* 31: 6. *Pſalm.* 26: 2. 139: 1, 23, 24.

LXII. Crediderim itaque ego 1. Et hic *futuri* notionem ſervandam. Idque 2. Eò magis, quia hic prædictum *pacis conſilium* non adeo dicitur fore inter JEHOVAM, & Filium ejus ſimpliciter, ſed inter JEHOVAM, & *Virum Germen deſubter ſe germinaturum*; quod ejus proinde nativitatem ſupponit & naturam humanam jam aſſumtam. 3. Immo verò dicitur, ſi rectè attendas, hoc *pacis conſilium* demum fore *inter ambos illos*, poſtquam *germen* jam *germinaſſet*, & jam *ſederet in throno Dominator* & *Sacerdos*, quod non ab æterno, ſed in tempore demum poſt exantlatos animæ ac corporis labores, evenit: *Pſalm.* 110: 1. Addatur 4. Tandem, ſi rem ipſam ſpectes, dubitari etiam poſſe, an antequam Meſſias per paſſiones eſſet conſummatus, ſatis rectè dici poſſit *conſilium pacis inter ipſum* & *Deum Patrem* revera *fuiſſe*, i. e. actu jam exſtitiſſe. Nam & ipſe introducitur in S. Scriptura tanquam ante reſurrectionem ſuam & adſcenſionem gemens ſub ſenſu iræ Judicis nondum placati. Vid. Pſalmos Davidis paſſim, ut *Pſalm.* 16: 1. 22: 2, 3, 15, 16. 38: 3–5. 41: 2 & *ſeqq.* 88: 8. coll. *Eſai.* 53: 5–7. Et Paulus pleno ore dicit 1 *Cor.* 15: 17, 18. niſi *reſurrexiſſet Chriſtus*, *omnes perituros* ac *manſuros* fuiſſe *in peccato ſuo*; i. e. neminem peccatorum *pacem cum Deo* habiturum fuiſſe. Ob has ergo rationes ego hic retineo verſionem verborum in futuro: *Et conſilium pacis* ERIT inter ambos.

Sed, Erit inter ambos: *ſcil. poſt Meſſiam*, *in futuro.*

LXIII. Quid ergo, & quale demum, forſan mihi objicies, erit hoc conſilium? An hoc aliud planè erit ab illo, quod *ante jacta mundi fundamenta* conſtitutum fuiſſe S. Scriptura ubivis prædicat? An ergo temporarium aliquod conſilium nobis narras? Abſit, Lector, abſit. Uti enim *omne conſilium Dei*, *Actor.* 15: 18. ſic vel maximè, quod ſæpenumero S. Scriptura affirmat *Pſalm.* 2: 6, 8. *Epheſ.* 1: 4–10. & alibi, hoc *conſilium gratiæ*, ſive *pacis*, JEHOVAM in-

Quæritur, *an ergo* conſilium hoc *differat a* conſilio Dei *ante jacta mundi fundamenta conſtituto?* *Reſp. Mini-*

ne. Sed dicitur ERIT, *quando manifeſtabitur, & exſecutioni mandabitur.*

ter ac Meſſiam, ab omni initum fuit æternitate; dicitur tamen *æternum* iſtud *conſilium* fore demum, quando jam hic *Vir Germen* in carne manifeſtatus eſſet, immo jam juxta JEHOVAM Patrem in throno aſſideret. Et dicitur id ſenſu admodum ſano; quatenus ſcilicet tunc demum 1. Clarè omnino patebit & manifeſtabitur, quod æternum tale pacis conſilium inter ambos illos antè fuerit initum. Quatenus etiam 2. Æternum hoc *conſilium* tunc demum verè in *actum* ſit prodituru, ſive executioni mandandum, dum per conſtantem *inter illos ambos*, & in omnibus conſonantem voluntatem, zelum conatumque juxta æternum iſtud decretum ex mutua illa conventione, & Pater & Filius in tempore id omne curet atque præſtet, quod ad electorum pertineat ſalutem pacemque æternam; Meſſias nempe id unicè tum eſſet curaturus, id omni conatu acturus, ut illam Patris, qui eum miſerit, voluntatem perfectiſſimo modo perficiat; ipſeque JEHOVA itidem a ſua parte juxta idem pactum æternum Meſſiam ſua gratia & virtute ſuſtineret, ut ita opus Mediatorium plenariò adimplere queat, atque ſic *ipſius* JEHOVÆ *beneplacitum per* EUM *proſperetur*, prout hæc verba de Meſſia capiuntur *Jeſai.* 53: 10. qui & ideo opere redemtionis conſummato à JEHOVA *coronaretur honore & gloria*, *Pſalm.* 8: 6. atque ſic *Dominus factus & Chriſtus*, PACEM illam in æterno illo conſilio decretam, in omni emphaſi demum in mundum introduceret, prout eam deſcripſit Paulus *Epheſ.* 2. & 3.

Quæ explicatio tũ ERIT *diligenter ex aliis S. Script. locis oſtenditur bene cum uſu phraſeologiæ convenire.*

LXIV. Atque ita verborum, *Et conſilium pacis erit inter ambos illos*; explicationem dedi ſat claram, ſat etiam, quod non puto quemquam negaturum, veritati rei convenientem. De ea quærere aliquis poſſet, an cum phraſi ipſa explicatio talis ſatis conſtet? Et ſunt forſan, qui fortiter id ſunt negaturi, ut longius petitas ſuas expoſitiones de pacifica aliqua combinatione inter duo munera, quas exhibui §. LIV. eò melius tueantur. Mihi verò ea explicatio, uti nulla alia momentoſior videtur, ſic non alia etiam facilior. Non opus eſt ullis ambagibus. *Conſilium pacis* ſit, & maneat, *æter-*

ternum illud *gratiæ conſilium*, quod jam fuit inter Patrem & Filium ante jacta mundi fundamenta. Quod per totum etiam Veteris Teſt. tempus, certo jam ſenſu, & notum fuit, & executioni datum. Verbum ERIT tamen modò explicetur ſenſu commodo, & omnia erunt facilia. Nempe ERIT, vel ERUNT, non de iis tantùm dicitur, quæ tunc demum incipiunt exiſtere, ſed de iis etiam quæ in lucem magis, quàm quidem antea prodeunt, & per effecta nova, magis quam antè, ſeſe manifeſtant. Cui non notum eſt eo ſenſu de Spiritu S. dici *Joan.* 7: 39. Οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. *Nondum enim* ERAT *Spiritus S.* Sed ne longius abeamus, apud ipſum Zachariam noſtrum mos iſte loquendi ſolitus eſt. Dicitur quippe *Cap.* 14: 8. de *aquis profluxuris ex Hieroſolymis*; & ERUNT (ſive, ut in Hebræo יהיה / ERIT) *in æſtate & hyeme.* Et *verſ.* 9. *Et* ERIT JEHOVA *in Regem ſuper totam terram*; *illo die* ERIT JEHOVA UNUS, & *nomen ejus* UNUM. Priori loco ERIT, non primam aquarum originem, ſed continuationem indicat. Celeb. Coccejus in *h. l.* §. 29. *Beneficii hujus continuatio ſignificatur comparatione aquæ plenioris, quæ nec æſtate, nec hyeme defecit.* Sic ergo etiam *conſilium pacis*, quod *ab æterno* fuerat *inter ambos illos*, ERIT adhuc inter illos poſt glorificatum Meſſiam, i. e. continuabitur, non deficiet. Contrà verò vel maximè tunc ibi ERIT, & florebit. In poſteriori loco τὸ ERIT iterum non primam originem *unitatis* JEHOVÆ, aut *nominis* ſignificat (ſemper enim JEHOVA *unus* fuit, & *nomen* ejus unum;) verùm indicat publicam *Unitatis* JEHOVÆ manifeſtationem, ut omnes agnoſcant JEHOVAM tanquam *unum.* Nec non & illud ERIT indicat publicam executionem *unitatis nominis ejus*, adeo ut ad omnes unitas ea perveniat, omnes convincendo de unitate ea, ita ut omnes unitatem eam ſentiant, credant, & profiteantur. Coccejus in *h. l. Unitas nominis Dei ſignificat ſublationem ſchiſmatis in Eccleſia, quoad nuncupationem nominis Dei: quod eſt quaſi alium, atque alium Deum & Chriſtum nominare.* Rectè Celeb. Interpres ait *quaſi.* *Verè* enim, uti *unum* modò *Deum*,

ſic

ſic & *unum* modò *ejus nomen* nominare poſſunt homines. Eſt enim, & fuit ſemper *unus* modò *Deus*, & *unum nomen ejus*. Sed *unitas* ea non erat ſemper manifeſta, aut adeo per effecta ſua ſeſe oſtendens, ut ab omnibus agnoſceretur. Sicut ergo τὸ ERIT hoc *loc. cit. Zach.* 14: 9. ſic & in noſtro oraculo τὸ ERIT *conſilium pacis inter ambos illos*, commodo ſenſu ſignificabit; *tunc manifeſtabitur illud*; *tunc executionem ſuam* ἐν ἀκμῇ *illud habebit*. Explicatio itaque mea illa cum phraſeologia rectè conſonat.

Quæritur porro, an ab hoc conſilio pacis inter Patrem & Filium excludatur Spiritus S.

LXV. Cæterùm, cùm manifeſtum ſit in Redemptionis noſtræ negotium omnes concurrere Deitatis Perſonas, juxta diſtinctam, quam in eo habent ſingulæ œconomiam, de quo myſterio Epiphanius *adverſus Hæres. Cap.* 69. §. 62. *Oper. Tom.* 2. p. m. 789. Edit. Petav. Ταῦτα γὰρ οἰκονομεῖ τὰ τῆς τοιαύτης μεγάλης μυσαγωγίας ἡ Τελείας ἀπαρεγκλείπτως &c. *Hæc omnia, quæ ad ingens illud myſterium ſpectant, Sacroſancta Trinitas univerſa molita eſt, Pater, & Filius, & Spiritus S. Ex quibus Filius carne præditus, Pater corporis expers; Filius vero ſponte ſua, ac de Sancti Spiritus carentis corpore voluntate corpus induit, ita tamen, ut immutabile permaneret.* Τὰ δὲ ὅλα ὑπὸ τῆς Τελείας οἰκονομεῖτο σωτηρία τοῖς ἀνθρώποις. *Atque hæc omnia ſancta Trinitas ad humani generis ſalutem adminiſtravit.* Hæc, inquam, cùm ita ſint, hac occaſione meritò quæri poteſt, cùm de *duobus* duntaxat fiat ſermo, an igitur *Spiritus S.* ab hoc *pacis conſilio* excludatur? Et ſi non, quare ergo nulla ejus hic occurrat mentio? Quod ut rectè percipiamus diſtinctè hic animadvertendum eſt, Spiritum S. ceu tertiam in Sacro Sancta Trinitate perſonam, magnam quidem revera hoc in conſilio partem habere, ceu talem qui illud conſummet & perficiat totum, hanc pacem & annunciando & efficaciter electorum animabus applicando, adeo ut ejus ſit veluti arrhabo ac pignus certiſſimum, de eo tamen nullum hic diſerte ſermonem inſtitui, quòd alium & ſingularem planè ſcopum hac in Prophetia intendat Deus, np. non, ut œconomiam Trinitatis totam hic exponat, ſed ut occaſione reædificationis Templi, ſub Zerubbabelis Principis, &

Jo-

Joſuæ Sacerdotis curâ ſuſceptæ præſignificaret Iſraëli, Meſſiam, *Virum Germen*, etiam ſuo tempore ædificaturum Templum, quod revera ſic nominari liceat, quodque ideo cum repetitione bis hic prædicitur ædificatum iri; atque hunc in finem Meſſiam, *melioris* hujus *Templi* conditorem, Zerubbabele eo & Joſua multo fore majorem, utpote qui utriusque illius munus, in una ſua geſtaret perſona, idque modo longe illuſtriori, quandoquidem utrumque illud muniſtraret, non in terra, ut illi, ſed ſedens in ipſo JEHOVÆ throno in cœlis: quam glorioſam, & JEHOVÆ proximam ſedem ut occupare poſſet, debebat ratio aliqua dari poſſe tantæ ipſius cum JEHOVA propinquitatis. Atque hanc ego rationem dari puto, cùm additur: *Et conſilium pacis erit inter illos ambos*: ad cujus nempe conſilii executionem Meſſias in throno JEHOVÆ ita ſedere debebat. Vides ergo haud ſatis commodè mentionem *Spiritus S.* hic potuiſſe adjici; utpote cujus & antea in toto hoc ſchemate mentio nulla facta fuerat: ſed quidem JEHOVÆ & *Viri Germinis*. Adde, ſi vis, etiamſi *Spiritus S.* ex hoc conſilio pacis non excludatur, tamen ad EOS AMBOS ſpeciatim initi hujus conſilii ratio ſpectabat; utpote qui præ primis hoc in pacto partes fœderales conſtituebant: Patre nimirum ſtipulante ac promittente; Filio verò adſtipulante & reſtipulante: quemadmodum videbis in omnibus S. Scripturæ locis a me in explicando hoc *conſilio* ſuprà §. LVI *& ſeqq.* nec non apud Coccejum *de Fœdere* §. 88. adductis: immo & in Judæorum antiquorum de hoc *conſilio* traditione, memorata §. LX. *Patris* tantùm & Filii, tanquam partium contrahentium fit mentio. *Spiritus S.* verò nobis magis proponitur, tanquam qui pactum Patris & Filii efficaciter exequatur, & in actum deducat.

LXVI. Ex tam ſublimi argumento ſatis Oraculi hujus excellentia colligitur, digniſſimi profectò auctore ſuo, quem illud pronuntiaſſe Textus teſtatur יהוה צבאות / id eſt, *Dominum exercituum*. Primum nomen iſtud eſt venerandum tetragrammaton, de quo fuſius alibi diſputatur. Vid. quæ ſcripſi in

IV. FIRMITAS *promiſſionis tantæ oſtendenda ex addito auctoris.* Sic alt JE

HOVA Zebaoth: *qui Dei titulus etiam apud Ethnicos celebris fuit.*

Lib. de Chriſto Eccleſiæ Fundamento Diſſertat. I. §. 18. Huic autem nomini maximo majorem tamen adhuc addit majeſtatem alterum illud epitheton צבאות / de quo non poſſum non, quia ſæpe hoc nomen in Scriptura offendimus, afferre quædam ad veram ejus notionem ſpectantia, nec ſcitu prorſus indigna, atque ex Philologiæ Hebraicæ penetralibus hauſta. Animus tamen mihi non eſt ea hic referri omnia, quæ faciunt ut conſtet hanc ſummi Numinis deſcriptionem ad Gentiles itidem, & ad eorum dimanaſſe ſacra; uti inde haud dubiè derivatum fuiſſe opinantur Eruditi, quod ſuum quoque Jovem Græci, ad imitationem Hebræorum, Deum ſuum vocantium JEHOVA *Zebaoth*, nominaverunt *Jovem Zabazium*, cujus meminit Valerius Maximus *Lib.* 1. *Cap.* 3. *Num.* 3. qui & *Sabazius* & *Sabadius* audit, quod peregrini Numinis nomen fuiſſe, ex deperdita Ariſtophanis comœdia notavit Cicero *L.* 2. *de Legg.* Vide ſis, quæ de hiſce habet Joan. Seldenus de *Dis Syris*, nec non Andr. Beierus in ſuis ad Seldenum *Additamentis p. m.* 77. & 78. ubi & multos congeſſit Auctores inſignes eandem rem tractantes. Neque etiam animus eſt diſſerere, quì & Gnoſtici veteres hinc ſuum videantur habuiſſe Ιαλδαβαωδ, id eſt אל צבאות / vel יה אל צבאות / Mitto itidem quod huic noſtro Hebraico nonnullis videatur reſpondere Arabum illud, prout ipſi explicant, quaſi Eſſentiæ & Omnipotentiæ ſuæ Deus creaturas exſtare voluerit veſtigia & indicia. Beidavi in *Alcoran. Surat.* 1. ſcribit hoc nomen ſignificare *id quo aliquid innoteſcit*; utpote cujus ſit auctor, uti ſunt in Deo, *quicquid præter ipſum eſt, ſive ſubſtantiæ, ſive accidentia.* Hic, ſi cui lubet, conferri meretur Joan. Henr. Hottingeri *Diſſert.* 5. de *Nominibus Dei Oriental.* §. 12. *p. m.* 279.

Et pro varia notatione צבא *ſignificat vel Deum exercituum; qui varii ſunt, ut Angeli, &c.*

LXVII. His verò omnibus valere juſſis ſtrictim me continebo intra cancellos Hebraicos. Ubi primò in genere obſervarim notius eſſe, quàm ut moneri oporteat, nomen צבא denotare *multitudinem*, ſed talem, *quæ in ordinem eſt redacta:* adeoque in ſpecie magis dicere *militiam*, *exercitum*, ubi omnia ordine fiunt, & alia aliis concinnè ſubordinata

ſunt

ſunt. Cùmque porro *militiæ certum* ſuum ſit aſſignatum *tempus*, quô exercitus conveniat, quô etiam militaria quævis negotia peragat & operetur, inde & ſecundo loco per metaphoram hac voce deſignari *tempus ordinatum*, ſeu *conſtitutum*, ſive temporis ſpatium determinatum & definitum, *Eſai.* 40: 2. *Job.* 7: 1. 14: 14. Qua generaliori obſervatione præmiſſa, videndum nunc an juxta duplicem hanc צבא notionem, duplici quoque hoc nomen JEHOVA *Zebaoth* ſignificatu capi poteſt? De una certè nullum dubium eſt. Prioris enim ſignificatus reſpectu optimo ſenſu talem Deum dicit, qui eſt *Dominus exercituum*, quô ſupremum ejus abſolutiſſimum & potentiſſimum denotatur imperium, quod ſimul eſt ordinatiſſimum, quodque in omnes planè habet, nullis exceptis, creaturas, ſive in terrâ eæ ſint, ſive in ipſo exercitu cœlorum, cujuſcunque generis ordiniſve, tam *ſuperiores*, צבאות מעלה, quàm *inferiores*, צבאות מתה vulgò Judæis nuncupatæ. Hæ omnes ita diſpeſci ſolent, ut ſint vel *exercitus*, id eſt, *cœleſtis*, Sancti Angeli, qui in in ipſa S. Scriptura *exercitus cœleſtis multitudo* dicuntur in Novo Teſt. *Luc.* 2: 13. *Mahanaim* & *caſtra Dei* in Vet. Teſt. *Gen.* 32: 1, 2. Vel *exercitus aſtralis*, uti ſol, luna, ſtellæ, 2 *Reg.* 17: 16. vel *exercitus elementaris*, quò omnia vulgò referuntur, quæ ſunt ſub cœlo æthereo, in aëre, terra, mari, & in aquis: vel *exercitus ſpiritualis*, id eſt, electi contra peccatum & carnem, mundum & Diabolum pugnantes: vel tandem *exercitus infernalis*, quem conficiunt Diaboli, quorum multæ ſunt legiones, ipſis teſtibus *Marc.* 5: 9. Quos *exercitus omnes* ita in ſua habet manu ac poteſtate creator Deus, ut ex ejus ſolùm arbitrio ſe movere, eamque, quam iis ſtationem aſſignat, tenere firmiter, immo illud etiam munus, quod iis imponit, ſumma cum promtitudine ad nutum ejus alacriter exequi poſſint & debeant. Atque ex hac potentiæ abſolutiſſimæ ſignificatione factum eſt, ut pro eo, quod in textu Hebraico eſt JEHOVA *Zebaoth*, οἱ LXX. hic loci & alibi frequentius habeant, Κύριος παντοκράτωρ. Neque præter rem hic obſervat Celeb.

ſtra, elementa, fideles, Diaboli ipſi: denique & multitudo Ethnicorum ad Chriſtum converſorum.

Marckius §. XIII. in *h. l.* eam verſionem Græcam a ſenſu (textus Hebraici) magnopere non abludere, *ſiquidem exercitus inſtrumenta ſunt potentiæ exercendæ; unde idem nomen Hebræum* חיל / robur & exercitum *notet, & Syrus hic pro* צבאות *etiam habeat* הלחנא / potens. Cùm verò *has* omnes *exercituum ſpecies* ambitu ſuo comprehendat nomen JEHOVA *Zebaoth*, ſive *exercituum*, difficile haud erit percipere, quod & Gentiles, ſed per Euangelium in *ſpiritualem*, prout ſuprà unam ſpeciem vocavi, *exercitum* converſi, ſtylo prophetico eodem etiam nomine exprimantur. Gentes enim quoque in Sacris deſcribuntur, ratione habita cùm multitudinis, tum etiam ſpiritualis militiæ, poſt converſionem eorum, tanquam *exercitus*, aliquando ad Eccleſiæ gremium adducendæ temporibus Meſſiæ. Qua ergo relatione, uti non malè obſervatur, Deus etiam in Veteris Teſt. literis vocatur *Dominus exercituum*; & quidem, quod ego hic obſervatione digniſſimum puto, Deus iſthoc nomine *Domini exercituum* præcipuè deſignatur in vaticiniis Haggæi, Zachariæ noſtri, & Malachiæ, qui prophetarunt poſt captivitatem Babylonicam, ſtante jam Templo ſecundo, ſub quo Templo Gentes venirent *ad deſiderium omnium gentium*, juxta *Hag.* 2: 8. quando jam inſtabat tempus, quô jam JEHOVA futurus verè eſſet Deus *Exercituum Gentium*, juxta egregium iſtud teſtimonium quod exſtat *Jer.* 3: 19. Agitur enim ibi de vocatione Gentium temporibus Nov. Teſt. eventura, quæ illa eſt hæreditas Abrahamo promiſſa. Atque eam ipſe Deus ibi diſerte deſcribit nomine EXERCITUS GENTIUM. Atque è conſideratione hujus temporis Novi Teſt. & alia naſcitur obſervatio, quod ſcilicet Meſſias, ſiquidem ille Gentes iſtas ſuo ſanguine acquiſiturus eſſet, ſuoque Spiritu adducturus, adeoque jure & earum *Dominus* ſit, inde etiam *Dominus Exercituum* dici verè mereatur. Quemadmodum etiam diſertè in Scripturis Novi Teſt. Jeſu *exercitus cœleſtes*, tanquam duci eorum adſcribuntur, *Apoc.* 19: 14 & 19. Atque hæc de prima צבא / *exercitus* notione: quæ, uti videt Lector, aptiſſimè hic quadrat.

LXVIII.

LXVIII. Si jam ſecundam ejus conſideremus notionem, quæ ſignificet *tempus ordinatum* & *definitum*, neque illa hic inepta erit. Juxta illam enim JEHOVA *Zebaoth* denotabit Deum talem, qui *omnium temporum moderamen* in ſua habeat poteſtate, adeo ut de iis diſponat pro beneplacito liberrimè, prout ei lubet. Eum namque ferme in modum exercitui ſuo definita tempora, quando incipere, quamdiu durare, & quando tandem finiri debeant, ſolet præſcribere Imperator, ſive dux ſummus.

Vel Deum temporum definitorum.

LXIX. Verùm enimvero, utut ſatis hæc nominis hujus explicatio ſit emphatica, poſſet tamen forſan major adhuc in eo eſſe nomine magnificentia, ſi liceret illud explicare tanquam per appoſitionem dictum, atque ex uno facere duplex: hic ut ſonaret, non; *Deum exercituum*, vel *temporum definitorem:* ſed; *Deum*, qui ſit *ipſe exercitus*, aut *ſtata tempora*. Qualis denominatio non adeo dura eſſet, quàm initio videtur. Quemadmodum enim Hebræi ſolent Deum abſolutè per modum Nominis denominare מקום / id eſt, *locum*, aut etiam מעון / *habitaculum*, ad denotandam ejus in omnibus locis præſentiam, & quod etiam omnia in ipſo & per ipſum ſubſiſtant; conf. Buxtorfii *Lexicon* ad קום / nec non צור / *rupem*, ut qui cuncta ſuâ portet fulciatque potentiâ; ſimiliter quoque opinantur Deum hoc § *Zebaoth* inſigniri titulo, vocari *Exercitus*, aut *ſtata tempora*, utpote cujus, uti omnes ſint *exercitus*, ita etiam omnia ſint tempora, eos, & hæc definientis, ordinantis, & dirigentis, adeo ut rerum ab Eis gerendarum, ac rerum in Hiſce futurarum, unaquæque geratur & fiat, quando eam geri & fieri velit ſummus *exercituum* & *temporum* moderator, *Hab.* 2: 3. *Actor.* 1: 7. immo verò qui & inſuper *exercitu* nullo extra ſe indigens, tempore nullo comprehenſus ipſe; at verò ſupra omnes exercitus, ſupra omnia etiam tempora poſitus a ſeculo in ſeculum; *temporum* autem omnium & ſeculorum ſcaturigo, *exercituum* quoque fons & productor, ea duntaxat & eos in creaturarum ſuarum uſum gubernet.

Quæritur an JEHOVA ZEBAOTH *verti poſſit per modum appoſitionis*, Dominus, qui ipſe eſt exercitus; *vel*, qui ipſe eſt tempora definita? *uti aliàs dicitur* locus, habitaculum, rupes?

LXX. Huic verò expoſitioni confirmandæ validè inſer-

Quem in ſi-

nem disquiritur, an Zebaoth non sit nomen proprium, ut Origenes, Hieronymus, Reuchlinus, Altingius voluerunt, & non appellativum? Rationes affirmantes.

vire poteſt, quod Philologi celeberrimi ſtatuant, hoc nomen *Zebaoth* non nomen eſſe appellativum, quod יהוה צבאות per modum epitheti adjungatur, iſto ſenſu: *Dominus exercituum*; at verò eſſe illud *proprium* prorſus nomen, æquè ac reliqua Dei nomina: quemadmodum ideo illud צבאות olim Origenes, Hieronymus, & cum iis deinceps Reuchlinus, ut & Clar. Jac. Altingius, nominibus Divinis annumerarunt, quaſi JEHOVA *Zebaoth* dicatur per appoſitionem, id eſt, JEHOVA, *qui eſt Zebaoth*. Sic ergo idem nomen צבאות / *exercitus*, eodem modo abſolutè pro *proprio* acceptum, & verſum per *tempora ordinata*, Deo poſſet tribui ſenſu, quô modò dixi §. LXVIII. An verò ita per modum *proprii*, ſive hoc, ſive alio ſenſu, accipi quidem poſſit, id enimvero fateor dubium videri poſſe. Non enim me latet cum aliis negare Doctiſſ. Auguſt. Pfeifferum in *Hebraicis & Exoticis Vet. Teſt. Loco* 40. *Exercituum*, ſeu creaturarum cœli & terræ nomen Deo, tanquam Dei ipſius nomen commodè tribui; ſed earum quidem creatio & conſervatio, ipſi tanquam longè ſupra eoſdem eminenti, & ab iiſdem diverſiſſimo, adſcribatur *Geneſ.* 2: 1. Attamen exſtant etiam rationes quædam hanc opinionem haud improbabilem ſaltem facientes. Quales ſunt: I. Conſtans Hebræorum traditio, qui inter decem illa ſummi Dei nomina decantata & hoc noſtrum צבאות / *Zebaoth*, enumerant. 2. Verſio Græca, quæ non tantùm hic illic Hebræum hoc nomen in ipſo ſono retinuit, illud more Græco efferens σαβαώθ, vel σαββαώθ; verùm & ipſi Paulus & Jacobus Apoſtoli, qui ambo illud in Epiſtolis ſuis ſervaſſe videntur, tanquam nomen aliquod proprium; prior quidem *Rom.* 9: 29. poſterior autem *Cap.* 5: 4. Nempe cùm hi omnes facilè illud interpretari potuiſſent, neque tamen illud Græcè interpretari voluerint, quod abſque gravi ratione feciſſe haud poſſunt videri, vel per παντοκράτορα, vel κύριον τ στρατευμάτων, vel aliter, idcirco cenſent Viri Eruditi & antiquos illos Judæos Interpretes, & Apoſtolos illud צבאות conſideraſſe ceu *nomen Dei proprium*. 3. Ipſa præſertim ſermo-

monis Hebraici ſtructura, ex qua conſtare videtur, quod τὸ צבאות / ſi nomen eſſet appellativum, & non proprium, ubi id alio cum nomine Dei conjungitur, deberet antecedens hoc nomen poni in ſtatu conſtructo, vel regiminis; quod tamen non fit. Ex. gr. *Pſalm.* 80: 5. ubi ita ſermo ad Deum dirigitur יהוה אלהים צבאות / conf. etiam *Pſalm.* 84: 9. Vides hic vocem אלהים non fieri אלהי / hoc modo: יהוה אלהי צבאות / ſed manere in ſtatu recto. Unde videtur vertendum eſſe; non, ô JEHOVA *Deus exercituum:* ſed tanquam triplex nomen: ô JEHOVA, *ô Elohim, ô Zebaoth!*

Rationes negantes.

LXXI. Neque tamen ſecus opinantibus ſuæ deſunt rationes. Ajunt quippe I. צבאות notare *exercitus*, ſive creaturas cœli & terræ, quarum non nomen, ſed creatio & conſervatio (*conf. Gen.* 2: 1.) Deo tribuitur, prout jam ex Pfeiffero obſervavimus. II. Porro ajunt nomen צבאות / nullibi ſeparatim abſque alio nomine Divino addito Deo tribui, quod tamen in aliis quidem nominibus Divinis obtinet. III. Ad rationes autem modò datas ita reſpondent: Ad 1. Judæorum auctoritatem hic nullam eſſe, utpote & alia Dei nomina, quæ Cabbaliſtica ſunt prorſus vel Rabbinica, comminiſcentium. Ad 2. Paulum & Jacobum Apoſtolos verbum σαβαὼθ eodem modo retinuiſſe, ac illa peregrina ἀλληλούϊα, ὡσαννά, πάσχα, ἀμὴν, σάββατον &c. utpote tanquam perpetuo uſu dudum cognita. Ad 3. Statum rectum non efficere, ut inde derivetur duo nomina ſibi conjuncta eſſe *propria*; at verò eſſe hic vel enallagen, familiarem adeo Hebræis; vel Ellipſin nominis conſtructi אלהי / adeo ut יהוה צבאות / JEHOVA *exercituum*, tantundem ſit, ſi plenè & in ſtatu conſtructo legatur, ac יהוה אלהי צבאות / JEHOVA *Deus exercituum.* Sicut & hic loci non tantùm ita quoque ſupplevit Celeb. Coccejus; ſed & alibi ipſe Propheta Amoſus *Cap.* 3: 13. ubi quatuor combinantur voces אדוני יהוה אלהי הצבאות: / *Adonai*, JEHOVI (pro quo, juxta hæc puncta legendum putant *Elohim*) *Elohee*, *Zebaoth.*

oth. Et *Cap.* 4: 13, 15. ubi eſt: יהוה אלהי צבאות / id eſt, JEHOVA, *Elohee*, *Zebaoth*. Vides, Lector, rationes utriusque partis præcipuas. Vides ſimul utrasque non deſtitui ſuo pondere. Non carere etiam magnis Auctoribus. Per me licebit, ut ſuo hic quisque abundet ſenſu. Adeoque prout de indole vocis *Zebaoth* ſecum ſtatuerit, ita quoque expoſitionem modò propoſitam, vel rejiciat priori contentus, vel aſſumat, & priori ſuperaddat.

Oſtenditur in utraque notione τὸ צבאות *titulum* JEHOVA Zebaoth *valide confirmare hoc oraculum, ſive enim* Dominus exercituum, *ſive* Dominus temporis definiti *id eloquatur, verè debebit impleri.*

LXXII. Etenim, ſi rectè attendas, in rei fundamento non adeo differt, an dicas JEHOVA EXERCITUUM, aut TEMPORUM; an verò JEHOVA, qui *ipſe* ſit *Exercitus*, aut *Tempora*. Ac propterea quocunque modo hæc Dei deſcriptio hic loci ſumatur, ſummopere faciet ad illuſtris hujus vaticinii confirmationem: quandoquidem Oraculum a tam magno Deo prolatum certo certius ſit habiturum implementum; *Zelus quippe* (ut hic ſimul oſtendam ipſum Eſaiam hoc eodem Dei nomine eodem ſcopo adhibuiſſe) JEHOVÆ *exercituum faciet id: Eſai.* 9: 6. 37: 32. JEHOVA *enim Deus exercituum decrevit, & quis irritum faciat? & manum ejus extentam quis avertat? Cap.* 14: 27. Videamus id paucis particulatim in utroque nominis hujus membro. Et quidem 1. Primùm in τῷ *Zebaoth*. Namque A. Si JEHOVA *Deus eſt exercituum* omnium, quos ſuprà enumeravi *ſuperiorum*, & *inferiorum*, facilè profectò ei eſt efficere, ut hic *Vir Germen* ſuo tempore *germinet*, *Templum Domini exſtruat*, *ſedeatque in throno Rex* pariter atque *Sacerdos* &c. cùm tanquam ſummus Imperator omnes ſuas creaturas movere & flectere poſſit, prout ei lubeat, ad rem prædictam promovendam: immo & earum molimina, ſi quid contrà, vel vi aperta, vel callida arte fortaſſis allaborare geſtiant, eludere tota ac pervertere, immo vel illas ipſas facilè penitus abolere omnes. Quò, obſervantibus Hebræis, ipſum nomen *Zebaoth* peculiari emphaſi nos ducit, tanquam quod Deo aſſignatur, tam in puniendis malis, quàm cuſtodiendis bonis. Unde R. Bechai: *Quando Deus judicat creaturas vocatur* אלהים / Elohiim: *Quando impiis bellum infert, vocatur Deus*

Deus צבאות / *Zebaoth.* B. Si ſit *Dominus exercituum*, etiam Gentilium, ſive ex Gentibus ad ſui olim communionem vocandis, facili itidem negotio implebit promiſſum contentum *verſ.* 15. *Venturos extraneos è longinquo, & ædificaturos etiam in Templo Domini.* Si verò poſteriorem notionem *Temporis definiti* eligas, jam quoque Deus ille, qui χρόνους καὶ καιροὺς ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ *Actor.* 1:7. *omnia quidem pulchra faciet ſuo tempore Prov.* 3: 11. ſuoque etiam tempore totam hanc adimplebit prophetiam, adeo ut nihil hic promittatur fruſtrà, quod non ad amuſſim ita conſpiciendum ſit tempore præſtituto. Accedit 11. Ex primo nominis membro, quod ille, qui hæc cuncta promittit, inſuper ſit JEHOVA, Deus verax ac conſtans, qui fit id quod eſt, omnes ſuas faciens promiſſiones καὶ τὸ ἀμήν, iiſque exiſtentiam largiens. Hanc enim hujus nominis emphaſin ipſe indicat, dicens apud *Eſai.* 60: 22. *Ego* JEHOVA *accelerabo iſtud tempore ſuo*; & *Exod.* 6: 1. Si ergo ſit JEHOVA, qui hoc inſtituit promiſſum: ſi inſuper ſit JEHOVA *Zebaoth*, nihil eſt certè cur vel minimum de ejus vel executione, vel adimpletione Iſraëliticus populus, cujus in gratiam hæc cuncta pollicetur benigniſſimum Numen, dubius hæſitare potuerit.

V. IMPLEMENTUM *oraculi in Jeſu Nazareno. Ubi oſtenditur in genere oraculum hoc jam dudum eſſe impletum: adeoque* x. *Jeſum eſſe Subjectum.*

LXXIII. Atque hæc nominis hujus veritas etiam cauſa, per quam hoc vaticinium ſuum quoque exactè obtinuit implementum. Quod ut quàm ſuccinctè fieri poterit adſtruamus, oſtendemus omnia hic loci promiſſa in Jeſu noſtro Nazareno ſuam habere omnimodam veritatem. Quod primò in *Genere*; dein in *Specie* magis probabo. Quod ad prius, non jam dicam, quòd *Vir* hicce *Germen* ad ipſum illud Templum Zerubbabelis venturus eſſet, juxta *Hag.* 2: 8–10. *Mal.* 3: 1. qui oracula illa ſua eodem ferme tempore cum hoc Zachariæ ediderunt; & quod ergo, cùm Templum illud dudum jam præterierit, vel jam venerit *Vir* ille *Germen*; vel prophetiæ iſtæ fefellerint; id dicam, quod in ipſo hoc Zachariæ Oraculo continetur. Connecti nempe ita a Zacharia promiſſum adventum *Viri Germinis*, cum externo illo repræſentamine *ſacerdotis typici*, Joſuæ *coronati*, quod ibi

præcesserat, uti quivis hoc Oraculum audiens, vel legens, statim percipiat *antitypum* hunc, & etiam *coronandum sacerdotem*, immediate succedere illi debere *typico*, sive successoribus ejus. Nam Josua ille hic omnes suos repræsentat successores. Non debere ergo *Sacerdotium typice coronatum* aboleri unà cum isthoc Templo, & per tota septemdecim secula abolitum esse, antequam aut vola, aut vestigium *antitypici Sacerdotis* appareat. Abolitum verò est *typicum Sacerdotium*, in signum manifestum typum cessasse exstante antitypo, & huic locum fecisse: qui noster Jesus est, quem jam tempore Pauli Hebræi videre potuerunt tanquam sacerdotem, post passiones suas *coronatum honore* & *gloria*, *Hebr.* 2: 9.

XI. Ostenditur in specie ex prædicatis per partes, quod Jesus fuerit, & dictus fuerit respectu Naturæ a. איש / Vir. *Non in dicto illo Pilati, ut jejunè Grotius; sed alibi in Novo Test. & apud ipsum Josephum, ubi dicitur* ἄνθρωπος, ἀνὴρ, υἱὸς ἀνθρώπου *&c. Sic etiam juxta lusionem Cabbalisticam.*

LXXIV. Verùm enim verò ad specialia magis in hoc Oraculo contenta veniendum est. Ubi primò inchoandum duco ab ista Messiæ descriptione, quod dicatur איש צמח / *Vir Germen*, quæ apprime in Jesum quadrat: de qua illustr. Grotius in *h. l.* ita notat: *Hæc Deo dirigente Pilatus ad Christum aptavit, dicens:* ἴδε ὁ ἄνθρωπος, *Ecce homo*; conf. *Joan.* 19: 5.) Ubi sanè mirari licet frigidam adeo observationem Viro, citra omnem controversiam Eruditissimo, excidisse, *cum* (verbis utor Clar. Marckii) *nec ad vaticinium hoc respexerit Pilatus, nec eadem mente verba illa protulerit, dum hac voce Judæorum malitiæ Christum tradidit, qui satis male habitus per verbera dura poterat videri.* Quibus & id addiderim, non tantùm Pilati illa verba Jesum populo ostentantis duntaxat facere, ad vel contemtum, vel commiserationem erga satis miserum nunc Christum excitandum; cùm contrà in Oraculo nostro singula & omnia nomina & prædicata concurrant ad statum Messiæ gloriosum, in excellentia muneris Sacerdotalis & Regii, describendum: verùm etiam non eandem utrobique hic vocem usurpari, cùm longè omnino differant ἄνθρωπος, *homo*, quâ Pilatus, & ἀνὴρ, *Vir*, qua hic loci utuntur οἱ LXX. Hæc enim convenit cum Hebr. איש / quæ virum egregium designat apud Hebræos uti jam observatum est antea §. XV. Neque dissimiliter apud Græcos ab ἀνὴρ derivatur verbum ἀνδρίζεσθαι, *fortiter*, *heroi-*

ροικὲ, ſeu *viriliter agere*, quod adhibetur de heroibus præſtantiſſimis: nec non nomen ἀνδρεία, ſive ἀδεία, quod *fortitudinem* denotat: de quo conſulendi Lexicographi: & in ſpecie Thom. Gatakerus in *Notis* ad *Antoninum* L. 40. p. 97. Edit. in Fol. Atque eodem ſenſu vox ea Domino Jeſu tribuitur in ſcriptis Novi Teſt. Ibi quippe ille vocatur non ſimpliciter ἄνθρωπος, *homo*; 1 *Tim.* 2: 5. & υἱὸς ἀνθρώπου, *filius hominis*, *Joan.* 1: 52. quæ ad ſtatum humiliationis magis ſpectant; verùm etiam, quod ſtatum *ſedentis* jam *in throno Dei*, & *gloria coronati* exhibet, υἱὸς ἄρρην, *Filius maſculus*, *fortis*, *ſtrenuus*, *recturus omnes gentes virga ferrea*: *Apoc.* 12: 5. Quem & Petrus coram tota concione Iſraëlitica in feſto Pentecoſtis proclamat tanquam ἄνδρα, *Virum à Deo approbatum apud Iſraëlitas præſtantibus factis*, *& prodigiis*, *& ſignis*, *quæ dedit per eum Deus in medio ipſorum Actor.* 2: 22. &, uti addit *verſ.* 33. & 36. tanquam τῇ δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ ὑψωθέντα, *dextra Dei exaltatum*, atque ſic Κύριον, *Dominum & Chriſtum à Deo factum*. Eodem etiam nomine Paulus eum proclamat Athenis tanquam ἄνδρα, *Virum*, *per quem Deus juſte ſit judicaturus mundum*: *Cap.* 17: 31. Ipſe etiam Flavius Joſephus hiſtoriographus, Jeſum Nazarenum laudaturus, (ſi genuina modò ſint, quæ leguntur *Antiquit. Judaic. L.* 18. *C.* 6. quod nunc ſupponere mihi liceat: vid. Cl. Jac. Perizonii *Epiſt.* in meo *Lib.* 2. *Chriſtologiæ* pag. 655.) *Tunc temporis*, inquit, *Jeſus* σοφὸς ἀνὴρ, *vir ſapiens* & (quæ ratio ipſi denominationis iſtius magnificæ) *mirabilium operum patrator*: εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, id eſt, *ſi modo Virum eum dicere fas ſit*. Ἀνὴρ ergo optimè conveniat cum τῷ אִישׁ in Textu noſtro, dicatque talem *Virum*, qui revera ſe *Virum* præſtiterit, quique magnus ſit & præclarus valde. Immo de quo (ſi more Judæorum Cabbaliſticis indulgere vellemus luſibus, ſicut illi hac ratione ſequens צמח / *Germen*, idem faciunt ac מנחם / *conſolatorem*, conf. quæ diximus in *Diſſert.* ad *Jerem.* 23: 5. §. XXXVIII.) dicere poſſumus, eum humeris ſuis portare א / י / & ש / id eſt ארץ / ים / שמים / *terram*, *mare*, & *cœlos*, id eſt, *omnia*, *verbo* ſc. *ſuæ potentiæ Hebr.* 1: 2. Præterea

hic est איש / ille א / אדוני / & י / ישוע / & ש / שדי / *Dominus*; *Jesus*, sive *Salvator*; & *Omnipotens*, seu *Sufficiens*, & sine quo, si י / sive ישוע de medio tollas, nil remanet nisi א & ש / sive אדוני שדי / id est, *Dominus*, qui *peccatori* sit *vastatio*; (ex alia nempe originatione, de qua diximus *Dissert.* ad *Gen.* 17: 1. §. XI.) id est, *consumens ignis* & damnatio. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ: de quibus plura videri possunt similia apud Sal. Glassium *Philol. S. L.* 2. *P.* 1. *Tract.* 2. *Sect.* 3. *p.m.* 198. *Edit.* 1694.

b. Respectu Originis, Jesus fuit Germen, *& germinavit ex loco suo juxta naturam divinam, & juxta naturam humanam Et* desubter se Germinavit *respectu nativitatis suæ, & munerum, & prædicationis Euangelii per mundum.*

LXXV. *Germen* etiam fuit Jesus, ut qui expresse describitur tanquam ἡ ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Germen ex alto*, *Luc.* 1: 78. quæ pluribus antè adstruximus *Dissert.* in *Jerem.* 23: 23. §. LXIII, LXIV. *Germinavit* porrò Jesus מתחתיו / siquidem id. veritas, de quo egi suprà §. XVIII. ex *loco suo*, id est, *ex cœlo*, si Divinam ejus spectes naturam, *Joan.* 3: 31. 1 *Cor.* 15: 47. Si verò spectes naturam humanam, cujus hic potior est consideratio, ex *loco* etiam *suo*; id est, Messiæ nascenti proprio, ortus est; id est, natus est *eo loco*, quem prædixerant olim Prophetæ, in Palæstina; scil. Bethlehemi, in medio populi, in Judæa sitæ, *Mich.* 5: 1. *coll. Matth.* 2: 5. *Luc.* 2: 7. atque ex sua familia Davidica, *Matth.* 1: 1. Sin autem מתחתיו designet, *desubter se germinabit*; propria sua vi & sponte, absque ulla viri aut hominis auxilio, sive ad naturam id referas, sive ad munera, sive ad prædicationem nominis EJUS per mundum (de quibus antè ad §. XIX & *seqq.*) nonne & omne hoc certum in Jesu Nazareno? Ille namque & proprium sibi ex virgine corpus adaptavit: & a magni nominis Theologis censetur esse designatus nomine *Spiritus S. superventuri in Mariam, eamque obumbraturi Luc.* 1: 35. ut qui absque dubio respectu *Divinæ* suæ naturæ, oppositè ad *carnem* suam ex *Davide ortam*, audit *Spiritus sanctitatis Rom.* 1: 4. Certè Jesus *ipse accepit formam servi hominibusque factus est similis Phil.* 2: 7. idque ex Maria, quæ *virgo* erat, *neque cognoverat virum*, & *quod in ea genitum ex Spiritu S. concepit*, *Luc.* 1: 34. *Matth.* 1: 19. Idem si ejus *Munera* consideres. In iis enim neque antecessorem habuit, neque succesſo-

ceſſorem. Etenim, quà *Sacerdos* ἀνατέταλκε, *Germinavit ex Juda, cui tribui nihil locutus eſt Moſes de Sacerdotio Hebr.* 7: 14. Quà *Rex* itidem germinavit ex Davidica poſteritate in privatorum ſtatum jam dudum redacta; ad quam tamen regiam familiam *regnum priſtinum* rediit *Mich.* 4: 8. quum Jeſus noſter illud denuo capeſſivit inſtauravitque, absque ullo etiam ſucceſſore ſolus regnans in omnem æternitatem *Luc.* 1: 32, 33. *Apoc.* 11: 15. Si porro ſpectes *propagationem nominis* & fidei Jeſu per totum orbem, ipſe cum *præconibus* fuit *Matth.* 28: 19, 20. ipſe *cum iis operatus eſt*, *Marc.* 16: 20. ipſe etiam *oſtium verbi*, *quod nemo* Euangelii adverſarius, nec Judæi, nec Ethnici, nec Antichriſtus, nec Diabolus ipſe omnium horum caput, *claudere potuit*, *aperuit Apoc.* 3: 8.

LXXVI. *Opera* huic Meſſiæ Germini attributa Jeſus noſter etiam exactiſſimè præſtitit. Hic enim *ædificavit Templum Domini*, non materiale, quod rejeci §. XXII. ſed Templum Corporis ſui *naturalis:* de quo vide dicta §. XXVIII. non modò in nativitate, cujus & ipſe, ut jam jam vidimus, exſtitit auctor; ſed & tunc cùm reſurrexit ex mortuis, propria poteſtate denuo ipſe *vitam aſſumens*, quam per ſemetipſum quoque depoſuerat *Joan.* 10: 18. Quô confirmavit quod prædixerat *Joan.* 2: 19–21. & qua reſurrectione demonſtratum dedit ſe eſſe *Filium Dei* ἐν δυνάμει, *in poteſtate*, ſive *virtute* ſua maxima *Rom.* 1. 4. hac ratione æquè *juſtificatus*, ac *vivificatus Spiritu* 1 *Tim.* 3: 16. 1 *Petr.* 3: 18. Immo & Jeſus *ædificavit Templum Domini*; quod per repetitionem ſecundo loco memorari dixi §. XXXI. Templum ſcilicet corporis ſui *myſtici*, Eccleſiæ puta: quæ uti revera *Templum Dei* Patris nuncupatur, & eſt, ut oſtendi §. jam jam *citat.* ita Jeſus ipſe, qui ipſe etiam *Deus* eſt, eam κατασκεύασε, *paravit*, dicente Paulo *Hebr.* 3: 4. & *fecit Cap.* 8: 2. uti prædixerat *ſe ſuper ſe*, ceu *petra*, *ædificaturum eccleſiam*, *contra quam haud valent vel inferorum portæ*, *Matth.* 16: 18.

c. Reſpectu Operis, ædificavit templum Domini, *& ſuam humanitatem formando, reſuſcitando, & Eccleſiam erigendo.*

LXXVII. Hic idem quoque *accepit portavitque decorem*, *majeſtatem*, tunc ſcil. quando *coronatus fuit honore & gloria*, poſt-

d. Reſpectu Gloriæ in genere, ma-

jeſtatem accepit & portavit, *ut Rex, ut Deus, ut Sacerdos. Idque ſolus Jeſus facit, ut illo* IPSE: *& non niſi poſt ædificatum* JEHOVÆ *templum.*

poſtquam minor factus fuiſſet Angelis, *Hebr.* 2: 9. coll. *Pſalm.* 8: 6. cùm *Eccleſiæ caput angulare eſt factus*, *Epheſ.* 1: 20. coll. *Pſalm.* 118: 22. quando ſcilicet *ſurſum eſt ſublatus ad dextram Dei*, *& promiſſum Spiritum S. adeptus effudit ejus dona*, *Act.* 2: 33. *coronatus* etiam tunc ſimul *honore ſacerdotali*, quando Deus Pater publicè Jeſum fecit *tranſire cœlos Hebr.* 4: 14. atque *intrare in interiora* καταπετάσματος, *Hebr.* 6: 19, 20. ut ibi foret *ſummus ſacerdos ſedens ad dextram Majeſtatis in cœlis: Hebr.* 8: 1. atque *compareret ibi coram facie Dei pro nobis*, *Hebr.* 9: 24. tanquam *unicus interceſſor pro peccatoribus* 1 *Joan.* 2: 1. Immo & recepit tunc Jeſus *gloriam majeſtatis divinæ*, *quam ante jacta mundi fundamenta habuerat Joan.* 17: 5. ſed tempore humiliationis ſuæ occultando quaſi depoſuerat, *Phil.* 2: 7. Triplicem ergo illam *Gloriam Regiam*, *Sacerdotalem*, atque *Divinam* Jeſus *portavit*, & adhuc *portat*. Verùm ita, ut in ea nihil portet niſi quod *acceperit*, & ita quidem, ut ad illud ſummum pariter jus haberet, ab omnibus pariter agnoſcendum. Eleganter id explicuit Paulus *Phil.* 2: 6--10. glorioſe deprædicans, quòd *Deus eum extulerit valde in ſummam ſublimitatem*, *dederitque ei nomen ſupra omne nomen*, *ut in nomine Jeſu ſe flectat omne genu*, *omniſque lingua profiteatur Jeſum Chriſtum eſſe Dominum ad gloriam Dei Patris.* Tunc verè *majorem portavit gloriam præ Moſe*, *Hebr.* 3: 3. atque adhuc iſthoc in majeſtatis decore conſpectus fuit a Joanne Apoſtolo *Apoc.* 1: 12--16. *corona* ornatus ac *diademate Cap.* 6: 2. & 19: 11, 22. immo multis *diadematibus*: cui & jure propterea acclamatur in cœlo & in terra, *ejus eſſe honorem*, *gloriam*, *majeſtatem &c.* Immo & ἰσχὺν καὶ κράτος, *fortitudinem* & *robur*: ibidem *Cap.* 5: 12, 13. ubi, juxta obſervationem Corn. a Lapide in noſtrum Zachariæ locum, Joannes videtur alludere ad noſtri Vatis locum, ſed juxta LXX. Virorum verſionem, qui הוֹד non per δόξαν vertunt, ſed per *virtutem*, ἀρετήν. Pro eo autem unico nomine Joannes habet ἰσχὺν, κράτος, τιμὴν, δόξαν: nempe, ut latiſſimam הוֹד emphaſin tanto melius ſic exprimat. Porro omnem illum *decorem*, uti ex pronomine הוּא §. XXXVI. ob-

obſervabamus, Jeſus portat ſolus, *nomen* np. *unicum* tantæ gloriæ, *quod ſub cœlis eſt datum*, *Actor.* 4: 12. de quo Petrus ideo palam proclamat *Actor.* 2: 36. *Certe ſciat ergo tota domus Iſraelis, quod Deus hunc fecerit Dominum & Chriſtum, hunc ipſum Jeſum, quem crucifixerant.* Jeſus denique, ut nihil in implemento deſit, accepit, & portavit demum omnem illam gloriam poſt conditum utrumque Templum Domini: hoc eſt, & illud *corporis*, ſeu humanæ ipſius naturæ; & illud *Eccleſiæ*, non conſummatæ quidem ſtatim, ſed (uti jam difficultatem illam tollere incepi §. XXXVII.) tamen jam bene fundatæ, & aliquot etiam lapidum fundamentalium, ut Apoſtolorum, & reliquorum diſcipulorum diſcipularumque accœſſione jam ædificari cœptæ.

LXXVIII. Similiter Jeſus quoque *ſedit & dominatus eſt in throno:* uti quoque, ubi conciperetur & naſceretur, promiſſus erat, tanquam ſic *dominaturus in throno patris Davidis Luc.* 1: 33. At verò Davidis *thronus* JEHOVÆ ſimul erat, & jam ſub Vet. Teſt. in terra ſic dicebatur 1 *Chron.* 29: 23. item *thronus Regni* JEHOVÆ *Cap.* 28: 3. quia in Theocratia illa externa JEHOVA ipſe erat Rex. JEHOVA verò œconomia iſthac abolita, in ſolo cœlo thronum illum ſuum habuit, atque *ſuper illo Patris ſui throno* Jeſus, uti jam §. XL. dicere debui, *conſedit dominaturus*; quando Deus *Pater eum ex mortuis reſuſcitavit, & collocavit eum ad dexteram ſuam in cœlis, longe ſupra omne imperium, ac poteſtatem, ac potentiam, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, verum etiam in futuro, & omnia ſubjecit ejus pedibus, eumque conſtituit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius, & complementum ejus qui omnia implet in omnibus:* 1 *Epheſ.* 1: 20, 21. & ibi porro *dominatur*, & dominaturus eſt tanquam *Rex in omnia ſæcula Apoc.* 11: 15. *In ſpecie etiam* ſedit & dominatus eſt in throno.

LXXIX. Jeſus etiam tanquam *Sacerdos* ibidem *ſedet.* Talis quippe deſcribitur paſſim in Epiſtola ad Hebræos, & alibi, ut jam paulo antè §. XLII. ſatis dixi. Nunc addo, quod ideo Jeſus in libro Apocalypſeos repræſentatur, non modò *Et* Sacerdos in throno.

modò tanquam *Rex*, ſed & ſimul tanquam *Sacerdos*, nam ſacerdotium id ſignificat *agnus ille mactatus*, quem Joannes conſpiciebat *in*, ſeu *ante thronum Dei Apoc.* 5: 5, 6, 12. Neque hæc duo in Jeſu noſtro pugnare eleganter dixit Hieronymus, ita ſcribens, *nec Regale faſtigium Sacerdotalem deprimere dignitatem, nec Sacerdotis dignitatem Regale faſtigium, ſed in unius gloria Domini Jeſu utrumque conſentire.* Addo inſuper, hæc duo ſimul in Jeſu ſummopere eſſe neceſſaria ad conſolationem fidelium. Etenim, ſi *Rex* ſolummodo ille exſtitiſſet, terrefaceret nos ſplendore ſuæ & potentiæ & juſtitiæ. Cùm verò & pariter ſit *Sacerdos* facit hæc συμπαθείας ac interceſſionis Chriſti conſideratio, ut ſpem ac fiduciam planè firmam habeamus: conf. *Hebr.* 7: 23--25. & 4: 14--16.

111. Oſtenditur fundamentum horum omnium fuiſſe conſilium gratiæ, quod fuit inter Deum Patrem & Jeſum noſtrum.

LXXX. *Fundamentum* tandem totius hujus gloriæ Jeſu fuit, quod *conſilium pacis* fuerit tunc revera *inter* JEHOVAM & Jeſum, quod ex univerſa Euangelica hiſtoria patet. Tota enim ea clamat Jeſum ante mundum conditum cum Deo Patre iniiſſe conſilium de liberando peccatore, atque vi ejus *conſilii* Jeſum egiſſe, quicquid egit. Inde dicitur *Patris voluntatem feciſſe, ejuſque opus conſummaſſe*, atque illam *ejus cibum* fuiſſe, *Joan.* 4: 34 & 17: 4. Immo inde dicitur *nihil feciſſe Jeſus, quod non viderat facientem Patrem, Joan.* 5: 19. *nil* etiam *locutus, quod non mandaſſet ei Pater, Joan.* 12: 49. Cujus fidelitatis etiam teſtimonium ipſi palam cœlitus dedit Deus: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui* & *acquieſco Matth.* 3: 17. Ex quo fonte derivanda eſt quam nobis ille acquiſivit *pax* I. *Conſcientiæ*, de qua Paulus ait, quod *juſtificati fide pacem habeamus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem prope etiam accedamus ad ipſum gratiæ thronum Rom.* 5: 1, 2. *Hebr.* 4: 16. Atque hanc pacem, Jeſu nato per Angelos quidem annunciatam *Luc.* 2: 14. *Coll.* 1: 20, 21. revera tamen demum adduxit Jeſus, poſtquam tanquam *Rex* & *Sacerdos* conſedit in throno JEHOVÆ. Quam pacem II. Illa eſt ſecuta, quæ demtâ omni, quæ prius erat, inimicitiâ, nec non paricte intergerino rupto, nunc obtinet Gentes inter ac Judæ-

dæos; de qua Paulus: *Ipſe enim eſt pax noſtra, & qui veniens pacem quoque euangelizavit iis, tum qui longe, tum qui prope erant, ut utrique per ipſum haberent aditum per unum Spiritum ad Patrem Epheſ.* 2: 14---18. Cujus tamen plenariam adimpletionem adhuc exſpectamus ultimis temporibus, quando omnibus Eccleſiæ inimicis vel abolitis *Rom.* 16: 20. vel pacatis, cum introitu Gentium, & ſalute totius Iſraëlis *Rom.* 11: 25. pax illa univerſalis in univerſa exſtabit terra: ſicque patebit Deum cum omnibus in Chriſto pacatum, eos omnes condere in unum novum hominem; qui tunc, quod Paulus *Epheſ.* 4: 13. pro ultimo miniſterii Euangelici termino ponit, *perveniet ad unitatem fidei*, & *cognitionem Filii Dei, ad conſummatum virum, ad menſuram quantitatis plenitudinis Chriſti:* quando Eccleſia tali in ſtatu conſpicietur, qualis Apoſtolo Joanni ea obverſabatur *Apoc.* 21: 1. *& ſeqq.* tandem omni hac Chriſti ſui gloriâ & majeſtate in æternum fruitura atque ſatianda, *Joan.* 12: 26. & 17: 24.

LXXXI. Atque hæc ſatis dicta ſunto de illuſtri hoc vaticinio de Meſſia, ejuſque in Jeſu noſtro exactiſſimo implemento. Vix jam operæ pretium eſt Judæorum audire exceptiones, quas ad hoc formant; tam hæ jejunæ ſunt; utpote ab ingenio hominum profectæ, qui ubi ſe convictos eſſe apprehendunt, furere, & contra ſtimulos calcitrare non deſinunt. Cavillantur ergo hi A. Non poſſe hanc Prophetiam in Jeſu Nazareno ſuam habere veritatem, quando quidem Templum Dei ille nullus ædificavit: materiale nempe & externum, quod illi intelligunt. Nos verò §. XXII. *& ſeqq.* oſtendimus hic de Templo materiali nequaquam agi, at verò prorſus ſpirituali: quod Jeſum omnino ædificaſſe abundè jam docuimus §. LXXVI. Docuimus præterea in antecedentibus §. LXXII. Templum Zerubbabelis cum ſacerdotio Joſuæ typico non debuiſſe abire, antequam adeſſet Vir Germen, ſacerdos antitypicus, & opus ædificandi Templi Domini hic promiſſum aggrederetur. Vel ergo Judæi fateantur Zachariam fefelliſſe: vel agnoſcant ſpirituale iſtud opus, quod Jeſus perfecit, ædificando domum JEHO-

Objectiones Judæorum.

VÆ, cùm in ſua humanitate, tum præ primis in credentibus, ex omni gente ad JEHOVAM Deum Abrahami convocatus; quod utique negare non poſſunt per Jeſum revera factum fuiſſe, eſſe ipſiſſimum implementum.

Promiſſiones divinæ non ſuſpenduntur a conditionibus.

LXXXII. Porro cavillantur B. Judæi hoc promiſſum dependere ab ea conditione, quæ occurrit *verſ.* 15. *Hoc futurum eſt, quùm omnino auſcultaveritis voci* JEHOVÆ *Dei veſtri.* Ita enim, quando his & ſimilibus Prophetiis ad incitas ſe redigi vident, excipere ſemper ſolent eas conditionatas eſſe, & ab eorum dependere obedientia, quam cùm nondum præſtiterint; contrà autem prævaricatores maneant, Deum Sanctum Benedictum earum idcirco differre adimpletionem, quia prorſus illâ indigni ſunt. Poſſunt videri quæ in hanc rem memorat Martinus Raym. *Pug. Fid. Part.* 2. *Cap.* 15. §. 9, 10. Ad hanc exceptionem reſpondeo in ſpecie. Etiamſi plurimi non auſcultarint, auſcultarunt tamen multi, *reliquit enim ipſis ſemen* JEHOVA *Zebaoth Rom.* 9: 29. coll. *Jeſai.* 1: 9. Neque enim promiſſum ullibi erat, omnes Meſſiæ auſcultaturos. Sufficiebat, parte maxima pereunte, ſervari *ſemen ſanctum*, idque vel ipſis Judæis fatentibus. Illi enim in hanc rem citant *Jerem.* 3: 14. quem locum de Meſſia ipſi intelligunt, ajuntque *eum recepturum unum ex civitate, & binos ex familia*; uti factum referunt tempore diluvii, ubi pauci ſervati ſunt in arca; & in introductione in Canaänem, ubi ex ſexcenties mille hominibus Joſua & Calebus ſoli fuêre ingreſſi in terram promiſſionis. Conferri hic poſſunt ea quæ antè diſputavimus in *Diſſertat.* ad *Jer.* 23: 5, 6. §. LXXVII. Reſpondeo 11. Magis in genere, merum figmentum eſſe Dei promiſſiones à conditionibus dependere, ita ut illarum impletionem eouſque Deus differat donec hæ præſtentur. a. Cùm ſic plurimum fieri poſſet, ob perverſam fallacemque hominis indolem, ut ejus promiſſiones nunquam executioni mandarentur. Deus autem verax, menturi ac pœnitere neſcius, *Pſalm.* 116: 11. *Num.* 23; 19. coll. *Rom.* 3: 4. non debet dependere a mendacis hominis atbitrio. b. Sæpiſſime etiam ſuas Deus promiſſiones ſimpliciter effert, qua-

pro-

propter & effectum ſimpliciter ſubſequi res ipſa poſtulat. Quales promiſſiones abſolutæ in cauſa venturi Meſſiæ multoties occurrunt, non tantùm non ſuſpenſæ a Judæorum converſione, ſed & eorum impietatem palam ſupponentes, uti *Eſai.* 8: 13, 15. & 40: 3–9. *Hab.* 2: 3. *Mal.* 3: 1–6. & alibi. Quod ergo alibi abſolutè promiſſum eſt, non poteſt in noſtro Oraculo a conditione ſuſpendi.

Quod ex ipſis Judæorum traditionibus firmatur.

LXXXIII. Confirmabo hanc rem omnem ipſis Hebræorum Doctorum commentariis, ſi eos audire malint Judæi, quàm Chriſtianos. Tradunt quippe hi vaticinia de rebus futuris, & eò quidem magis de rebus futuris bonis, a bono Deo edita, neceſſariò ſuum ſortiri adimplementum. Hanc Judæorum ſententiam luculenter exponit R. Iſaäc. Abhuhabh, natione Hiſpanus, diſcipulus R. Kanpanton, floruit ille ſeculo 15. Vid. Bartoloccii *Biblioth. Magn. Rabbin. Part.* 3. p. 871. Scripſit librum ſub titulo מנורת המאור / q. d. *Candelabrum Luminaris*, ſive *Lucis*, ex *Exod.* 35: 14. & *Numer* 4: 9. Ratio inſcriptionis eſt, uti ſuper candelabrum aureum Moſaicum lucernæ ſeptem ardebant *Exod.* 25: 37. ita hunc ſuum librum in ſeptem הנרות / *Lucernas*, tanquam in tot Tractatus Libroſve diviſit. Is verò *Lucern.* 5. in qua agit de *Pœnitentia* &c. *Claſſ.* 1. P. 1. C. 1. diſertè ſcribit ודבר ברור / הוא מה שנחר וכו' *Res eſt*, inquit, *extra controverſiam poſita, quod Sanctus Benedictus ea, quæ in bonum decrevit, nullo modo immutet. Et hoc fundamento nititur argumentatio Prophetæ Jeremiæ b. m. qua utitur in diſputatione adverſus Hananjam, filium Azuri Jer.* 28: 8 & 9. *cum Jeremias mala mortemque nuntiaverat, & expugnationem civitatium Iſraelis per Nebucadnezarem, atque deſtructionem Templi; contrà Hananja Azuri filius contraria bona prædixerat. Ad hæc ait Jeremias, etiamſi fortè malum præſagium ſuo eventu deſtitueretur, inde tamen vaticinium ſuum mendacii non poſſe argui; cum fortaſſe Deus miſericordia erga eos uti, vel ipſi ad meliorem frugem redire poſſint. Contrà vero ſi verba Hananjæ implementum ſuum non ſortiantur, inde liquido conſtare eum pſeudo-prophetam eſſe.* Hæc ille. Etiamſi verò hæc dicta magis vide-

antur de prophetiis abſolutè abſque conditione productis, quæ ſuum certò ſortiantur effectum, hic tamen forſan dices; at verò totius Zachariæ oraculi concluſio conditionalis eſt *verſ.* 15. *Atque hoc quidem futurum eſt, cum omnino auſcultaveritis voci* JEHOVÆ *Dei veſtri.* Verùm iidem Magiſtri ſimilia etiam habent de prophetiis quæ cum conditione proponuntur, quæ haud minus ſuum conſequantur effectum. Inſigne eſt teſtimonium, quod reperitur in libro, cui titulus ברכות / ubi *Cap.* 1. hæc leguntur: כל דבור / ודבור שיצא מפי הב"ה לטובה וכו' *Omne effatum quod exit ex ore Sancti Benedicti in bonum, etiamſi a conditione ſuſpendatur, nulla tamen ratione immutari poteſt.* Sed de his ſatis impræſentiarum: quandoquidem ſi ita providentiæ viſum, animus eſt in Tractatu ſingulari demonſtrare Jeſum Nazarenum eſſe promiſſum Meſſiam, & adveniſſe tempore præſtituto, ubi ſedes erit hanc veritatem à Judæorum objectionibus pluribus vindicare.

Operis concluſio.

LXXXIV. Atque ſic tandem, Deo clementiſſimè & annos largiente & vires, Diſputationes olim a me deſtinatas exercendæ Juventuti Academicæ, licuit relegere, augere, emendare, & in hoc Diſſertationum Syſtema ordinare. CHRISTUM JESUM in iis demonſtravi fuiſſe UNICUM AC PERPETUUM ECCLESIÆ FUNDAMENTUM, inde a Paradiſo, per tempora Patrum antediluvianorum ipſiuſque Noachi, qui & ante & poſt diluvium vixit: deinceps PATRIARCHARUM Abrahami, Iſaäci, & Jacobi, quorum CHRISTOLOGIAM ſumus contemplati: porro OECONOMIÆ MOSAICÆ, & ante, & poſt captivitatem Babylonicam, quando Zacharias noſter cum Haggæo & Malachia Prophetis ultimis, ultima religionis ac FIDEI præcepta Judæis dederunt, quæ ſervare deberent uſque ad promiſſionum omnium implementum. Quàm verò præclarè Zacharias Meſſiam hic depinxerit, tanquam univerſæ Eccleſiæ conditorem unicum, totius Oraculi argumentum tam perſpicuè oſtendit, ut pluribus verbis haud opus ſit. Genua flecto coram Deo, & Patre Domini noſtri

Jeſu.

Jesu Christi, faxit ille ut qualiacunque hæc mea glorificandi JESUM conamina tantum Lectoribus meis prosint, quantâ a me conscripta sunt sinceritate atque benevolentia!

DISSERTATIO VIII.

AD HAB. 2:3.

Qua agitur

DE

DURATIONE VISIONIS.

BREVIARIUM.

I. *Studium Propheticum ab omnibus sanctis excultum, a Judæis valde impiè prohibitum.* II. *Connexio hujus dicti & scopus ejusdem consolatorius in secutura mox Templi & Urbis ruina.* III. *Divisio.* IV. *Quid hic sit* Visio. V. *Quid* עוד / adhuc. VI. *Quid* למועד / ad statutum tempus. VII. *Quid* יפח לקץ / *ubi duplex versio.* VIII. *Est* יפח Locutor, Testis, *vel* Præco, *isque Messias, quod demonstratur.* IX. *Et confirmatur* א. *Per tempus advenientis hujus Christi* לקץ/ ad finem. X. *Uti &* ב. *Per certitudinem hujus adventus. a.* Non enim mentietur. XI. *b.* Veniendo veniet, *& ideo* si cunctabitur, præstolator eum. Cunctari *quid?* XII. *Quid* præstolari. XIII. *Quid* veniendo veniet? XIV. *Quid denique*, non tardabit. XV. *Scopus hujus consolatorius, & implementum.* XVI. Visio *mansit ad præstitutum tempus.* XVII. *Et* in fine *Jesus* Præco *adfuit, &* non fuit mentitus. XVIII. *Jesus etiam* veniendo venit. XIX. *Judæorum effugium de Messiæ adventu dilato.*

XX. *Quod* 1. *Impium ſanè in Dei veracitatem.* XXI. *Promiſſio enim malè fingitur conditionata fuiſſe.* XXII. *Quod ex ipſis confirmatur Judæis.* XXIII. *Quodque etiam* 2. *Contrariaretur perpetuo tramiti viarum Dei.* XXIV. *Sed &* 3. *Propriis Judæorum principiis, uti A. Traditioni Elianæ de tempore adventus Meſſiæ.* XXV. *Hanc etiamſi ipſi* exceptione *illâ* dilatoriâ, *prudentius tamen adhibitâ, eludere conentur; ut oſtenditur ex Menaſſe, Talmude,* XXVI. *Item ex hiſtoria Judaica a Gentio Latinitate donata,* XXVII. *Exceptionis iſtius vanitas.* XXVIII. *Uti B. Traditioni alteri Talmudicæ de ſumma Judæorum corruptione, cùm Meſſias veniet.* XXIX. *Immo & C. Traditioni tertiæ de reliquis ſemper inter Judæos ſat multis piis, propter quos Meſſias venire poſſet, uti alio quôvis tempore.* XXX. *Sic certè maxime expiationis magnæ die.* XXXI. *Judæorum inter ſua figmenta miſera fluctuatio.* XXXII. *Nec non effrenata licentia.* XXXIII. *Operis concluſio.*

I.

Studium Propheticum ab omnibus ſanctis exultum, a Judæis valde impiè prohibitum.

ATque hic quidem Libro meo finem cum diſſertatione præcedenti imponere primùm propoſueram. Cùm verò Judæi, quâ ſunt pertinaciâ, etiam atque contendant Prophetias de Meſſia agentes nondum adimpletas, eaſque, adimpletis licet omnibus temporum ſignis; ob populi peccata, & neſcio quas alias ob cauſas a Deo differri, nolentes etiam Prophetiarum inquiſitionem ad populum omnem ſpectare; id itaque negotii hac in præſenti Diſſertatione mihi adhuc datum cenſui, hanc ut eorum poſitionem & falſitatis & impietatis convincam. Ubi in anteceſſum verbo præmiſerim, liquido ſatis ex Vatum Oraculis conſtare ejuſmodi inquiſitionem omnibus & ſingulis, ad Iſraëliticam pertinentibus Eccleſiam, atque ex promiſſionibus divinis ſuo definito tempore Meſſiæ adventum exſpectantibus, fuiſſe ſeriò injunctam. Inde omnibus citra ullum diſcrimen præſcribitur

Eſai.

Eſai. 8: 20. *Ad Legem & teſtimonium*, quæ conſulere debeant: & additur comminatio ſevera ſecus facienti. Et *Cap.* 34: 16. *Quærite in libro* JEHOVÆ, *& legite: unum ex his non defuturum eſt: unum nec alterum deſiderabunt: nam os meum eſt quod præcipit, & ſpiritu ſuo idem congregabit* ea. Quod, Petro teſte 1. *Epiſt.* 1: 10, 11. omnes olim Prophetæ; quod ſub aurora Novi Teſt. Simeon & Joſephus Arimathæenſis fecerunt, ut ſcilicet *inquirerent in quod, aut quale tempus, paſſiones venirent in Chriſtum, & gloria eas ſecutura:* ut *exſpectarent conſolationem Iſraëlis Luc.* 2: 25. & *regnum Dei Marc.* 15: 43. idem illud tempore jam Jeſu penes maximam Iſraëlis partem turpiter negligebatur, accuſante ideo eos ipſo Jeſu *Matth.* 16: 3. quod *ad ſigna temporum non attenderint.* Poſt tempora verò Jeſu idem illud ſtudium valde impiè ex Iſraële ſublatum fuit diriſque devotum. Solent quippe dicere Judæi, quod reperimus dictum, in Talmude *Codice Sanhedrin Cap.* 11. §. 30. quodque Maimonides etiam inde deprompsum repetit *Cap. ult.* operis magni, ubi de Meſſia agit: תִּפַּיח רוּחָן שֶׁל מְחַשְּׁבֵי הַקִּצִּים / *Elidatur*, ſive *exſpiret anima eorum, qui ſigna*, ſive *terminos temporum ſupputant.* Et abominandam exſecrationem tegunt hac ratione in *Cod. Sanhedrin loc. cit. Solet enim ita contingere, ut cum adeſt terminus, nec venit promiſſio, homines dicant eam nunquam venturam.* Immo hic ipſe Maimonides hanc imprecationem in ipſos fidei Judaicæ articulos *Comment.* in *Sanhedr. Cap.* 10. referre haud dubitavit; quemadmodum & apud Abarbanelem de *Capp. fidei Cap.* 7. eam reperias. Hoc nempe illi interdicto ſanciunt, ne quiſpiam in Meſſiæ adventu inveſtigando temporum calculo adhæreat. Hoc enim ſi fiat, norunt ſatis Judæi cauſâ ſe cadere ſua. Cavent itaque, ſed ſimul etiam deſperatam cauſam ſic ſatis produnt: eòque magis eam produnt, cùm hoc ipſum anathema (ut nonnulli putant) cuderint ex verbo יָפַח / quod reperimus *Hab.* 2: 3. id eſt, ex loco, quô non efficacior eſt alius ad ſtudium, quod hi tantopere abominantur, omni Iſraëlitæ commendandum. Verba ſic ſe habent

bent Hebraïce: כִּי עוֹד חָזוֹן לַמּוֹעֵד וְיָפֵחַ לַקֵּץ וְלֹא יְכַזֵּב אִם־יִתְמַהְמָהּ הַכֶּה־לּוֹ כִּי־בֹא יָבֹא לֹא יְאַחֵר: Latinè ea de verbo ad verbum ita ſe habent ex interpretatione interlineari Xantis Pagnini & Ariæ Montani: *Quia adhuc viſio in ſtatutum tempus, & efflabit ad finem, & non mentietur. Si moram fecerit, exſpecta eum, quia veniendo veniet, non tardabit.*

Connexio hujus dicti, & ſcopus ejuſdem conſolatorius inſecutura mox Templi & Urbis ruinæ.

II. Propheta hic quando vixerit, quæ hujus vaticinii occaſio, quis ſcopus, operoſè demonſtratum videri poteſt in Commentario Anno 1700. à noſtro Clar. Salom. van Til in hanc prophetiam edito. Id breviter hic nobis repetendum, hanc editam prophetiam tempore ingentis in gente Judäica & in doctrina, & in moribus corruptionis: qualis ex. gr. introducta fuit ſub Menaſſe, ejuſque filio Ammone, Regibus Judæorum impiis. Hæc occaſionem præbuit A. Prophetæ iſtam de populo querelam inſtituendi coram Deo judice, qui hic conſideratur tanquam piorum agens cauſam, & judicium in hypocritas parans, *Cap.* 1: 2. 4. Uti ad querelam eam B. Deus aperit conſilium ſuum de inſtanti iſtius corruptionis pœna terribili per Babylonios, *verſ.* 5–11. C. Propheta autem hoc reſponſo exterritus Deo objicit, Babylonios ſic ſe inſolenter claturos, Dei autem populum fœderatum perituram: *verſ.* 11–17. Quo dicto Propheta humiliter ſe & avidiſſimè componit ad reſponſum aliquod conſolatorium accipiendum, non tamen ſine metu *correptionis Cap.* 2: 1. D. Deus verò hunc metum Prophetæ demit illo reſponſo benigno *verſ.* 2. in quo præmittitur a. Præceptum tale: *Scribe viſionem, & perſpicuè pone in iſtis tabulis, ut percurrat lecturus eam verſ.* 2. *Part.* 2. Tanta nempe erat viſionis hujus dignitas, tanta neceſſitas ad univerſi populi bonum ac ſolatium. Ita quippe pluribus fit veroſimile ſolitos fuiſſe Prophetas, ſi non in omnibus, certè in maximi momenti, & ad totius populi ſalutem ſpectantibus revelationibus, tabulis inſcripta, literis majuſculis, quæ etiam prætercurrentium oculos feriant, palam vel in Templo, vel fortè etiam ante,

vel

vel intra ſuas etiam ædes populo legenda proponere: more Pontificibus ſummis etiam deinceps populi Romani uſitato, quem huc adfert Coccejus noſter ex Cicerone de Oratore *Lib.* 2. verbis hiſce: *Res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus: efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi.* Pergit tum Celeb. Interpres: *Ad id exemplum licet referas Eſai.* 8: 1. Sequitur tunc b. Viſio ipſa, ſive revelatio Prophetæ facta *verſ.* 3. quæ ex verſione Junii ac Tremellii ſic ſe habet: *Nam adhuc viſio ad conſtitutum tempus* rejecta eſt, *quam effabitur ſuo termino, neque fallet: ſi cunctabitur, exſpecta eam, nam omnino eventura eſt, ac non tardabit.* Celeb. Cocceji verò: *Adhuc* erit *viſio ad ſtatutum tempus, & Præco* erit *in fine, qui non mentietur. Si tardet, præſtolare eum. Nam veniendo veniet, non poſt tempus veniet.* Particula כִּי quæ in Hebraico hic eſt textu, hic potius vertimus per *quod*, ut ita hic verſus contineat ipſa verba *viſionis*, quæ inſcribere tabulis juſſus erat Propheta *verſ.* 2. antecedenti. Eſt autem iſta promiſſionis ſumma, nimirum *permanſurum in Iſraële, &, ſi fortè pro tempore aboleretur, non tamen ceſſaturum, ſed reſtauratum iri Templum, & divinum in illo cultum poſt Iſraëlis in Babele reſipiſcentiam, & duraturum adhuc ad præſtitutum aliquod tempus*, id eſt, ad tempus Meſſiæ, *qui tempore præſtituto certò adventurus erat, nec tardaturus.* Qua itaque promiſſione non alia majori poterat eſſe ſolatio Iſraëlis & nunc, & ſi quando ille in captivitatem diruto Templo, urbe incenſa, miniſterio verbi ceſſante, cultu Levitico abolito, abduceretur.

III. In hac itaque pericopa duo maximi momenti promittuntur. I. Conſtans duratio œconomiæ veteris & cultus divini, nequaquam, quicquid per Chaldæos eveniret, abolendi in totum, aut perpetuum, antequam ipſum prophetiarum umbrarumque implementum & corpus adeſſet, his verbis: *Viſio adhuc erit ad ſtatutum tempus.* II. Ipſius adventus Meſſiæ, illuſtratus a deſignatione N. Temporis de- *Diviſio.*

terminati *ad finem*. ב. Certitudinis fallere neſciæ, etiamſi nonnullis fortè tardare videretur: quæ triplici dicto exprimitur: a. *Non mentietur*. b. *Si tardet*, ſive *moretur*, *præſtolare eum*, *nam veniendo veniet*. c. *Non tardabit*, ſive, *non poſt tempus veniet*.

Quid hic ſit Viſio. IV. חזון ſæpe metonymicè notat in Sacris ipſum verbum propheticum, ſive inſtitutionem populi Dei per verbum propheticum, quia hoc per modum viſionis, ſive vigilantibus, ſive dormientibus oblatæ, ut plurimum cum Prophetis communicabatur: qualis viſio extraordinaria dici poteſt, de qua magnificè loquitur Bileamus *Num*. 24: 16. cujuſque modum majeſtate plenum deſcribit Eliphas Themanites *Job*. 4: 13. Atque iſto, quo dixi, ſenſu dicitur *viſio Eſaiæ Cap*. 1: 1. *Liber viſionis Nahumi Cap*. 1: 1. Atque iſto ſenſu dicitur *Prov*. 29: 18. *Cùm non eſt viſio*, id eſt prophetia, ſive verbi prophetici, aut nondum exſtantis revelatio nova, aut jam exſtantis prædicatio ad populum, *nudatur populus*. Ipſi etiam Prophetæ ab hac ipſis facta viſione vocabantur *Videntes*, חזים / Quò ſufficit unus ille locus notabilis 1. *Sam*. 9: 9. *Antiquitus in Iſraële ſic dicebat quisque*, *cùm profecturus eſſet ad conſulendum Deum*; *agite*, *eamus ad Videntem*: nam qui Propheta *hodie*, *antiquitus vocabatur Videns*. Ipſa immo urbs Hieroſolyma, ubi, ut plurimum, ſtante Templo, ſolebant degere Prophetæ, ſuaſque & accipiebant & edebant viſiones, inde titulo *vallis Viſionis* gaudet *Eſai*. 22: 1. quamvis & ſequens notio *viſionis* hoc titulo includi poſſit. Nempe & alia ſub veteri OEconomia obtinebat *viſio*, quæ omnibus fidelibus communis, *ordinaria* dici poteſt, quæ partim prudenti contemplatione omnium iſtarum umbrarum legalium in terra ſancta, Urbe, Templo, & toto Choragio Levitico, partim etiam verâ meditatione & intelligentia prophetiarum conſtans, ſingulos fideles, præmonſtrantibus tamen arcanorum illorum interpretibus, id eſt, ſive Prophetis, ſive Sacerdotibus & Levitis, ceu totidem *Vigiles* & *Speculatores* faciebat anhelare & proſpicere ad Meſſiæ adventum exoptatiſſimum: prout ita Eccleſia inducitur loquens

quens *Mich.* 7: 7. *Ego* JEHOVAM *verſus ſpeculabor, præſtolabor Deum ſalutis meæ: exaudiet me Deus meus.* Quam Prophetæ phraſin imitatus Paulus de Antiquis dixit, quòd *in fide* quidem *omnes ſint mortui, non adepti promiſſionem:* id eſt, ipſam rem promiſſam: ſed *eminus* tamen *eam conſpicati ſunt Hebr.* 11: 13. Ita tanquam in imaginem & ſpeculum viſibile futurorum bonorum efficiebant inſtrumenta omnia cultus typici, omnia ferme ex rebus hujus mundi viſibilibus ac palpabilibus deſumta, conjuncta cum vero verbi prophetici intellectu. Eſt tamen ubi hæc duo conjunguntur, *Viſio* nempe & *Propheta*, ceu quæ *obſignari* ſuo tempore debebant *Dan.* 9: 24. id eſt, impleri *Joan.* 6: 27. & tunc *ceſſare Matth.* 11: 13. Quæ vel ita diſtingues, ut per *Prophetam* intelligas populi doctrinam, ſive inſtitutionem ſub Vet. Teſt. quæ fiebat ex Prophetarum ſcriptis. Per *Viſionem* verò eam, quæ hauriebatur ex umbris legalibus & viſibilibus, (videatur Coccejus in *Dan.* 9: 24. & in *h. l.* Habacuci) Vel ita etiam, ut *Viſio* ſit modus ipſe revelationis, quo Deus ſub Vet Teſt. verbum ſuum cum Prophetis communicabat: *Propheta*, נביא verò ſit miniſterium, quo extraordinarias ſibi datas viſiones Eccleſiæ exponebant & applicabant, cùm Prophetæ ipſi tum ordinarii quoque eſſent doctores Eccleſiæ, uti vox *Prophetæ*, *prophetiæ*, & *prophetandi* ita ſumitur etiam 1. *Cor.* 14: 1. 3. Hic verò loci *Viſio* latius ſumitur, & utrumque illud complectitur, & ſcilicet verbi prophetici revelationem extraordinariam, & ordinariam, ſive miniſterium verbi & cultus divini; ſenſu nempe iſto: *Viſio*, ſupple *erit*, ab hoc ipſo tempore datæ hujus Habacuco promiſſionis, & deinceps ſemper, uſque ad adventum ipſius Meſſiæ, ſupererit in medio Iſraëlis, in quemcunque etiam illis ſtatum miſeriæ venerit *Viſio*, ſi non in totum, ſaltem ex parte; ſi non extraordinaria & ordinaria ſimul, ſaltem alterutra; ſi non ſine omni interruptione, ſaltem ſine perpetua abolitione.

V. עוד enim *adhuc*, ne temere hic agamus, inſpiciendum eſt propius. Ego uſurpari id video 1. De re præſenti, & mox deſitura ex. gr. *Job.* 8: 12. *Pſalm.* 37: 10. &c. *Quid* עוד / adhuc.

2. De re præſenti & continuanda porro, uti *Job.* 2: 3. *Pſalm.* 78: 32. *Prov.* 9: 9. 3. De re non præſenti, ſed reſtituenda. Sic *Job.* 14: 7. *Pſalm.* 42: 6. *Eſai.* 14: 1. 49: 20. Nec primo, nec ultimo ſenſu עוד non tantùm hic loci haud neceſſariò ſumi debet: ſed ne quidem ſumi poteſt. Nam phraſis ea כי עוד חזון למועד / illum ſenſum non patitur: quaſi eſſet, nam denuo *erit viſio* (id eſt, abolita reſtaurabitur) *& erit ad tempus ſtatutum*, id eſt, *reſtaurata* durabit *ad tempus ſtatutum:* עוד enim ſemper in talibus continuationem notat *Dan.* 8: 17. כי לעת קץ החזון / phraſis gemina noſtræ ſignificat, *Nam ad tempus finis eſt*, ſive *pertinet viſio*, uti Coccejus vertit. Sic *Dan.* 10: 14. כי חזון עוד לימים / *Nam viſio adhuc ad dies.* Sic *Dan.* 11: 27. כי עוד קץ למועד / Coccejus ait a Brougtono *non male conferri* cum *Matth.* 24: 6. Ἀλλ' οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος. *Sed nondum eſt finis.* Ita hic: כי עוד החזון למועד / *Nam*, vel *quod adhuc viſio erit*, ſive *pertinebit ad tempus ſtatutum.* Prædicitur ergo, ubi eventus, optimus prophetiarum interpres, docuit a. Inde ab Habacuco ad captivitatem Babylonicam fore *extraordinariam* viſionem Zephaniæ, Jeremiæ, Ezechiëlis, Daniëlis: fore etiam *ordinarium* miniſterium. b. In captivitate viſionem utramque aliquatenus defecturam, at brevi reſtitutum iri: *extraordinariam* per Haggæum, Zachariam, Malachiam; *ordinariam* per Sacerdotes ac Levitas. Tempore quidem Antiochi Epiphanis *hanc*, poſtquam *illa* in totum cum Malachia deſiit, valde iterum defecturam; ſed brevi inſtaurandam, neque porro ceſſaturam in Dei populo *ordinarium* illud miniſterium, uſque dum veniat ille יָפֵחַ / *teſtis*, qui hic ſimul promiſſus eſt.

Quid למועד *ad ſtatutum tempus.*

VI. Haberet enim viſio illa qualiſcunque durationis ſuæ terminum, qui indicatur in textu per מועד / Notat hæc vox *ſtatutum* quoddam ac *determinatum* tempus, ſive in naturali ſyderum curſu; Ita *Gen.* 1: 14. ſive etiam in prædictione aut verbo Dei: ita *Gen.* 17: 21. 21: 2. *Dan.* 8: 17-19. Id in genere: quæ notio ex verbo יעד / *indixit*, *condixit*, *conſtituit*, tempus ſcilicet aut locum ad aliquid faciendum;

&

& in Niphal נוֹעַד / *convenire*, *congregari*, facilè deducitur Hinc & magis in ſpecie ſignat dies congregationum feſtos ac ſolennes ex Lege Judæis obſervandos: *Levit.* 23: 2, 4, 37, 44. *Num.* 10: 10. *Hoſ.* 9: 5. Denique indicat etiam מוֹעֵד tempus adventus Meſſiæ *Pſalm.* 102: 14. ſive ex originali vocis notione id ſic dicatur, quia tempus eſt exactè determinatum & indictum, non in arcano Dei conſilio, verùm & in Oraculis Prophetarum, uti jam diximus ſupra §. I. ſive etiam ex ſpecialiori vocis uſu *tempus Meſſiæ* vocetur מוֹעֵד / *tempus feſtale*, quô omnium feſtorum maximum celebraretur, quô per corporis ipſius præſentiam omnibus umbraticis feſtis finem imponeret, omneſque Iſraëlitas veros undique ad veram feſtivitatem congregaret, *Pſalm.* 50: 1——15. coll. *Joan.* 10: 16 & 11: 52. tanquam oppoſitus *viſioni*, ſive *videntibus* œconomiæ veteris. Ille enim clarè omnia *teſtaretur*, quæ hi per modum *viſionis* obſcuriorem & accipiebant ipſi, & cum Dei populo communicabant. Certè Deo, quamvis *nota ei ſint omnia opera ſua Act.* 15: 18. viſum tamen fuit ſingulis *definitum tempus* ſuum ſtatuere decreto, & plurimis oraculo ſuo prædicere: unde, uti dici poteſt *omnia ſub cœlo ſuum habere tempus*, & *Deus ipſe omnia ſuo tempore pulchra facere Eccl.* 3: 1---11. ita & omnes prædictiones impleri *ſuo tempore Luc.* 1: 20. quod aliàs *tempus impletum*, ſive *plenitudo temporis* vocari ſolet, *Matth.* 3: 2. *Gal.* 4: 4. neque, docente nos id Amozo *Cap.* 3: 7. *ullam rem*, ſubintellige magnam & notabilem, *Deus fecit*, aut *faciet* in Eccleſia, aut etiam in mundo, in quantum hujus fata ad Eccleſiam ſpectant, quin *Prophetis ſuis arcana ſua revelârit*, id eſt, aperuerit & eventum ipſum, ejuſque tempus, aut per præcellentia ſigna computandum, aut etiam certo annorum definitum numero, ut homines attenderent ad progreſſum viarum divinarum, facerentque quod ad *pacem ſuam* pertinet. Sic primo mundo ſtatuit reſipiſcentiæ tempus 120. annorum *Gen.* 6: 3. de quibus ego ex profeſſo antè egi in meo *Libro* de *Chriſto unico ac perpetuo Eccleſiæ fundamento* peculiari *Diſſertatione* in *h. l.* p. 545. *& ſeqq.* Sic deinceps in mundo

altero ſemini Abrahami ſtatuit *quadraginta annos, quibus labentibus hoc peregrinum foret, & ſervum in terra aliena*; lapſis verò fierent *in gentem magnam*, *Gen.* 15: 13, 14. Quod & poſtea exactè tempore ſtatuto eveniſſe notatum eſt *Exod.* 12: 40, 41. Sequentibus verò ætatibus Iſraëli *ſeptuaginta* determinati ſunt ſervitutis *anni* in captivitate Babylonica *Jer.* 25: 11. quorum inſtantem exitum Daniel ipſe tam attentè obſervabat *Dan.* 9: 2. Quó modô cùm Deus in minoribus & typicis ſuis operibus fecerit, nonne par eſt credere maximum Dei omnium mirabilium, id eſt, Meſſiæ adventum, non in incerto eſſe relictum apud Prophetarum oracula? Hic loci, fateor, in genere memoratur *tempus aliquod definitum* abſque annorum determinatione peculiari. Sed probè obſervandum Deum gradatim, & per partes quaſi voluiſſe incedere in ſuis de Meſſiæ adventu promiſſionibus. Etenim, harum primis maximè ſignificabat quod Meſſias *venturus* eſſet, *qualis* eſſet, & *quale* ejus opus. Fore nempe *ſemen mulieris*, ſuoſque liberaturum a Satanæ poteſtate. Sequentibus oraculis Deus ſigna temporum per Moſem Iſraëli propoſuit, quibus ordine ſe invicem ſecutis, tandem in fine Meſſias, *circumciſor ille cordium*, adeſſet *Deut.* 30: 6. Similem computandi methodum per ſequentes Deus Prophetas Eccleſiæ ſuæ renovavit, ſignis temporum identidem aliis atque aliis revelatis, & ad priora additis: donec tandem iſtud tempus *adventus Meſſiæ*, & *viſionis abrogandæ* præciſè adeo determinatum fuerit, ut non tantùm circumſtantiis ſingularibus id deſcriptum ſit, ſed & ipſo annorum numero deſignatum, uti notum eſt ex Daniele *Cap.* 9: 24. ubi *ſeptimanæ ſeptuaginta* aperiebantur *deciſæ ſuper populum Dei, & civitatem ejus ſanctam*, de quibus hic non eſt impræſens diſſerendi locus. Noſtri Prophetæ erat ſuo tempore adhuc loqui generalius, & indicare *viſionem* non perduraturam ſemper ac perpetuò, ſed tantùm ad *tempus determinatum*: quo ergo impleto ceſſaret, atque meliori OEconomiæ locum faceret. Id quod ipſe ille hic mox memorandus *teſtis* ſuo illo *tempore* præclarè Eccleſiæ Judaicæ Doctores docuit

Luc.

Luc. 16: 16. *Lex & Prophetæ ad Joannem prophetarunt: ab eo tempore Regnum Dei prædicatur.* Quaſi diceret: modus ille obſcurior alendi fidem atque ſpem populi Dei per *ænigmata* Legis parcius explicata, & *viſiones* a Prophetis identidem traditas, pervenit ad ſuum מועד / *tempus ſtatutum*, cùm Joannes inciperet *clamare Regnum Dei prope eſſe: Matth.* 3: 2. atque ſimul novam *Spiritus* œconomiam à Chriſto introducendam promitteret *ibid. verſ.* 12. & poſt Chriſtum Apoſtoli uno ore docuerunt, quod Paulus ex ipſa natura & indole *imperfectioris & umbratilis* œconomiæ Hebræis inculcat in epiſtola ad eos ſcripta *Cap.* 1: 1. 8: 6--13 & 9: 10. *Prophetarum* ſcilicet *locutionem*, & *fœderis legalis miniſterium*, & totum *cultum Leviticum*, *impoſita* tantùm *fuiſſe uſque ad præſtitutum tempus* διορθώσεως, *directionis*; uti habet Theod. Beza: vel, ut alii, *correctionis*, *emendationis:* ſic Belgæ noſtri. Quæ Apoſtoli ratiocinatio clara ſatis explicatio eſt ejus, quod hic dixerat Propheta, *viſionem* fore *ad præſtitutum tempus.* Quin & Judæi ipſi ſuis paſſim ſcriptis celebrant עולם הבא / *ſeculum futurum*, id eſt, Meſſiæ, quod diſtinctum ſit ab עולם הזה / *ſeculo hoc*, id eſt, veteris ac legalis œconomiæ: quæ ergo venienti ſeculo locum facere deberet. Eodem ſenſu & ipſi Prophetæ diſtincte loquuntur de *diebus poſterioribus* in diſtinctione priorum *Eſai.* 2: 2. *Mich.* 4: 1. quæ omnia mutationem œconomiæ indicant, quam & Habacucus mox hic exprimit verbis: *Et producet*, vel, *Et teſtis ad finem, & non mentietur.*

VII. Hæc verba priori modo ſumta ſunt elliptica, & ſic ſuppleri debent: *Et ad finem producet*, vel *adducet* Deus, ſive jam Meſſiam mox ſine nomine indicandum, tanquam qui *veniet*, ſive etiam aliud quid ad Meſſiam ſpectans, uti ex. gr. *novum fœdus*, vel ſimile quid ſubintelligere velis. Veruntamen quid Ellipſim fingimus, ubi oratio plena longè efficacior eſt, ſi cum eximiis Theologis, ac Literaturæ Hebraicæ apprime peritis vertamus illud ויפח non per modum Verbi, ſed Nominis? Non ergo per, *Et producet*, ſed per, *Teſtis*; quando verba ſic transferenda: *Teſtis* aderit

Quid ויפח לקץ / *ubi auplex verſio.*

rit *ad finem*, *& non mentietur*. Unum audi Ludov. de Dieu in *Criticis Sacr.* in *h. l.* ubi poſt adducta verba Hebræa ita ſcribit: *Verto:* Nam adhuc viſio ad tempus conſtitutum *pertinget*, & Loquens (propriè *ſpirans*) ad finem *pertinget*. יָפֵחַ *non eſt mihi fut. Hipl. à* פוח / *ſed à radice* יָפַח / *unde eſt* תְּתַיְּפֵחַ / *Jer.* 4: 31. *Nomen participiale mihi eſt: ſicut Pſalm.* 27: 12. וְיָפֵחַ חֲמָסוֹת / Et ſpirans violentiam. *Senſus eſt: Neque viſio ſuo complemento, neque inſpirans Prophetam Deus, perque eum loquens, aut loquens nomine Dei Propheta, fine ſuo fruſtrabitur* De *ſenſu hoc* jam nihil dicam. De forma vocis יפח dico optimè eam aſſignaſſe Virum Doctiſſimum, & meritò ideo laudari à Celeb. Coccejo noſtro, qui *gaudens*, uti ſcribit, ſequitur eruditiſſimum de Dieu, & hanc verſionem pluribus rationibus adſtruxit: quibus etiam ſubſcripſit Tillius noſter in *h. l.* ad quos brevitatis cauſa Lectores meos amando: id unum tamen moneam, ex Judæis etiam Dav. Kimchium in *Michlol*, ſivè in *Grammatica* ſua, ſeu *Radicibus* fateri יָפֵחַ eſſe תואר / *Nomen.* Quod utiliſſimum nobis obſervatu contra vulgarem Synagogæ pertinaciam hunc textum enervantis, & malignè detorquentis, ne in eo reperiatur ipſe Meſſias, aut quod ad Meſſiam pertineat.

Eſt יפח Locutor, Teſtis, *vel* Præco, *ſique Meſſias, quod demonſtratur.*

VIII. יפח itaque hic Nomen eſt deſignans *Loquentem*, ſive, ut Jo. Mercerus, *Locutorem*, *Teſtem*, *Præconem:* qui hoc ipſo nomine ſic opponitur *viſioni*, utpote non adeo *loquenti* verbis perſpicuis, quam *pingenti* & *adumbranti* emblemata umbraſque: non adeo *teſtanti*, quod facimus in præſentibus, aut potius in præteritis; quàm *prædicenti* & *promittenti* olim futura. Non *prædicanti* adeo, quod alta, clara, publica fit voce, quàm quidem *dicenti*, aut in aurem inſtillanti, inter ſolos clanculum Judæos, & ita ut pauci inter eos *viſionis* vocem audirent, id eſt, ſenſum clarè intelligerent. Jam verò quæritur, quis hic ille ſit *Locutor?* Cum Judæis hic & Chriſtiani quidam Interpretes de Jeremia cogitare audent, & textus noſtri verbis jejunum hunc aſſi-

assignare sensum: *Erit aliquis qui finem loquetur.* Ut adeo hic promittatur, quod scilicet ætate Habacuci nondum erat cognitum, *terminum* nempe, quando captivitas Babylonica habitura esset finem. Quod ergo multis annis post Habacuci hanc promissionem fecerit Jeremias *Cap.* 25: 11. istam captivitatem *septuaginta annis* finiens. Misera enim verò verbi prophetici extenuatio, quâ si usus fuisset Paulus, ex proximè sequenti *vers.* 4. nunquam ille elicuisset sensum tam spiritualem, grandem, divinum, qualem legimus eductum ex hoc ipso versu in Epistola ipsius ad *Rom.* 1: 17. & *Gal.* 3: 11. & *Hebr.* 10: 38. Sed & insuper ne verba quidem hanc explicationem ferunt. Uti enim per חזון למועד modò non intelligebatur *visio præstituti temporis*, quasi ל esset genitivi casus, sed *visio*, quæ erit AD *præstitutum tempus*, uti in illo למצער / *Jes.* 63: 18. *ad breve tempus*, & quæ clariora sunt in illis לעד *Psalm.* 19: 10. לעולם *Ps.* 5: 12. לנצח *Jes.* 34: 10. pro quibus alibi est עד־עד *Psalm.* 83: 18. עד עלם *Ps.* 18: 51. & עד נצח *Psalm.* 49: 20. in quibus itaque ל notat *ad æternum*; eodem modo יפח לקץ non est *præco finis*, sed *præco*, qui aderit *in fine*, aut *ad finem*, nimirum istius *præstituti temporis:* tunc scilicet, uti ex antecedentibus sat clarum est, quando illa *visio ad* tempus suum statutum pervenerit. Alii alia hic adducunt, contra quos disputantes videas Viros magnos Coccejum & Tillium in *h. l.* Id unum nos teneamus, uti jam evicimus יפח Nomen esse, ita designari per illud *præconem* quendam: qui præco non sit ipse Deus, qui hanc promissionem Prophetæ dat, sed alius ab eo promissore distinctus, & talis quidem tantusque, ut si quis ei *fidem* adhibeat, is ex illa *sua fide sit victurus*, ut constat ex *vers.* 4. At verò nemo *vivet* ex eo, quod credat in præconem, qui indicet *finem* vel captivitatis Babylonicæ, vel regni istius Chaldaici. Quid enim, quæso, id facit ad justificationem hominis, vel salutem vitamque ejus æternam, cùm tale quid credere etiam possent irregeniti quicunque fidem in Deum salvificam non habentes, nec unquam habi-

bituri? Dicamus ergo quod res eſt, *præco* hic ipſe eſt Meſſias. Qua de veritate certiſſima nos Chriſtianos ſanè dubitare non ſinit Apoſtolus *Hebr.* 10: 37 & 38. hæc noſtra verba Chriſto diſertè applicans; non per accommodationem quampiam jejunam, qualis a nullo Theologo cordato ſanctiſſimæ Scripturæ ratiocinationibus infarciri debet, utpote quæ neque ſapienti Spiritu Dei ſit digna, neque illam vim demonſtrationis habuiſſet apud Hebræos; verùm ex ipſa rei veritate, & Dei hic loquentis ſcopo. Et multa ſanè ſunt, quæ pro hac Pauli interpretatione ex textu ipſo militant contra Judæos, & eorum imprudentes ſequaces Chriſtianos. Nempe de tali hic agitur *Locutore*, *Teſte*, *Præcone* a. *Ex cujus fide*, uti jam vidimus, *juſtus vivet.* Quod nemini competit niſi Meſſiæ, ſoli illi מורא לצדקה / *doctori juſtitiæ*, uti vocatur *Joel.* 2: 23. b. Qui dicitur *non mentiri*, quod in nullum cadit hominem. c. Qui, ut ſuprà jam ſubinnuebam, opponitur *Viſioni*, atque adeo qui clarè ac diſertè *loquetur*, *effabitur*, ac *prædicabit*, & ſic revera ſe præſtabit *Euangeliſtam.* Hæc verò ipſa epitheta Meſſiæ paſſim adſcribuntur. Hic enim reſpectu muneris ſui prophetici non modò vocatur *Propheta Deut.* 18: 15. qui titulus etiam Veteris Teſt. Vatibus obſcurioribus tribuitur, ſed & diſertè המדבר / *Locutor*, *Eſai.* 52: 6. hoc eſt, qui *auctoritatem* habet *loquendi*, & *loquitur Dei verba*, qui nemo, quàm qui Deus eſt, loqui poteſt: qualia ſunt ex. gr. *Reſpicite ad me, & ſalvemini omnes fines terræ Eſai.* 45: 22. עד / *Teſtis*, *Eſai.* 55: 4. qui planè enunciat apud patrem viſa. יועץ / *conſiliarius*, *Eſai.* 9: 5. qui conſilium & accipit a Patre, & acceptum cum ſuis communicat. *Euangeliſta*, cujus eſt בשר / *annuntiare manſuetis lætum nuntium Eſai.* 61: 1. 3. Qui in hunc finem acciperet לשון למודים / *linguam eruditorum*, *ut cum feſſis loqueretur tempore opportuno*, *ibid.* 54: 4. *in cujus labia effuſa foret* חן / *gratia*, *Pſalm.* 45: 3. quique ſuis avocatis a *Viſione* ad ipſum rei conſpectum, ab umbris ad corpus, a prophetia ad complementum, diceret הנני / *Ecce ego adſum*, *Pſalm.*

Pſalm. 40: 8. *Eſai.* 52: 6. & vel ob hanc præcipuè cauſam dignus titulo *Sapientiæ* Dei *Prov.* 8: 1. *coll. Matth.* 11: 19. quod implementum omnium veterum *Viſionùm* exhibendo faceret, ut Deo *ſapientiæ* ſuæ, in inſtruendo veteris œconomiæ choragio adhibitæ, laus conſtaret atque gloria. Neque omnes ſemper Judæi æquè hic cæcutierunt; quod habemus confitentem ipſum Abarbanelem, ubi docet *veteres Rabbinos hunc verſ.* 3. *De Meſſia accepiſſe:* qui licet ab iis recedat ipſe, meritò tamen eapropter caſtigavit eum Coccejus noſter in *h. l.* De quo Meſſia certè acceperunt etiam verſum noſtrum *tertium* Auctores *Tract. Sanhedrin* in *Talmude*, in *Diſt. Chelek:* Rabbi Maimonides in *Jad. Chazzakah. Tract.* de *Regibus Cap.* 12. & Rabbi Salomo, omnes citati a Calovio in *Bibl. Illuſtrat.* in *h. l.* nec non ante ipſum a Mart. Raymundo *Pug. Fid. Part.* 3. *Diſt.* 3 *Cap.* 23. §. 6. pag. m. 956. Plura ille adhuc adfert, quibus demonſtret hunc יפח neminem eſſe alium niſi Meſſiam. Et nonnulli etiam Hebræorum, ut hoc addam, illud *tardatur* ſupplent per המלך המשיח/ *Rex Meſſiæ.* Optimè; nec verbis pluribus opus: ipſa quippe illa, quæ hic de hoc *Proclamatore* prædicantur, omnia eum Meſſiam eſſe evincent.

IX. Ubi primò occurrit, quod hic *Præco* venturus ſit לקץ/ *ad finem.* Quæ vox ex origine ſua terminum rei indicat, quô ea perducta abſolvitur, ſive res ea ſit alia, uti ex. gr. genus humanum *Gen.* 6: 13. ſive temporis duratio, *Gen.* 4: 3. ita & finem mundi: at de quo nulla hic mentio. Ex præcedentibus autem conſtat hic agi de fine מועד/ *præſtituti temporis*, per quod *Viſio* durare debebat, id eſt, tempus totius Veteris Teſt. cujus *finis* phraſi prophetica aliàs etiam dicitur אחרית הימים/ ſive *ultimum dierum Eſai.* 2: 2. nimirum Veteris Teſt. atque cultus Moſaïci. Qua phraſi notabilius nihil eſt in Vatum oraculis. Huic enim temporis puncto illi allegabant omnia Novi Teſt. privilegia, & vocationem gentium *Eſai.* 2: 5. effuſionem Spiritus S. *Joel.* 2: 28: coll. *Act.* 2. 17. Quod enim apud Prophetam eſt אחרי־כן/ *poſt illa*, apud Lucam eſt ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, ulti-

Et confirmatur 8. *Per tempus advenientis hujus Chriſti* לקץ/ *ad finem.*

ultimis diebus: & ſimilia. Tunc etiam *Viſio* & *Prophetæ obſignaretur Dan.* 9: 24 id eſt, (ut & ſuprà monui) I. In Meſſia acciperet ſuam veritatem & implementum, ceu *fine* omnis miniſterii illius legalis *Rom.* 10: 4. & non venturo *ut Legem vel Prophetas diſſolveret*, ſed *adimpleret Matth.* 5: 17. 2. In ipſo & per ipſum quoque abolerentur, ceu per umbrarum corpus, cui cedere deberet, adeoque ceſſare, *ſacrificium omne ac munus Dan.* 9: 27. Lubet his adjicere Judæorum priſcorum axioma, כל הנביאם לא מתנביאים אלא לימות המשיח: *Omnes Prophetæ non prophetarunt niſi uſque ad dies Meſſiæ.* Cui ſenſui conſentit dictum Chriſti antè etiam adductum è Luca, ipſis verò etiam verbis conſonat apud *Matth.* 11: 13. *Omnes Prophetæ & Lex ad Joannem prophetarunt.* Quæ tamen Judæorum Chriſtique verba rite intelligenda ſunt. Neque adeo mens eorum hæc eſt, a. Ac ſi Veteres Prophetæ vaticinati eſſent nullis de rebus *poſt Meſſiæ adventum* eventuris; vel enim hi ſanè de reſurrectione mortuorum futura in conſummatione ſeculorum cecinerunt, quanto magis de rebus inter Chriſti adventum illum primum & ultimum interlapſuris. Neque etiam b. Ac ſi Prophetæ omnes cum Meſſiæ adventu abolendi eſſent; nam ſanè donum Prophetiæ, a Malachiæ temporibus quaſi exſtinctum, cum Meſſiæ adventu reviviſcere ac florere cœpit. Et Chriſtus enim *Matth.* 24 & 25. & Joannes in ſua *Apocalypſi*, & Paulus, & alii ex profeſſo fata Eccleſiæ principalia ordine enarrârunt. Hæc verò eorum mens eſt, quam & ſuprà indicavi, veram ſalutis doctrinam more & *prophetico*, ſic *legali*, non ulterius propoſitum iri quàm ad Joannem & Chriſtum, ab eo autem tempore omnia fore Euangelica.

Vti & ב: Per certitudinem hujus adventus a. Non enim mentietur.

X. Ut verò hic *præco* omnibus præferatur encomium additur ולא יכזב / *Et non mentietur.* Ubi ſi *Vau* copulativum reddas per אשר / *qui*, cui ſæpe æquivalet, uti *Mich.* 5: 1. ומוצאתיו / *Et*, id eſt, *cujus exitus* &c. & *Gen.* 11: 4. וראשו / *Et*, id eſt, *cujus* (turris) *caput ſit in cœlum:* jam ſenſus erit, *affore præconem, qui non mentiretur*, cujus ergo *præconium* foret *in veritate Pſalm.* 40: 11. nam *nullus dolus foret* nec *in ore ejus.*

ejus Eſai. 53: 9. utpote *in cujus ore poneret Deus verba ſua Deut.* 18: 18. nec *in corde* ejus, utpote cujus veritate delectaretur in præcordiis, *cujus aurem* JEHOVA *excitat unoquoque mane ad audiendum.* Qui ideo *neque rebellat, neque retrorſum recedit à* JEHOVA *Eſai.* 50: 4 & 5. cui *Dominus ipſe dat conſilium* quid loqueretur faceretque, *cujus renes*, aliàs concupiſcentiarum ſedes, *eum erudiant* de ſanctiſſima voluntate, idque omni tempore etiam minus apto, ut *noctu*, id eſt, non modò tempore ſomni obnubilantis humanarum mentium aciem, ſed & perſecutionum maximarum, adeo ut in ſummis etiam anxietatibus & afflictionibus ne quidem vel minima cogitatione deſciſceret a Deo: prout ipſe Meſſias inducitur loquens *Pſalm.* 16: 7. proinde præco ſemper & ubique ἀψευδὴς, *mentiri neſcius.* Quo titulo ſupra omnem hominem jure effertur, quandoquidem *nemo eſt qui non mentiatur Pſalm.* 116: 11. Deoque ipſi, cujus proprietas eſt *mentiri ne* quidem *poſſe Tit.* 1: 2. æquiparatur. Moſes non quidem mentitus fuit, attamen *labiis ſuis* aliquid *temere effutivit Pſalm.* 106: 33. & *Num.* 20: 10. Immo cùm diceret, *An ex petra hac vobis producemus aquas?* verba proferebat quaſi dubitantis de divinæ promiſſionis in mandato *loquendi ad petram* incluſæ implemento, adeoque populo incredulitatem aliquam injicientis quod à *mentiendo* haud omnino alienum eſt. Legislatores verò Moſem ſecuti in cathedra Moſis, quorum quidem erat *viam Domini in veritate docere*, *impegerunt* ipſi, *feceruntque impingere alios recedentes a via* in Legis intellectu *Mal.* 2: 7 & 8. dum *ad falſitatem operabatur ſtylus legiſperitorum Jer.* 8: 8. conf. *Cap.* 23: 16 & *Ezech.* 13: 2. *& ſeqq.* Qua de re & hos *paſtores* (qui *tres* recenſentur apud *Mal.* 2: 12. *qui vigilat, reſpondet, &* JEHOVÆ *exercituum munus offert*, id eſt, Judex, Propheta & Sacerdos) *voluit excidere Deus*, utpote quorum *animus coquebat conſilia contra Deum Zach.* 11: 8. & hoc vel *uno menſe*, nempe prophetico, conſtante triginta annis, uti menſis conſtat triginta diebus; vel ut Hebræa etiam verti poſſunt, & forſitan debent, quia *exciſio* reipublicæ Judaicæ non anno poſt Chriſti adſcenſionem trigeſi-

mo, ſed ferme quadrageſimo accidit, *primo menſe* anni civilis, ſcilicet octavo die menſis Tiſri, uti conſtat ex Joſepho de *Bello Judaïc.* L. 7. *Cap.* 42. His ergo longè major auctoritas præconis noſtri *mentiri neſcii*, qui idcirco etiam omni cum attentione *audiri* debet: *Deut.* 18: 15-19. coll. *Hebr.* 12: 25.

b Veniendo veniet, *& ideo* ſi cunctabitur, præſtolator eum. Cunctari *quid?*

XI. Uti verò præco hicce mentiri neſcius ſuos non falleret *verbis*, ſic neque *exſpectatione ſui vana*, etiamſi videretur aliquantum *tardari.* Ideo hoc ipſo dicto conſolatur Deus præſtolantes eum: *Si cunctabitur, præſtolator eum: veniendo* enim *veniet.* In Hebræo eſt Hiphil verbi מהמה / quod οἱ LXX vertunt per Græcum ὑστερεῖν, *deficere*, quod deſumtum eſt a ludis Olympiacis, ubi ὑστερῶσαι dicebantur, qui tardius veniunt, & in curriculo deficiunt, adeoque non perveniunt ad metam præfixam. Tali ſenſu occurrit *Rom.* 3: 23. & *Hebr.* 12: 15. Vid. Beza ad *h. l.* Exinde illis non modò vituperium oriebatur, cùm irriderentur ab adſtantibus; ſed damnum quoque, quandoquidem a conſtituto præmio excludebantur. Atque ſic poſſet hoc verbum מהמה verti per *cunctari*, ſenſu tamen languidiori. Nam illud Græcorum ὑστερεῖν impotentiæ poterat eſſe, & contra voluntatem deficientium; ſed *moram facere*, uti habet verſio vulgata, vel *moras nectere*, *facereve*, prout Latini dicunt, plus habet emphaſeos: *moram* namque indicat cujus homo ipſe cauſa arbiterque ſit. Eandem verò emphaſin hujus verbi forma Hithpahel יתמהמה hic indicat, id eſt, *moras facere.* Quod de illa dicitur propriè, qui 1. Vel verè ultra præſtitutum *moratur:* vel 2. Impropriè de eo, qui tantùm *morari* videtur aliis, ſive, quia juſtum tempus, quô advenire ille debet, ignorant, ſive tempus illud longum, ipſorum verò deſiderium vehementius ſit. Horum prius nequaquam *Præconi* noſtro aſſignari poteſt: nam id ſeriò hic cavit Deus, & antè, ubi dixerat eum affore *in fine temporis determinati viſionis*; & mox, addens quod *ſit venturus, & non tardaturus.* Poſterius verò aſſignari poteſt. Etenim, ſic tacitè hic ſubindicatur a tempore editæ hujus prophetiæ, vel etiam a tempore

pore inſtaurandæ captivitatis, longum fore temporis ſpatium, antequam promiſſus ille veniet *Præco*. Uti & poſt hoc vaticinium Daniel Propheta illud temporis ſpatium ad *ſeptuaginta ſeptimanas* dilatavit, quæ propheticæ cùm ſint non minus efficiunt ſpatium quàm quadringentorum & nonaginta annorum patienter tranſigendorum, antequam adventurus ſit Meſſias. Jam verò tota Eccleſia Judaica non adeo præciſè ſciret primum computandorum horum annorum terminum, ut nec hodieque omnes docti eodem modo in his inſtituunt. Et certè longæ exſpectationis tantum ſpatium erat, adeo ut credentes eorum temporum meritò exclamarent: *Vigil, quid eſt de nocte? Eſai.* 21: 11. Id quod ſimul deſiderii eorum vehementiam indicat, de quo ita Calvinus in *h. l. Hæc mora refertur ad properationem deſideriorum noſtrorum: nam, ut proverbium dicit, ettam celeritas in deſiderio mora eſt. At ſi reſpicimus Dei conſilium, nunquam moram facit, qui novit omnes temporis articulos, & ipſa tarditate ſemper accelerat.* Neque id mirari licet. Nam a. Magna eis promiſſa erat ſalus per eum advenientem adducendam: *at ſpes protracta ægrum efficit animum Prov.* 13: 12. b. Afficerentur interea temporis innumeris calamitatibus I. Externè a variis populis, Regibuſque Syriæ & Ægypti, tandemque Romanis. II. Internè etiam cum multis malis, tum in Republica, tum Eccleſia luctantes, onere ſervitutis legali duro preſſi. Vid. *Matth.* 11: 28. & Belgarum noſtrorum *Not. Marginal.* in *h. l.* Subjecti inſuper dominio eorum qui ſedebant in cathedra Moſis, durius aliquanto eos nonnunquam tractantes, a quibus putabant Meſſiam eos liberaturum. Hoc verò ita acuebat deſiderium credentium, ut temporis præſtituti præciſum terminum haud exactè adeo computantes, totis tantùm præcordiis anhelarent Meſſiæ iſtius adventum, qui ſic, quamdiu modò non aderat, in eorum oculis *tardare* videbatur: præcipuè tunc temporis, quando ad finem jam vergere videbantur ſeptuaginta ſeptimanæ illæ apud Danielem determinatæ, & alia ſigna temporum poſita apud alios Prophetas.

XII.

Quid præſtolari.

XII. His verò Oraculum divinum illud dat conſilium, ut *Præſtolentur eum.* Hoc verò vigilum eſt, qui in ſpecula conſiſtentes multa cum patientia circumſpiciunt & exſpectant, ut exſpectatum ſibi eminus adventantem cernant. Jubentur ergo credentes hac phraſi ut ſeſe vigilum inſtar præſtent, neque unquam in ſuſcepta ſemel *fide de adventu Meſſiæ* vacillantes a. Aut murmurent, ac ſi Deus promiſſionem ſuam differret, quò aptiſſimè Petri illa accommodes: *Certè non tardat Deus promiſſionem ſuam (ut nonnulli tarditatem hanc eſſe dicunt) ſed patiente eſt animo erga nos nolens ullos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere.* 2. *Epiſt.* 3: 9. b. Aut impatienter & deſperatè ſe gerant; uti & apud *Zephan.* 3: 8. Deus exigit, & fidei natura jubet: *Ideo præſtolamini me, dictum* JEHOVÆ, *in diem quò ſurrecturus ſum. Qui enim credit, non feſtinabit Eſai.* 28: 16. ſed potius ita ſe ſolatur *Pſalm.* 130: 5 & 6. *Præſtolabor* JEHOVAM, *exſpectabit anima mea: etiam in verbo ejus exſpectationem habeo. Animus meus exſpectat* JEHOVAM *magis quàm vigiles tempus matutinum.* Et *Mich.* 7: 7. ubi ita inducitur Eccleſia loquens in mediis calamitatibus: *Ego* JEHOVAM *verſus ſpeculabor, præſtolabor Deum ſalutis meæ: exaudiet me Deus meus.*

Quid veniendo veniet?

XIII. Ratio autem cur credentibus *præſtolandus* erat hic *præco*, additur: *Nam veniendo veniet.* Nihil ferme frequentius occurrit in Scripturis, quàm quod Meſſias hoc epitheto inſigniatur, quòd ſit *venturus.* Sic prima vice occurrit *Gen.* 49: 10. *Schilo veniet.* Exinde Meſſias ipſe ita loquens inducitur: *Ego venio, Pſalm.* 40: 8. Denique *Mal.* 3: 1. ait Propheta: *Subito ad Templum ſuum veniet.* Nec non ipſe apud eundem Prophetam *Cap.* 4: 6. *Ne ego veniam, ut terram percutiam anathemate.* Hinc in Novi Teſt. ſcriptis nomine Joannis Baptiſtæ rogatur Jeſus; *Tune es ille venturus, an alium præſtolamur?* Et in *Apocalypſi* ſonant illæ voces: *Ecce ille venit cum nubibus cœli, Cap.* 1: 7. & 22: 20. *Ecce ego venio cito*, quamvis hæ ad ſecundum Meſſiæ *adventum* pertineant. Hac autem phraſi duo indigitantur. a. Quod exiſtat Meſſias, antequam *veniet.* b. Quod non *mittatur* tantùm,

tùm, verùm & *veniat* propriâ nempe ſponte, ſuomet arbitrio voluntariè: quæ emphaſis in *Pſalm.* 40: 8. perlucet. Sed nec fruſtrà eſt phraſeos duplicatio *veniendo veniet*; quæ duo rurſus complectitur: 1. Quod certè venturus ſit, non fallet, neque mentietur reſpectu adventus ſui; uti & *Gen.* 2: 17. מות תמות / *moriendo morieris*, ſignificat utique, *certò morieris*: quem Hebräiſmum Belgæ noſtri imitati verterunt; *mortem morieris*. 2. Quod gradatim *venturus* ſit, habeatque *adventus* ejus partes quaſdam, adeo ut phraſi Paulina ex *Hebr.* 1: 1. quodam modo dici poſſet *venturus* πολυμερῶς, *multis partibus*, & *gradibus* quaſi, ac πολυτρόπως, *multis vicibus modiſque*. Etenim, duplex certè *adventus Meſſiæ* in ſpeciali relatione ad Judæos diſtingui poteſt. α. Alter, quando veniret in carnem prædicaturus Euangelium *Eſai.* 61: 1. & publicè *ore* JEHOVÆ (quamvis poſt *velum* carnis occultati) *locuturus Jeſ.* 40: 5. β. Alter, quando *venturus* eſſet, uti ipſe prædicit Synedrio *Matth.* 26: 64. *cum nubibus cæli*. Quò etiam pertinent verba *Mal.* 4: 5. ſuprà jam adducta, *ſeſſurus* nempe *ad dextram Dei*, *donec ponerentur inimici ſui ſcabellum pedum ſuorum Pſalm.* 110: 1. inter quos primi ac primarii forent Judæi increduli, eum regem ſibi nolentes, ſed & propterea unà, quemadmodum ipſe Jeſus iis minatus eſt *Luc.* 19: 27. cum Canaäne, & ſuo Templo, ac Republica percutiendi, ad quem *judicialem adventum* Paulus hæc verba refert *Hebr.* 10: 37.

XIV. Ne autem vel minima de *adventu* hoc dubitatio ſupereſſet, additur; *Non tardabit*. אחר preſſius notat *alterare*, *aliud* quid *facere*, & per conſequens *tardare*. Nam & notiſſima formula, *Hoc age*, diligentiam ac feſtinationem in opere, omiſſâ omni occupatione aliâ, imperat. Sic ergo, *non tardaret* præco noſter, non venturus quidem ante tempus definitum, ſed neque poſt. Cujus rei ratio eſt manifeſta. Cùm enim plura ſint data a Prophetis ſigna, quorum alia antecedere, alia conſequi debent Meſſiæ adventum, ſi ille ocyus ſeriuſve veniret, jam turbaretur omnis rerum ordo, & ſermo propheticus nullam ſic haberet firmitatem. *Quid denique, non tardabit.*

Uti ergo non poterat *venire* antequam *ſex* illa ſigna præcedentia apud Moſem conſtituta *Deut.* 30: 1–6. eſſent adimpleta, ita quoque non poſt ſigna conſequentia alibi poſita, adeoque non poſt abolitum *Legislatorem*, *Gen.* 49: 10. non poſt *paſtores* illos *Zach.* 11: 8. *exciſos*, utpote a quibus, ceu *ædificatoribus* Eccleſiæ *judicari* & *improbari* debuit *lapis ille pretioſus Pſalm.* 118: 22. non poſt *terram* devaſtatam *Templumque* dirutum, ad quæ *venire* debebat *Mal.* 3: 1. ut alia ſigna ſimilia omittam. Abſolutè autem hic dicitur, *Non tardabit*, neque ulli, qualiſcunque ea demum ſit, conditioni *adventus* ille alligatur. Quod omnino obſervandum eſt contra Judæorum quorundam effugia, promiſſionem hanc abſolutam fingentium fuiſſe conditionatam, hac ſcilicet reſtrictione, *venturum Præconem* illum ſuo tempore, ſi nimirum Judæi digni ſint, promiſſioniſque bonitatem ſuis haud evertant peccatis. Quod in ſequentibus §. XIX. ex profeſſo magis ſumus diſputaturi.

Scopus hujus conſolatorius, & implementum.

XV. Ejuſmodi verò promiſſum divinum, ſicuti non poterat non maximè facere ad piorum in Judaïco populo conſolationem, quando deduceretur ille in captivitatem Babylonicam; (non enim ideo exſcinderetur aut populus, aut doctrina ſpei Patribus factæ, ut verum animarum pabulum, per *Viſionem* cùm *extraordinariam*, tum *ordinariam*, quam antè ſatis explicui §. IV & V. ſemper uſque ad ipſum Meſſiæ adventum, ſarta tecta conſervanda) ita ſuo ſingulæ ejus partes tempore examuſſim impletæ ſunt, quod nunc oſtendam.

IMPLEMENTUM.

Viſio manſit ad præſtitutum tempus.

XVI. Et de *Viſione* quidem aliquid jam dixi §. IV. manſiſſe nempe eam ſalvam uſque ad captivitatem Babylonicam. In ipſa quoque captivitate illa eam haud in totum defeciſſe, utpote in quo populo adfuerunt Prophetæ Ezechiel ac Daniel, qui viſiones ſibi a Deo factas piis revelârunt, eoſque confirmârunt in doctrina ſpei. Etiamſi fatendum ſit adeo parcam:

cam tunc fuiſſe *viſionem extraordinariam*, adeo autem in totum ſublatam ordinariam, ut Jeremias conqueri potuerit *Thren.* 2: 9. *Regem* Judæorum *ac Principes eſſe inter Gentes* (in Babele ſcil.) *at nullam eſſe Legem*, id eſt, ceſſare Legis miniſterium publicum, *Prophetas etiam eorum non invenire viſionem a Domino.* Captivitate verò iſthac ſolutâ majorem in modum illa *Viſio extraordinaria* in Haggæo, Zacharia, Malachia illuſtris fuit. *Ordinaria* refloruit etiam, ubi ex Cyri, Perſarum Regis, edicto contra omnia hoſtium molimina cum Templo cultus Leviticus reſtitutus fuit, qui ſecutis licèt etiamnum temporibus miſerè aliquando fuerit turbatus a Judaïci populi inimicis vicinis, Antiocho præſertim Epiphane, & crudeliſſima perſecutione, immanique idololatria in ipſo Templo inſtituta, de quibus legi poteſt 2. *Macob.* 6: 1. *& ſeqq.* reſtitutus tamen denuo cum repurgato Templo, objecto annui feſti encæniorum ad tempora uſque Jeſu futuro *Joan.* 10: 22. & totus ille cultus ſtetit perſtititque in illa gente, & non obſtantibus etiam diſſidiis internis varietate ſectarum paulatim ſubnatarum, duravit uſque ad tempora Titi Veſpaſiani, quando cum Templo tunc conflagrato *Viſio* ea *ordinaria* æternùm abolita eſt. Sic tamen ut hoc nec ante *determinati temporis* ſpatium, neque poſtquam ipſe ille adeſſet *Præco* factum fuerit. Qui temporis articulus ideo in Sacris Novi Teſt. vocatur *plenitudo temporis*, *Gal.* 4: 4. vel *temporum Epheſ.* 1: 10. uti & *ultima dierum Hebr.* 1: 1. phraſi ad ipſam expreſſionem illam Hebraïcam, quam §. IX. annotavi, accommodatâ.

XVII. Porro tunc ſanè *finis* dierum aderat, quando omnia iſthæc *vetera tranſirent*, *& omnia nova fierent* 2. *Cor.* 5: 9. *cœli iſti priores cum ſtridore ſolverentur*, *elementa verò æſtuantia liqueſcerent*, *& quæ in eo ſunt opera exurerentur: cœli verò novi & terra nova juxta promiſſionem Dei exſpectanda eſſet*, *in quibus inhabitat juſtitia* 2. *Petr.* 3: 10–13. Atqui jam antè Jeſus Nazarenus advenerat, verus ille hic promiſſus *Præco adductæ juſtitiæ ſeculorum* (conf. *Dan.* 9: 24.) Dictus etiam ὁ ἐρχόμενος, qui *venturus erat Matth.* 11: 3. immo qui *eſt*, *qui* *Et in fine Jeſus Præco adſuit & non fuit mentionis.*

erat, & qui venturus eſt Apoc. 1:4 & 8. apertiſſimâ ad vaticinium alluſione. Uti & totam emphaſin יפח ſuprà §. VIII. nobis notatam revera implevit. Namque fuit ille *loquens*, utpote *in quo locutus nobis eſt Deus in extremo dierum horum*, Hebr. 1: 1. qui *loquitur verba Dei Joan.* 3: 34. qualia ſunt; *Venite ad me omnes onerati ac fatigati, & ego vobis requiem dabo Matth.* 11: 28. 30. *Vos creditis in Deum? credite etiam in me, Joan.* 14: 1. Quæ verba nemo, quàm qui Deus eſt, loqui poteſt. *Loquitur* itidem *quæ videt & audivit*: atqui *Deum nemo unquam vidit: at unigenitus ille Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille nobis expoſuit, Joan.* 1: 18. qui κατ' ἐξοχὴν ideo etiam ὁ λόγος titulo inſignitur *Joan* 1: 1. & paſſim. Fuit ille etiam *Teſtis*, & talis *qui non mentitur, teſtis fidelis & verax*, immo *Amen Apoc.* 1: 5 & 3: 14. *qui peccatum non novit* 2. *Cor.* 5: 21. & *in cujus ore nullus dolus*, 1. *Petr.* 2: 21, 22. *qui teſtatur ea quæ vidit & audivit apud Patrem Joan.* 3: 32. cui ipſi etiam ejus inimici Judæi hoc præbuerunt teſtimonium quòd *Doctor* eſſet, qui *viam Dei in veritate traderet Matth.* 22: 16. immo *in quo* ipſe *Deus omnes ſuas promiſſiones fecit* καὶ ἐν αὐτῷ ναὶ, 2. *Cor.* 1: 20. Fuit denique Jeſus ille *prædicans*, qui palam publicè *prædicavit*, *reſipiſcite, nam regnum cœlorum appropinquavit Matth.* 3: 2. qui ſe pro *præcone* illo *Eſai.* 61: 1. promiſſo ſtatim initio miniſterii ſui & commendavit, & geſſit *Luc.* 4: 17--22. qui ad finem vitæ uſque palam in Synagogis non tantùm, ſed & in Templo omni homini doctrinam cœleſtem explicuit *Luc.* 22: 34. Jure ergo concludimus hunc יפח eſſe Jeſum Nazarenum, & de ejus adventu hic vaticinatum Prophetam.

Jeſus etiam veniendo venit.

XVIII. Jeſus etiam *veniendo venit*, id eſt, non certo tantùm & præciſo temporis prædicti articulo, quod res ipſa docet; ſed & *venit* repetitis vicibus, *primo adventu* in carnem, *altero* ad judicandum Judæos, quô probaret ſe *Regem* eſſe, illudque ſuum jam regnum occupaſſe: quodque ipſe docuit non ita procul jam ſuo tempore abeſſe *Matth.* 16: 28. *Amen, amen dico vobis, quidam ex his, qui hic adſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, uſque dum viderint filium homi-*

nis

nis venientem in Regnum ſuum. Conf. & *Cap.* 26: 64. ubi *ſui adventus cum nubibus* mentionem facit. Quæ phraſis præ primis in Scriptura Novi Teſt. de *adventu* ad judicium ſumitur. Prout ille adventus ſic ſatis ſuum quoque implementum accepit, quando nondum elapſis vix quadraginta annis, poſtquam ceu Rex ſedens ad Dei dextram capitale in gentem Judaïcam per Romanos ſupplicium exercuit, in quo adhuc exules ac miſerè vagabundi perſiſtunt: & quia hunc Chriſtum Regem agnoſcere noluerunt ad eos venientem tempore conſtituto ad *finem viſionis*, ſua ſemper peccata complentes, ideo etiam *ira Dei ſuper eos venit ad finem uſque*, 1. *Theſſ.* 2: 16. *uſque dum in fine dierum reverſi quæſituri ſint* JEHOVAM *Deum ſuum, & Davidem Regem ſuum, & pavidi acceſſuri ad* JEHOVAM, *& ad bonitatem ejus*, *Hoſ.* 4: 5. *& reſpecturi ad eum, quem transfixerunt Zach.* 12: 10. *O ſi quis det è Sione ſalutem Iſraëlis: reducente* JEHOVA *reducem turbam populi ſui, exultabit Jacobus, lætabitur Iſraël Pſalm.* 14: 7.

XIX. Et ſic quidem ſatis enarrato ſenſu vaticinii illuſtris, manum de tabula tollerem, niſi reſtaret, de quâ monui §. XIV. me in ſequentibus dicturum, ea contra Judæos diſputatio, nempe, an potuerit Deus pro liberrima poteſtate ſua adventum Meſſiæ differre ultra terminum a Prophetis ſtatutum? Et ſi potuerit, an & revera dilatione eâ uſus fuerit, Meſſiaſque adeo nondum advenerit, etiamſi *omnia temporum ſigna* jam ſint præterlapſa? Judæi hunc prætextum acriter propugnant, ne Jeſum Nazarenum, qui tempore venit præſtituto, cogantur fateri verum eſſe Meſſiam. Cùm enim nemo alius, quem rejecto Jeſu pro Meſſia habeant, hactenus apparuerit, dicendum eſt vel Jeſum eſſe Meſſiam, vel veri Meſſiæ adventum ultra terminos apud Vates poſitos eſſe dimotum. Horum poſterius malunt Judæi. Videamus primò Judaïcam ſententiam ipſis eorum verbis candidè propoſitam, deinde certis eam argumentis confodamus. A. Ad prius, locus inſignis eſt in *Sanhedrin* in *Diſtinct. Chelek* nimirum *Cap.* XI. §. 31. ubi ad locum noſtrum Habacuci citatum hoc modo ſcriptum eſt (vox eadem apud Prophe-

Judæorum effugium de Meſſiæ adventu dilato.

tam eſt) אמר רב כלו כל הקצין כלן ואין הדבר תלוי אלא בתשובה וכו׳ *Dixit Rab, completi ſunt omnino termini omnes* (Meſſiæ np. adventus de quo in textu noſtro ſermo eſt) *& non pendet res* (ſive *factum*) *niſi in pœnitentia & bonis operibus.* Hic gloſſa R. Sal. Jarchi ita habet אם כל ישראל חוזרין בתשובה בא משיח ואם לאה לא יבא: *Si totus Iſraël fuerit revertens* (ſive *reſipiſcens, pœnitens*) *veniet Meſſias: ſin autem non, non veniet.* R. Eliëzer dixit, אם ישראל ששין בתשובה נגאלין מיד ואם לאה אין נגאלין וכו׳ *Si Iſraël eſſent agentes pœnitentiam, redemti eſſent ſtatim; & ſi non, non redimentur: ſed Deus ſanctus & benedictus excitabit illis Regem, cujus edicta*, ſive *decreta, erunt gravia ſicut ea Hamanis, & reducet eos ad bonum.* Vel, uti habet Coccejus: *Is efficiet, ut ſe ad bonam frugem recipiant.* Confertur tunc locus *Jerem.* 3: 14 & 22. Exſtat ſimilis locus in libro *Jalkuth*, quò conſtat veteres tradere Judæos, poſſe Deum Meſſiæ adventum vel accelerare, vel differre, prout Iſraëlitæ eo *digni* ſunt, vel *indigni.* At totam rem pleniſſimè cognoſces verbis Iſaäc. Abarbanelis de *Capite Fidei Cap.* 14. quæ ſic habent ex verſione Guil. Vorſtii: *Duo ſunt termini adventus Meſſiæ. Primum tempus eſt Poſſibilitas, vel contingentia adventus ejus, videlicet, cùm meriti fuerint Iſraëlitæ ac fecerint pœnitentiam coram Deo: quia tunc valde maturabit opus ſuum, atque antevertet adventum ſuum. Secundus terminus eſt Neceſſitas adventus ejus tempore iſthoc noto apud Deum, etiamſi Iſraëlitæ non fuerint purgati, aut egerint pœnitentiam: quia finem determinatum ac notum apud Deum non transgredietur, ne in eo veniat. Atque hoc eſt quod de eo prædixit Daniel ſub finem libri ſui: iſtud autem de duobus illis terminis expoſuere Sapientes in Chelek. p.* 98. Ego Dominus ſuo tempore feſtinabo (*Eſai.* 60: 22.) ſi non promeriti fuerint: ſuo tempore, ſi promeriti fuerint, feſtinabo, q. d. *Etiamſi non fecerint converſionem, neque fuerit in iis puritas, tamen erit tempus determinatum*, cùm accedet certiſſimè, qui venturus eſt, neque tardabit (*Hab.* 2: 3.)

Sed

Sed ubi mundi erunt redditi ac egerint pœnitentiam, tum feſtinabit antevertere tempus adventus Meſſiæ. Ad hoc etiam attendunt, cum dicunt: Non veniet filius Davidis niſi ad generationem, cujus omnes ſunt vel puri, vel impuri. Hactenus Abarbanel.

XX. At iſta Judæorum ſententia primùm valde injuria eſt in Deum ac verbum propheticum, quod tamen, rectè ita cenſente Petro, βεβαιότερον, *firmius eſt omni voce vel ex ipſo cœlo delata*, quam quis *audiverit* ipſe, & auribus ſuis hauſerit, 2. *Petr.* 1: 18, 19. *Deus enim*, qui Moſi dicitur ipſa eſſe *veritas*, *Deut.* 34: 4. vel Bileamo, cujus oracula Moſes etiam ſuo libro inſeruit, judice *Num.* 23: 19. *non eſt homo qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat. An ipſe dixerit, & non faciet? an locutus fuerit, & non præſtabit illud?* Sin aliter, quì conſtabit illi emphaſis memorialis ſui nominis JEHOVÆ? Id enim indicat eum, qui *erit quod eſt*, id eſt, quod ſe fore promiſerat. In hoc enim nomine *immutabilitas* fœderum ac promiſſionum patribus Judæorum degenerum datarum ab ipſo Deo indicatur *Mal.* 3: 6. Quì porro conſtabit Deo illa ſua gloriatio de infallibilitate libri ſacri in omni promiſſo apud *Eſai.* 34: 16. *Quærite in libro* JEHOVÆ, *& legite; unum ex his non defuturum eſt: unum alterum non deſiderabunt. Nam os meum locutum eſt, quod præcipit, & ſpiritu ſuo idem congregabit ea?* Si ſic in omni alio vaticinio, an in vaticiniorum omnium optimo, maximo, ſecus foret? Nec tamen Deus de hac exceptione in re tanti momenti populum ſuum præmonuiſſet? Quis credat cui cor non plumbeum?

Quod 1. Impium ſanè in Dei veracitatem.

XXI. Neque eſt quod R. Abarbanel cum ſuis promiſſiones Dei faciat conditionatas, ut alias, ſic eam de Meſſia. Quô enim id probabit argumento ex Sacris? Abſoluta certè eſt promiſſio in verbis Habacuci explicatis: ex quibus lubet adſcribere quæ Celeb. Tillius noſter contra Abarbanelem hunc in modum diſputat: *Convenimus in eo*, inquit, *tempus aliquod abſolutè deciſum eſſe, quô oportet Meſſiam adeſſe: neque illud protrahi poſſe ad tempora poſteriora. Differentia manet in eo,*

Promiſſio enim malè fingitur conditionata fuiſſe.

eo, an illud tempus anticipari potuerit? idque ſuſpenſum fuerit a populi puritate? Affirmant Judæi; negant Chriſtiani; quia contradictio eſt tempus ponere deciſum & incertum; ſeu abſolutè definitum, & mobile in anteriora. Viſionis tempus ponitur in tempus ſtatutum, *& adventus Chriſti Reipublicæ finem. Antevertas jam tempus, aut ille non veniet prope finem; aut viſionis terminus non erit tempus ſtatutum. Adde, quod Angelus Gabriel apud Danielem tempus* viſionis obſignandæ, & adventus Chriſti *incluſerit* intra ſeptuaginta hebdomadas: *dixeratque* poſt hebdomadas ſeptem & ſexaginta duas (*id eſt* LXIX) exſcindendum fuiſſe Meſſiam ducem, *Dan.* 9: 24, 25. *Quæ res proinde ita tempori alligata fuit, ut ſine ſubverſione veritatis propheticæ anticipari non potuerit, æque minus ac in poſteriora differri.* Hæc Tillius noſter, & ſatis.

Quod ex ipſis confirmatur Judæis.

XXII. Sed nos ipſos Judæorum Magiſtros Magiſtris opponamus. Saniorum enim ſententiam ſatis luculenter nobis exponit R. Abhuhabh, natione Hiſpanus, diſcipulus R. Kanpanton, qui floruit ſeculo 15. Vid. Bartoloccii *Bibliot. Magn. Rabbin.* T. 3. p. m. 871. Et quamvis videam à poſteriori me hujus Magiſtri ejuſque teſtimonii jam meminiſſe antè in *Diſſert.* ad *Zach.* 6: 12, 13 §. LXXXIII. digna tamen res eſt quæ hic repetatur, & examinetur diligentius. Is verò Doctor ſcripſit librum, cui titulum fecit מנורת המאור / q. d. *candelabrum luminaris*, ex *Exod.* 35: 14. & *Num.* 4: 9. Ratio tituli hæc eſt: uti ſuper candelabrum aureum Moſaïcum ſeptem lucernæ ardebant, *Exod.* 25: 37. ita & hunc ſuum librum in ſeptem הנרות / *lucernas*, tanquam in tot tractatus parteſve diviſit. Sic verò *Lucern.* 5. in qua agit de *pœnitentia* &c. *Claſſ.* 1. P. 1. C. 1. diſertè ſcribit "דבר ברור הוא מה שגזר וכו / *Res eſt extra controverſiam poſita, quod Sanctus Benedictus ea, quæ in bonum decrevit, nullo modo immutet. Et hoc fundamento nititur argumentatio Prophetæ Jeremiæ b. m. qua utitur in diſputatione adverſus Hananjam filium Aſuri Jer.* 28: 8 & 9. *Cùm Jeremias mala mortemque nuntiaverat, & expugnationem civitatum Iſraëlis per Nebucadnezarem, atque deſtructionem Templi: contrà Hananja Aſuri*

Aſuri filius contraria bona prædixerat. Ad hæc ait Jeremias, etiamſi fortè malum præſagium ſuo eventu deſtitueretur, inde tamen vaticinium ſuum mendacii argui non poſſe: cùm fortaſſe Deus miſericordiâ erga eos uti, vel ipſi ad meliorem frugem redire poſſint. Contrà verò ſi verba Hananjæ implementum ſuum non ſortiantur, inde liquido conſtare eum Pſendo-prophetam eſſe. Ita ille. Nempe quia, hoc Magiſtro judice, *comminationes Dei de malo* inferendo, tacitam ſæpe conditionem habeant, niſi ſcilicet reſipiſcentiâ peccatores pœnas præveniant; *promiſſiones* autem de bono ſemper ſint abſolutæ, ſic ut Propheta *bonorum promiſſor* mox falſi ſit convictus, ubi tempore ſtatuto non adeſt quod promiſerat. Neque ſic tantùm loquuntur Magiſtri de *promiſſionibus boni* omnem conditionem expreſſe ſecludentibus, aut ſaltem ſine ulla conditione propoſitis, verùm &, quod tamen limitationæ ſua indiget, dicunt in *Berachos Cap.* 1. "כל דבר ודבור שיצא מפי הב"ה לטובה וכו / *Unumquodque effatum, quod Sanctus Benedictus in bonum enunciat, etiamſi a conditione ſuſpendatur, nulla tamen ratione immutari poteſt.* Si hoc, quanto ergo minus, ô Judæi, fallent prophetiæ nudè, & abſque ulla conditione poſitæ, in primis quæ promiſſionem *tanti boni*, quantum eſt Meſſias, in ſe complectuntur? His tandem addam diſputationem inter duos Rabbinos ſatis memorabilem, quæ exſtat *Tract. Sanhedrin* rurſus *Cap.* XI. §. 31. & ibi ceu antiqua traditio recenſetur; "רבי אליעזר אומר אם ישראל וכו Dabo hoc totum ex verſione Celeb. Cocceji: *Dictitabat R. Eliezer: Iſraelitæ, ſi convertant ſe liberabuntur.* q. d. Revertimini filii averſantes, & ſanabo averſationes veſtras (*Jer.* 3: 22.) *Huic oggeſſit R. Joſua: Annon S. E.* Gratis vendidiſtis vos, & ſine argento liberabimini? (*Eſai.* 52: 3.) gratis vendidiſtis vos, *ſcil. idololatria:* & ſine argento vindicabimini, i. e. *non per pœnitentiam & bona opera*, (quod idem eſt ac pariter gratis liberabimini) *Replicuit ipſe: Annon* S. E. Revertimini ad me, & ego revertar ad vos *Zach.* 1: 3. *Joſua vero: Atqui* S. E. Ego conjugio junctus ſum vobis, & recipiam vos, unum ex civitate, & binos e familia, atque adducam vos

Tzionem (meo ſcilicet uſus imperio, cui nemo reſiſtet, & ſuſque deque habitis veſtris qualitatibus, pœnitentiâ, bonisve operibus, agam pro mea liberrima poteſtate.) *Inſtitit* porro *R. Eliezer: Reverſione* (pœnitentia) *& quiete ſervabimini* (*Eſai.* 30: 15.) Cui R. *Joſua oppoſuit:* Sic dixit Dominus vindex Iſraëlis, ſanctus ejus: ei qui contemtus eſt animæ, qui in ſe provocat abominationem gentis, ſervo dominantium reges videntes aſſurgent, principes adorabunt, propter Dominum, qui fidelis (verax) eſt, ſanctum, *inquam*, Iſraëlis, atque elegit te *Eſai.* 49: 7. (Et tunc additur *verſ.* 8. *Tempore* accepto exaudiam te, & die ſalutis auxiliabor tibi.) *Inſtitit R. Eliezer:* ſi reverſurus es, Iſraël, ad me revertere (*Jer.* 4: 1.) *Joſua vero* (reſpondit) *Quinimmo* S. E. Et audivi virum illum amictum lineis, qui ſuper aquas fluminis (erat) quod elata dextra & læva ad cœlum verſus juravit per eum qui ſempiternum vivit, quod ſtato tempore, temporibus, & dimidio, & quum conſummatum fuerit conquaſſare manum populi ſancti, implebunt omnia iſta (*Dan.* 12: 7.) Et tunc fertur: *Et R. Eliezer* שתק / *obmutuit.* Ut vel ex hac diſputatione R. Joſuæ contra Eliëzerem conſtet, ex omnibus hiſce locis S. Scripturæ adductis, redemtionem Iſraëlis (quam in primis a Meſſia exſpectant) nequaquam dependere ab ulla conditione, aut ab ejus reſipiſcentia meritiſque, ſed planè a Dei beneplacito & veracitate fallere neſcia. Et recte. Nampe ſic ipſe Deus apud Zachariam *Cap.* 8: 14, 15. *Sic ait Dominus exercituum: quemadmodum cogitaveram malò afficere vos, quum fervefeciſſent me patres veſtri, neque pœnituit me: ita converſus cogito diebus his bonò afficere Hieroſolymæ, & domui Jehudæ, ne timetote:*

Quodque etiam 2. Contrariaretur perpetuo tramiti viarum Dei.

XIII. Sed vel omnium ſeculorum experientia ſatis lucu-lenter teſtata fuit, nullo unquam tempore Deum bona, quæ ſuo pollicitus fuerat populo, ob hujus peccata vel unico momento ſerius adimpleviſſe. Videte mihi Iſraëlis eductionem e ſervitute Ægyptiaca. Videte ejusdem liberationem ex captivitate Babylonica. Harum prior facta eſt *eadem illa nocte, quâ*

quâ completi eſſent illi quadringenti & triginta anni Exod. 12: 41. prædicti ſcilicet *Gen.* 15: 13. Altera verò *ſeptuaginta annis* captivitati antè deſtinatis, *Jer.* 29: 10 & 11. & ad *finem* vergentibus certò certius a Daniele exſpectata *Dan.* 9: 2. Quæque ſuo tempore adfuit *Ezr.* 1: 1. neque tamen populus Iſraëliticus tunc minus peccatis erat implicitus qùam nunc temporis. Quæ cùm ita ſint, dic, ſodes, rationem cur in ſolo Meſſiæ adventu Deus faceret, quod in aliis non ſolebat facere promiſſis? quodque etiamſi in aliis potuiſſet facere promiſſis, in hac Meſſiæ adventus ratione minimè omnium facere deberet ob rationes a ſcopo adventus hujus petitas, & infra §. XXVIII. latius dicendas.

Sed & 3. Propriis Judæorum principiis, uti A. Traditioni Eliani de tempore adventus Meſſiæ.

XXIV. Mira enimverò gentis pervicacia, quæ ne agnoſcat in Jeſu veniſſe Meſſiam, non modò ejus adventum differt contra Dei fidem, ſed & propriam ſuam ſpem ac confeſſionem. *Spes* enimverò glorioſa facta eſt Iſraëli per omnes Prophetas, omnes Gentes, Meſſiâ docente, confluxuras cum omni reverentia, amore ac beneficientia ad Eccleſiam Iſraëlis. Vide & perpende, Lector, argumentum exoptabiliſſimum locorum, quæ hic ſequuntur, *Pſalm.* 72: 10. *Eſai.* 49: 18, 22, 23. *Cap.* 60: paſſim. *Hagg.* 2: 8. *Zach.* 6: 15. 8: 29. &c. Et hæc tamen omnia gens ſuæ aliàs gloriæ ſtudioſiſſima dimovere mavult, quàm tanquam per Jeſum, verum Meſſiam, impletam acceptare. Sed & *confeſſio* Judæorum alia principia ſuppeditat, quale eſt in illa traditione domus Eliæ, non Thisbitæ quidem, ſed tamen eximii cujuſdam & antiqui inter Judæos Doctoris: quam ex *Talmude Tract. Sanhedrin Cap.* XI. §. 29. dabo verbis Latinis Celeb. Cocceji: *Traditio eſt domus Elianæ* "ששת אלפים שנה הוי עלמא וכו / *Sex mille annos durat mundus. Bis mille annis* תהו / *inanitas & vaſtitas.* (Sive malis, quod & Celeb. Weſſelius noſter eleganter obſervavit id ſua *Diſſert* de *Secunda Primogeniti in mundum inductione* ad *Hebr.* 1: 6. §. XXVI. תהו vertere, *Confuſio*, & dicere, *ab Adamo uſque ad Moſem per bis mille annos juxta ſtylum Hebræorum fuiſſe* תהו / *ſive* confuſionem, *id eſt, juxta ſtylum Pauli, parietem intergerinum tunc nondum*

dum fuiſſe erectum, ſeparantem Judæos a gentibus reliquis: Epheſ. 2: 14.) Deinceps *Bis mille annis Lex.* (*Confuſionem* ſcilicet illam priorem tollens per ſeparationem Judæorum, tanquam *unici populi Dei*, ab omnibus Gentibus; eô enim fine *Legem* datam vide *Exod.* 19: 5.) *Denique bis mille annis dies Meſſiæ.* (Quando itaque ſeparatione eâ inter Judæos Genteſque iterum ſublatâ omnes fiunt *unum in Chriſto*, quæ perpetua illa & principalis Pauli doctrina eſt *Gal.* 3: 27. *Rom.* 3: 29. coll. *Zach.* 14: 9.) Habet eandem traditionem Menaſſe Ben Iſraël, celebris Synagogæ Judaïcæ, quæ Amſtelædami eſt, præterito ſeculo Doctor, de *Reſurrectione Mortuor.* L. 3. C. 3. p. m. 267. & eam citat ex *Aboda Zarah Cap.* 1. Hanc autem ejuſdem addit explicationem: *Dividit hic auctor*, inquit, *totam mundi durationem in tres ætates, tribuens unicuique ætati bis mille annos. Conſiderans autem homines uſque ad Abrahamum (qui univerſam Legem Moſaïcam optimè obſervavit, ut ex Geneſi conſtat) abſque Lege vixiſſe, ideo vocat tempus illud* תהו / Tohu, *id eſt*, vacuum & inane. *Ab Abrahamo verò uſque ad Meſſiam, qui ſenſum Legis & myſteria illius populum docebit, intervallum illud rurſus facit bis mille annorum; ita ut elapſis quater mille annis illuſtris & univerſalis dies exoriturus ſit, quo Meſſias in has terras veniet ad populum de verâ mente & genuino ſenſu Legis erudiendum ac docendum.* Hæc Menaſſe. Si autem ſcire velis unde hanc illi Eliæ doctrinam putent aut ortam fuiſſe, aut certè confirmari poſſe, & illorum annorum rurſus denuo diviſionem triplicem? Theod. Hackſpanius de *Cabbala Judaïc.* §. 62. hanc ex Judæis tibi dabit rationem: *Litera* א *ſexies exſtat in verſ.* 1. *Gen.* 1. : בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ

ubi reſpicitur ad ſex mille annos, quibus durabit mundus. (Nam vox Aleph *mille* ſignificat, & prima hujus vocis litera in numeris etiam pro millenario ponitur.) Similiter in *verſ.* 4. *Eſai.* 41. *ſex* א *reperies* / אני יהוה ראשון ואת האחרנים אני הוא Ego Dominus primus & cum noviſſimis ego ſum. *At*

in

in verſ. 2. Gen. 1. והארץ היתה תהו ובהו וחשך על פני / תהום ורוח אלהים מרחפת על פני המים: Et terra erat inanis & vacua &c. *duo duntaxat* א *occurrunt, ut indicentur duo millena quibus fuit* תהו / *hoc eſt, mundus inanis & abſque Lege ſcripta. At in illo Prov. 8: 22.* יהוה קנני ראשית / דרכו קדם מפעליו מאז: Dominus poſſedit me in initio operum ſuorum, antequam quidquam faceret in principio, *itidem duplex ſolum* א *legitur, ut innuantur duo millia Legi in traditione ſuperiori aſſignata. Poſtremò verſ. 3. Gen. 1.* ויאמר / אלהים יהי אור ויהי אור: *Et dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux,* א *quater exſtat, ac reſpicitur ad quatuor millia, quæ ſimul adſcripta ibidem fuere Legi ac diebus Meſſiæ, hi enim ſunt dies lucis*; ubi nimirum תהו pridem ceſſavit cum ſua caligine. Hæc Hackſpanius. Nos, auctoritate hujus traditionis in medio relicta, contra Judæos ſic propriis ſuis principiis convincendos dicimus, iſtorum quatuor mille annorum terminos jam dudum eſſe elapſos, immo & jam mille ac ſeptingentos ferme annos ſupra priorem numerum effluxiſſe. Unde ſequetur Meſſiam Judæorum adhuc exſpectatum nimis ſerò venturum; Jeſum autem, qui poſt quater mille annos a mundo condito elapſos in mundum venit, ad amuſſim traditioni illi Elianæ ſatisfeciſſe.

XXV. Verùm & hic recurrunt ad ſuetam ſuam exceptionem. Mox enim poſt citatam illam ex *Sanhedrin* traditionem addunt: *At verò propter peccata noſtra, & plurima enormia, abierunt ex his, qui abierunt.* Ita vertit Coccejus. Exſtat autem in illo Talmudis textu יצאו / *egreſſi ſunt*, nempe, de ultimo iſthoc millenario. Volunt ergo idem, quod clarius expreſſit jam adductus Menaſſe *loc. cit.* poſt adſcripta in ſuperiobus verba ſic pergens: *Quia verò præter opinionem ſuam rem cadere videbat*, nempe Elias ille, hujus traditionis auctor, *ideo erumpens in lamentationes ac querelas, ait vitia ac peccata populi in cauſa eſſe, cur adventus Meſſiæ ulterius, longiuſque dies iſte eſſet*

Hanc etiamſi ipſi exceptione illâ dilatoriâ, prudentius tamen adhibitâ, eludere conentur; ut oſtenditur ex Menaſſe, Talmude.

ſet dilatus, adeo ut trecenti *anni ultra quatuor millia annorum elapſi eſſent. Et profectò veriſſimum eſt*, inquit, *ſi Iſraëlitæ ſeriò factorum ſuorum pœnitentiam egiſſent, Meſſiæ eventus non fuiſſet procraſtinatus. At nunc quia profundè immerſi jacent, hærentque defixi in vitiis ac peccatis ſuis, hinc eſt quod differatur beatitudo uſque ad finem dierum. Nam tum juxta Hoſ.* 3: 5. Poſtea revertentur filii Iſraël, & quærent Dominum Deum ſuum, & Davidem Regem ſuum, & pavebunt ad Dominum, & ad bonum ejus באחרית הימים / in noviſſimo dierum. *Vel, quemadmodum legitur in Sebet Jeuda: non dicitur, quod venturus ſit in fine quater mille annorum, vel in principio quinque millium: ſed tantùm quod bis mille annis dies Meſſiæ, id eſt, quod intra ſpatium ille annorum venturus ſit Meſſias, circa principium, medium, vel finem, pro ratione meritorum. Poſt illos verò ſex mille annos arbitrabatur mundum finem habiturum.* Hæc ille Doctor Menaſſe. Nimirum hac ratione Judæi putant ſe illam traditionem Elianam ſartam tectam ſervare poſſe, quia cùm ſpatium bis mille annorum poſtremorum Meſſiæ adventui aſſignatorum nondum elapſum ſit, Meſſias adhuc ante illud prorſus finitum ſpatium venire & adeſſe poſſit. Quæ certè exceptio ſpecioſior multo eſt, quàm ſi & hic ſimpliciter dicerent, quod eos reſpectu *ſignorum temporum* apud Prophetas poſitorum §. XIV. dicentes vidimus, dilatum eſſe Meſſiæ adventum propter peccata Iſraëlis. Dabo autem hanc rem omnem ipſis eorum verbis ex *Sanhedrin loc. cit. Ait Elias ad R. Jehudam, fratrem R. Salæ pii, non minus quàm octoginta quinque Jubilæos* (qui faciunt annos 4250) *durabit* עולם / *mundus* (vel potius ſeculum, nempe prius, ſive veteris Teſtamenti) *Jubilæo autem extremo veniet filius Davidis. Cui ille: Ejuſne ille exordio, an fine veniet? Reſpondit ille: neſcio equidem. Quum finierit, inquit, aut priuſquam finierit? Ille, ſe neſcire. R. Alſche ſic eum reſpondiſſe refert: huc uſque ne exſpectes illum; de cætero exſpectes illum. R. Chänan, filius Thahalipſæ R. Joſepho ſic mandavit: Reperi hominem, qui habebat volumen ſcriptum charactere Aſſyrio, lingua ſancta. Quæſivi, unde haberet?*

ret? Quum facerem ſtipendia inter theſauros Romæ inveni. In eo ſcriptum exſtabat: Poſt annos quater millenos, ducentos, nonaginta & unum a conditu mundi elapſos, mundo (עולם / quod mox oppoſitum *diebus Meſſiæ*, aliàs titulo עולם הבא / deſignari ſolitis clariſſimè ſignificat ſeculum Veteris Teſt. Judæis aliàs עולם הזה dici ſolitum) *finis erit* &c. *Quod reliquum erit, dies Meſſiæ erunt. Finis* autem totius עולם veteris hic memoratus phraſi Prophetica audit vulgo אחרית / הימים / *ultimum dierum*: ſive phraſi τῶν LXX & Apoſtolica αἱ ἐσχάται ἡμέραι, quando nempe foret illud עולם הבא / *ſeculum futurum*, Meſſiæ nempe. Conf. & *Notæ* Celeb. Cocceji in *h. l.*

XXVI. Eòdem faciunt etiam quæ legimus in libro, cui titulus; *Hiſtoria Judaïca*, a Gentio Latinitate donata, cujus & antè memini *Diſſertat.* de *Propheta ſicut Moſe* ad *Deut.* 18: 15. §. CV. ubi p. 237. *& ſeqq.* de ſenſu quoque hujus traditionis Elianæ ſollicitè diſputari video, quæ prolixiora quàm ut deſcribere hic omnia vacet. Hoc autem omni niſu contendunt Eliam nullum temporis articulum certum determinaſſe, at in genere modò dixiſſe: *Et bis mille anni dies Meſſiæ. Senſus eſt*, inquiunt *pag.* 239. *Bis mille iſti anni ſunt apti, quibus Meſſias veniat. Si digna Judæi fuerint, veniet in principio. Sin autem indigni in principio fuerint, in medio veniet, ſi digni fuerint. Si verò in medio indigni fuerint, venturus eſt in fine, ſi digni fuerint. Verùm bis mille iſti anni non præteribunt, quin Meſſias veniat.*

Item ex hiſtoria Judaïca a Gentio Latinitate donata.

XXVII. Ad has ego Judæorum tergiverſationes pauca hæc reponam. Primùm, etiamſi hac exceptione, haud ſanè ingenio deſtitutâ, vim argumenti ex *Eliana traditione* petiti effugerent, non tamen ideo eâdem exceptione *terminos* adventui Meſſiæ apud Prophetas præciſè poſitos, de quibus diximus ſuprà §. XIV. loco dimoverent ſuo. Qui intra ſpatium bis mille annorum venire debet, ille fateor, poſſet venire ocyus, poſſet etiam ſerius, & antequam periodi hujus annus, dies, hora, momentumque ultimum eſſet elapſum, non poſſet ille dici *tardare*. Sed qui adeſſe debet antequam

Exceptionis iſtius vanitas.

aboli-

abolitus ſit Legislator, *Paſtores tres exciſi*, *Canaän vaſtata*, *Templum dirutum*, & tamen ante hæc omnia non adeſt, immo ne dudum quidem poſt hæc omnia adeſt, ille profectò nimis ſerò venit, quàm ut pro genuino agnoſci poſſit. Veruntamen neque ipſa *Eliana traditio* tam facile ſe eludi patitur. Nam, ut attendenti patet, conſtat triplici ea membro, quæ eâdem orationis formâ propoſita, eodemque loquendi modo tempus ſingula ſuum deſignantia, non ſinunt aliam fieri tertii, quàm ſecundi, vel primi explicationem. Jam verò in Primo membro: *Bis mille* anni תהו / ſenſus non eſt, vel in medio, vel in fine hujus ſpatii oriturum illud תהו / ſed per totum illud ſpatium a principio ad finem illud תהו duraturum. Pariter in Secundo membro ſenſus eſt, *Legem* non exſtituram aliquâ, indeterminatum quâ præciſe, parte iſtius periodi, ſed totâ eâ periodo duraturam. Quâ ergo ſcenæ mutatione in membro Tertio; *Bis mille annis dies Meſſiæ*, ſenſus foret, non, per totòs illos bis mille annos continuos fore *dies Meſſiæ*, ſed tantùm aliquâ illorum parte, incertum quâ, hoſce orituros? Porro cùm ſumma omnium horum membrorum ea ſit, *Sex mille annis durat mundus*, mox verò tria hæc membra *bis mille annis* ſingula duratura diſtinguantur per תהו / תורה / & משיח / ergo uti omnis diſtinguens temporis character non in fine ejus oriri, ſed ab initio adeſſe debet, & ad finem permanere, (quis enim ex. gr. *ſeptem famis annos* dixerit annos ſeptem, quorum non primô, prout Joſephus computabat *Gen.* 45: 6. ſed *ſeptimo* forſan vel *ſexto fames* ingruit, aut etiam quorum primô jam vel ſecundo fames deſiit?) ita, ubi תהו deſinit, mox debet incipere תורה / & ubi תורה ceſſat, eâdem ratione ſtatim ſuccedere המשיח / non verò hians aliquod & vacuum charactere ſuo ſpatium inter hæc relinqui. Denique cùm & תהו & תורה integrum ſuum habuerint ſpatium, quid Elias hic Meſſiæ feciſſet reliquum, ſi huncce in fine *ſuorum bis mille annorum* venire ſuppoſuiſſet? mox enim completis per ultimam hanc periodum elapſam *totis ſex millibus*, *mundo* & *diebus* etiam *Meſſiæ*, quantum hi hoc mundo indigent, (quod pro-

profectò ex Judæorum carnalium opinione de indole regni Meſſiæ plurimum eſt) ſimul imponetur *ſuus finis*. Vel ergo Traditioni Elianæ ſatisfactum non eſt; vel Meſſias mox poſt *quatuor annorum millia* elapſa adfuiſſe debet. Neque ipſos Rabbinos antiquos ſenſu alio eam traditionem accepiſſe ex antè allegatis jam conſtat. Cæterùm, ſi *Jubilæo extremo ex octoginta quinque jubilæis* venire debuit Meſſias (ut Elias ſuprà dixiſſe fertur ad R. Jehudam, jam octoginta quatuor jubilæi quidem certò antè elabi debuerunt, id eſt, anni 4200. tum verò intra ſpatium 50 annorum ſequentium æquè certò debuit adeſſe Meſſias: id eſt, in tertiæ periodi *bis mille annorum*, non parte qualicunque, ſive medio, ſed in ipſo ejus initio, vel haud valde procul ab illo. Nec ab hoc Elia multum abit liber ille a R. Chananja viſus, qui *dies Meſſiæ* annectebat *anno nonageſimo primo* poſt *annos quater millenos ducentos à mundo condito* elapſos. *Incertitudo* iſta adventus Meſſiæ hic non ſpargebatur per *totum mille annorum* ſpatium, quo modo R. Menaſſe rem expedire voluit, ſed includebatur terminis unius jubilæi. Non ergo computatores hi inter ſe conſonant. Nec mirum in tam violenta veritatis perverſione. Id autem mirum, unde Romæ invenerit ille homo *talem librum*, de quo ſuprà R. Chananjan loquentem audivimus. Quando vixerit hicce Rabbi, ut & Rabbi ille Joſephus, quâ in terra, & ex qua patriâ ortus, certò indicare non poſſum, & reliqua quæ hic quæri poſſent: nec non, cur computationes hæ Judaïcæ à computationibus Chriſtianorum, verum Chriſti adventum in carnem referentium ad annum à mundo condito 3947 aut 3948 cum Scaligero: aut 3984. cum Petavio; aut 4000. cum Uſſerio, aut circa hanc ætatem (nam variant ſententiæ de anno ac die nativitatis Chriſti: Vid. Frid. Spanhemii F. *Chronologiæ S. Part.* 2. *Cap.* 16.) tantum diſcrepent, hujus etiam loci non eſt definire.

XXVIII. Hactenus oſtendi figmentum *promiſſionis conditionatæ*, & ob peccata Judæorum retardatæ, contrariari propriæ eorum traditioni de tempore, quô advenire debe- *Uti B. Traditioni alteri Talmudicæ de ſumma*

Judæorum corruptione, cùm Messias veniet.

ret Messias. Nunc porro ostendam non minus idem figmentum contrariari alteri eorum traditioni antiquissimæ, quæ disertè satis habet tempore adventus Messiæ omnia peccatis malisque moribus in Israële fore corruptissima. Hæc rursus repetam ex *Tract. Sanhedrin Cap.* II. §. XXVII. כן/ תניא בי" יהודה אומר דוד שבן דוד וכו" Quæ ex versione Cocceji ita sonant: *Trad. ait R. Jehuda. Quo seculo filius Davidis venturus est, domus conventus in lupanar vertet, Galilæa desolabitur, Gabalene vastabitur, homines limitum oppidatim circuibunt, neque obtinget illis miseratio: sapientia Scribarum putebit, qui metuunt peccare spernentur, vultusque seculi frontis instar caninæ erit.* Et veritas deficiet (*Esai.* 59: 15.) *Ajunt familiares Raf. Gregatim quasi abscedet veritas. Quid?* Et qui abscedit a malo insanit (*ibid.*) *Familiares R. Silæ: qui recedit a malo apud reliquos omnes pro insano erit.* Et §. XXVIII. *Trad. R. Nehorai ait: Quo seculo filius David veniet adolescentes viros provectæ ætatis pudefacient: seniores adolescentulis assurgent: filia insurget contra genitricem, & nurus contra socrum: frons seculi canina erit, neque filius patrem reverebitur. Trad. R. Nehemias ait: Quo seculo filius Davidis veniet, illo impudentia crescet, honorati quique fraudibus & nequitiis utentur. Omne regnum superstitioni & perversis dogmatibus erit deditum; neque erit qui redarguat. Id attestatur R. Johanni. Is sic dictitabat: Non veniet filius Davidis, donec omne regnum pravâ de Deo & divinis opinione occupetur.* Ex hac itaque traditione conficio, aut Messiæ adventum ob eorum peccatum non potuisse differri, quemadmodum nunc prætendunt ipsi; aut Judæos Messiâ veniente tam putidos non posse esse peccatores, quod tamen vult modò citata eorum traditio: quam pugnam illis conciliandam linquimus: certi interim tantum abesse a veritate prophetica, quod ob Israëlis peccatum suum differat adventum Messias, ut è contrario Salvator & *Goel advenire debeat Syonem, ut avertat impietates a Jacobo*, uti Paulus *Rom.* 11: 26. nobis exponit locum *Esai.* 59: 20. *errantesque oves ad se converteret:* uti Petrus 1. *Epist.* 2: 25. monet ex *Esai.* 53: 7. quemadmodum & pro-

proclamaret ipſe *Eſai.* 43: 25. *Ego, ego ipſe deleo defectiones tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordor. Nam apud ipſum eſt condonatio, ut reverenter colatur Pſalm.* 130: 4. Immo verò diſertè totus ejus adventus finis in eo ponitur, quod ejus ſit *cohibere defectionem, obſignare peccata, expiare iniquitatem, adducere juſtitiam ſeculorum, Dan.* 9: 24.

XXIX. Pone autem Meſſiam ad impios nec velle, nec debere venire, ne vel ſic tamen *retardationi* ejus prætextus ille ſufficit. Semper enim piorum in Iſraële tantus adhuc numerus adfuit, ut ad hos venire operæ fuerit pretium. Dicunt quippe Judæi in Tractatu *Sanhedrin Cap.* 11. *Edit. Amſteléd.* p. 67. verſâ, ubi hæc reperiuntur verba: אמר אביי לא / פחות עלמא וכו" *Dixit: Non minores ſunt in unoquoque ſeculo quam triginta ſex juſti, qui ſalutant facicm Dei;* (vel *Schechinæ*) *uti dicitur:* Beati ſunt omnes, qui eum exſpectant. *Et vox* לו / eum, *per gematriam, vel Arithmeticam Rabbinicam notat triginta ſex. Contra eam ſententiam opponitur, quod dixit Rabba, in ſeculo Dei non minores eſſe juſtos quàm octodecim millia, quia dicitur, circum ſunt octodecim millia. Ad hoc verò reſpondetur, primos triginta ſex eos eſſe, qui penitius penetrant ad contemplandam mirabilem Dei lucem; alios autem qui hanc Dei lucem non tam prope contemplantur.* His addo alia ex Judæorum ſcriptis, cum jam dictis, etſi numero non ſic determinato, quod ad rei tamen ſummam planè convenientia. Ita quippe legitur in *Comment.* R. Sal. Jarchi in *Pſalm.* 139: 17. in quavis generatione צדיקים / *juſtos*, ſive *ſanctos* Judæos eſſe. Sic quippe ejus habent verba: כנסת ישראל / אומרת מה נכבדו בעיני הצדיקים שבכל דור ודור: / *Synagoga Judaïca dicit: quam pretioſi ſunt in oculis meis juſti, qui ſunt,* vel reperiuntur, *in omni generatione & generatione:* i. e. in qualibet. Hic autem a R. Iſaäco in Libro, qui inſcribitur חזוק אמונה p. 80. diſertè vocantur קדושי אל / *Sancti Dei.* Vid. quæ plura habet *Part.* 1. *C.* 6. ad finem, ex editione & confutatione Jac. Guſſetii. Et primo quôque novi anni die inter preces Judæi fundunt hæc ipſa verba: שמר גוי קדוש שמור / שארית עם קדוש ואל יאבד גוי קדוש *O cuſtos gentis ſanctæ,*

Immo & C. Traditioni tertiæ de reliquis ſemper inter Judæos ſat multis piis, propter quos Meſſias venire poſſet, uti alio quovis tempore.

ſerva reliquum gentis ſanctæ, ſerva reliquum populi ſancti, ne gens ſancta pereat. Sic ergo ſemper in omni generatione fuerunt ſancti inter Judæos, ſancti certè etiamnum ſunt inter eos, ad quos venire Meſſias poſſit. Certè ſi olim pollicitus fuerit Abrahamo Deus, velle ſe Sodomæ parcere ac Gomorrhæ, dummodo decem juſti in duabus iſtis forent civitatibus, quanto magis Meſſiam decebit adimplere adventus ſui promiſſiones in ſuorum juſtorum ſolatium, qui juxta hanc traditionem non decem numero, ſed millies decem, & duplo adhuc fere plures hic ſemper dicuntur reperiri?

Sic certè maxime expiationis magnæ die.

XXX. Immo verò tradunt Rabbini die quovis expiationis magnæ, qui menſis Tiſri decimus eſt, univerſum populum Judaïcum peccati adeo eſſe expertem, ut Angelis cœleſtibus ſit ſimilis. Quare etiam iſthoc die precationis formulam uſurpant, quæ exſtat in *Libro precum*, vocaturque קרית שמע/ ubi hæc inter alia verba reperiuntur ברוך שם כבוד מלכותו/ העולם ועד: *Benedictum ſit nomen gloriæ, regnum ejus ſit in æternum:* quamque formulam ajunt ab Angelis ſanctis in cœlo uſurpari, quod Judæi aliàs non audeant, quia non ſancti, ſed peccatores ſunt. Hanc, inquam, tam ſanctam formulam illo expiationis die Judæi adhibent, quia nempe cenſent ſeſe æquè ac Angelos tunc ſanctos eſſe, adeoque & eâdem cum Angelis precatione ad Deum uti poſſe. Audiamus verò, quæ dixi, veteres æquè ac recentiores Magiſtros uno ore fatentes. Sic in מדרש תהילים fol. 13. c. 3. כל מה שישראל/ מתלכלכין בעבירות כל ימות השנה יום הכפורים בא ומתכפר להם שנאמר כי ביום הזה יכפר עליכם: *Omnia peccata, quibus Iſraëlitæ quovis die totius anni contaminantur, dies expiationis expiat, quemadmodum legitur* (np. *Levit.* 16: 30.) *Nam illo die expiationem faciet pro vobis.* Ita quoque in פסקתא רבתא *fol.* 72. col. 3. hæc reperiuntur ביום/ הכפורים הקב"ה מטהר את ישראל ומכפר על עוניותיהם:

Deus

Deus benedictus die expiationis purgat Iſraëlitas (a peccato) *expians iniquitates eorum.* Porro R. Bechai, qui Arragonenſis Hiſpanus natione, filius Aſcher, magnæ fuit auctoritatis apud Judæos, in ſuo libro edito Ao. 1291. cui titulus eſt ביאור על התורה / *Elucidatio in Legem fol.* 191. *col.* 4. *loc. cit.* de Iſraëlitis magnæ expiationis die ſcribit in hunc modum: והם מלאכי השרת לובשים לבנים לא אוכלין ולא שותין אין בידם חטא ועון כי הקיבה סולח לכל עוונותיהם (Iſraëlitæ magnæ expiationis die) *ſunt ſicut Angeli miniſterii, induunt albas veſtes, non edunt neque bibunt, nullius rei peccati aut iniquitatis: Deus enim benedictus omnes illorum iniquitates expiat.* Notandum nempe Judæos in purificationis tantæ publicum ſignum pleroſque ſolitos *ſtolis albis* memorato die incedere: prout refert de *hodiernis Judæorum ceremoniis* Leo Mutinenſis, Rabbinus Venetus *Part.* 3. C. 6. Sed & Jo. Buxtorfius *Synog. Jud. Cap.* 21. tradit cenſere Judæos adeo *ſe hoc die ſanctos & pios eſſe, ut Diabolus ipſe eorum pietatem laudare cogatur.* Quem in finem idem *Cap.* 46. refert ex *Capitulis* R. Eliëzer aliquod colloquium inter Deum ac Diabolum, quod aliquanto fuſius repetam ex verſione Guil. Henr. Vorſtii: Ajunt autem: *Niſi eſſet dies expiationum mundus non ſubſiſteret: dies enim expiationis in hoc & futuro ſeculo expiat: Licet autem omnia feſta tranſirent vel abolerentur, dies tamen expiationis non tranſibit, quia levia & gravia* (peccata) *expiat. Hinc dicitur:* Quia iſto die expiabit vos ab omnibus peccatis veſtris. (*Levit.* 16: 31.) Et tunc recitatur colloquium memoratum: *Iſto die, quo Lex fuit lata, dixit Sammaël coram Sancto Bened.* Domine mundi, ſuper omnes populos mundi mihi dediſti poteſtatem, non verò in Iſraëlitas. *Reſpondit illi:* En, habes in illos poteſtatem die expiationis, ſi habuerint peccatum: ſi verò non, in illos non habebis potentiam. *Idcirco dant illi munus die expiatorio, ne irritum reddat Iſraëlitarum ſacrificium.* (Alibi legitur; *ideo munus Satanæ dari, ut illi oculos perſtringant, ne ab illo accuſentur,* uti ſcribitur

Exod. 23: 8.) Munus excæcat videntes. Vid. Buxtorf. *Synag. Jud.* C. 21. ad finem ferme.) Unde dicunt, notante Buxtorfio *loc. cit.* תנו שוחד לסמאל ביום הכפורים / *Date munus Sammaëli in die expiationum. Hinc dicitur:* una ſors pro Domino, altera ſors pro Hazazel, *ſeu* capro emiſſario (*Levit.* 16: 8.) *Sors Sancti Ben. eſt ſacrificium holocauſti; ſors verò Hazazel eſt hirci peccati, atque omnes iniquitates Iſraëlis ſuper illum ſunt, juxta illud:* Et feret hircus ille ſuper ſe omnes iniquitates eorum: (*verſ.* 22.) *Animadvertit autem Sammaël nullum peccatum in iis deprehendi die expiatorio: Dixit coram Domino mundi:* Habes unicum populum in terra ſimilem Angelis miniſterii in cœlis. *Quid Angeli miniſterii? Non habent poplites: ſic & Iſraëlitæ die expiatorio ſtant ſuper pedes ſuos. Quid Angeli miniſterii? Non habent cibum ac potum: ſic & Iſraëlitæ die expiationis non habent cibum neque potum. Quid Angeli miniſterii? Puri ſunt ab omni peccato; ſic quoque Iſraëlitæ die expiatorio mundi ſunt ab omni peccato. Quid Angeli miniſterii? Pax inter illos eſt intima; ita etiam die expiationis pax eſt in medio Iſraëlitarum. Audit quoque Sanctus Bened. ſupplicationem illorum de accuſatore ipſorum. Expiat quoque altare, ſacerdotes, atque univerſum cœtum, a magno uſque ad parvum, ſicuti dicitur:* Et expiabit ſanctuarium ſanctum (*verſ.* 33.) Hæc Eliëzer. Inde in *Joma Cap.* 1. ajunt Diabolum habere facultatem omnibus diebus anni accuſandi Iſraëlitas, excepto die expiatorio. Unde autem id arceſſant, operæ pretium eſt ut cognoſcamus: nempe, quia vox השטן complectitur numerum 364. Sunt autem dies anni 365. Unus ergo ille qui deficit in voce *Sathan* deſignat diem expiationis extra poteſtatem Satanæ poſitum. Hoc ex iis, quæ adduxi, liquido conſtat, die ſaltem expiationis magnæ Iſraëlem populum ſatis eſſe ſanctum, ut Meſſias advenire poſſit, quamvis neque omnibus Rabbinis videantur peccata Iſraëlis pro tanta remora Meſſiæ habita fuiſſe: non certè R. Jochanani, de quo in *Sanhedrin Cap.* XI. iſta leguntur: ואמר רבי / יוחנן אין בן דוד בא אלא בדור שכולו וכאי או בדור שכולו חייב

חיים / *Et dixit R. Jochanan: filius David non veniet niſi vel ſeculo, quod immune eſt peccatorum, vel ſeculo, quod reum eſt peccatorum.*

XXXI. O quàm verè huc ego referam, quod Paulus ſenſu generaliori de Judæorum tamen infidelitate dixit *Rom.* 3: 3, 4. *Quid tum enim, ſi infidi fuerunt quidem? Num ipſorum infidelitas fidem Dei inanem reddet? Abſit. Immo eſto Deus verax, omnis autem homo mendax: ſicut ſcriptum eſt, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, quando judicas.* Venit enim, venit ſuo tempore Meſſias noſter Jeſus: Judæi autem mendaciis ſuis ac figmentis occæcati illum videre nec volunt, nec poſſunt. Ego eorum figmenta nonnulla memorabo, ut pateat & ipſis *non acceptantibus amorem veritatis, immiſſam eſſe vim erroris ad credendum mendacio.* 2. *Theſ.* 2: 10, At paucis, nimis autem profectò ſunt putida, quàm ut iis immoremur. Horum ergo nonnulli putant jam adveniſſe Meſſiam. Maximæ ille auctoritatis antiquiſſimus Doctor Hillel, qui circa Jeſu noſtri tempora vixiſſe in confeſſo eſt, traditur eum jam inveniſſe in Hiskia Rege, alii in alio. Hillelis autem verba reperiuntur in *Cap. Chelek* fol. 98. *Non habent Iſraëlitæ Meſſiam, quia eo jam potiti ſunt temporibus Hiskiæ.* De ſenſu horum verborum poteſt conſuli Coccejus in *Notis* ad *Sanhedr.* ad *Cap.* II. p. m. 378. in 4°. & de eo etiam pluribus diſſerit R. Abarbanel de *Capite Fidei Cap.* 14. p. m. 63. ex verſione Vorſtii: qui ipſe in *Notis* ſuis in *h. l.* ex profeſſo plura addit *pag.* 65 *& ſeqq.* Quidam verò eum quidem exhibitum volunt, immo natum eodem die, quo Templum Hieroſolymitanum concremaretur. Quod ipſum probare ſatagunt ex *Eſai.* 66: 7. ubi poſtquam *verſ.* 6. præceſſerat: *Vox tumultuoſa eſt è civitate, vox è Templo; vox* JEHOVÆ, *tunc ſequitur: Quum nondum parturiet pepererit: quum nondum invadet dolor eam, jam poſuerit,* ſive *genuerit marem. Illa hora,* inquiunt, *exclamabat Iſraël inſtar mulieris parturientis.* Jam præiverat paraphraſis Jonathanis: *Antequam veniat ei tribulatio redemta erit; antequam veniat ei tremor, ſicut dolores parturientium, revelabitur Rex ejus,* id eſt, Meſſias.

Judæorum inter ſua figmenta miſera ſituatio.

Sen-

Senſus eſt, antequam devaſtetur Templum debet naſci Meſſias; quem capropter eodem concremationis Templi die, ut monui, natum fingunt, etiamſi ſe nondum manifeſtârit ob populi indignitatem. Poteſt hic conferri Hieronymus a Sancta Fide *Lib.* 1. *contra Judæos*, *Cap.* 2. Meſſiam porrò alibi regnare volunt aliqui, ubi autem ignorant. Alii verò deliteſcere in quâdam orbis habitabilis plaga, vel in mari, & ſuo ſe non manifeſtare populo Iſraëlitico, quod indignus ſit; quò continuò recurrunt. Huc etiam facit quod offendimus rurſus in *Sanhedrin Cap.* 11. Rabbi Jochanan interrogat ibi Eliam: *Quando veniet Meſſias? Dixit ei: abi, interroga ipſummet. Et ubi eſt? Sedet ad portam urbis Romæ. Quodnam verò ſignum ipſius? Sedet inter pauperes ferentes morbos: quumque omnes alii ſolvant, & obligent ulcera, eodem tempore ipſe ſolvit unum, & obligat unum: dicit: fortè deſideror ego, ne ego in mora ſim*; (ſed adſim præſtituto tempore, & non veniam poſt tempus; quod ego hic addo ex explicato jam loco *Hab.* 2: 3.) Mira autem eſt gloſſa Sal. Jarchi ad hunc locum *Sanhedrin*: *Videtur Doctori meo: Non in porta urbis Romæ ipſius, ſed horti Eden, qui toti mundo reſpondet: quodque ipſi dixerit, in illo latere Paradiſi, quod portæ urbis Romæ oppoſitum eſt, habitare Meſſiam. Ferentes morbos ſunt plaga affecti, & ipſe Meſſias plaga quoque affectus eſt; uti ſcriptum* (*Eſai.* 53. 5.) *ipſe vulneratus eſt ob prævaricationes noſtras, uti ſcriptum* (*ibid. verſ.* 4.) *& morbos noſtros ipſe tulit.* Hic falſa mixta veris: vera ſunt Meſſiam, ſive verè ad portam urbis Romæ fingatur ſedere, ſive in Paradiſo, jam natum eſſe; eumque eſſe qui apud Prophetam dicitur *morbos noſtros bajulaturus*, quod & Chriſtiana admittit fides. Quid? immo & Judaica traditio vetus. Doctores quippe dant Meſſiæ inter octo nomina ejus & illud CHAUARIATA, *leproſus, quia morbos noſtros tulit, & dolores noſtros portavit, at nos reputavimus illum vulneratum, percuſſum Dei & afflictum.* Vid. *Tract. Sanhedrin Cap.* 11. quem locum & nos fuſius citavimus antè in hoc ipſo *Libro* in *Diſſert.* ad *Jerem.* 23: 6. §. 38. Verùm ulcera eum ipſum habere, & inter ulceroſos medium ſedere, & quidem in Pa-

Paradiſo, deliria videntur eſſe inſanientis. Uti & eorum, qui Meſſiam adhuc venturum credentes, & ſuſque deque habentes Thalmudicum iſtud anathema ante §. 1. recenſitum, *Exſpiret anima eorum, qui tempora Meſſiæ computent*, audent tamen & adhuc in illum temporis articulum inquirere, & certum quidem ac determinatum ſtatuere. Meminit magnus Ger. Jo. Voſſius de *Theol. Gent. L. 2. C. 48.* R. Abrahami Avenaris, qui ex ſideribus, fati conſciis ſcilicet, collegerit, venturum eſſe promiſſum Meſſiam Anno Chriſti 1444. quô Jupiter cum Saturno futurus eſſet in Cancro: vel ſaltem viginti annos poſt, quando eadem foret conjunctio in Piſcibus. Sed iſtud intervallum utrumque jam dudum ante duo ſecula ac dimidium, & ultra longè exſpiravit. Quocirca ſpatium iſtud ulterius longè (& longè quidem poſtquam ex vivis jam exceſſiſſet Doctor iſte, ne ipſo eventu confutari poſſet) extendit R. Iſaäcus Abarbanel, cujus verba ex ejus commentario in *Danielem* citavit Guil. Vorſtius, in *Notis ſuis* ad Abarbanelem *de Capite fidei* p. 67. Ea verò ſunt: גאולתינו העתידה שאין וכו׳ / *Liberatio noſtra procul dubio futura eſt, cum fiet conjunctio efficax in Piſcibus Anno 5224. a creatione: faciet iſta veram demonſtrationem de liberatione noſtra, de redemtione animarum noſtrarum, atque regno & dominio noſtro.* Verùm obſervat Vorſtius hic σφάλμα eſſe in Anno 5224. quando forſan nondum natus videtur Abarbanel, vel ſaltem junior fuiſſe, utpote qui hunc ſuum commentarium abſolvit Anno 5255. adeoque in textu Auctoris loco חמשה ſubſtituendum eſſe ששי / & ſic annum 6224. qui foret annus à Chriſto nato 2464. De hac autem re omni (uti nunc video) eruditam conſcripſit Ao. 1677. Diſſertationem Jo. Friſmuthus ſub hoc titulo: *De Judæorum amentia, cæcitate & ſtupore, qui tempus adventus Meſſiæ ex conjunctione Saturni & Jovis in ſidere piſcium judicare præſumunt.* Utut ſit, ſic præciſum annum determinârunt adventus Meſſiæ: uti & alium alii multi. Vid. quæ hic ex Judæis adducuntur à Raimundo *Pug. Fid.* P. 2. C. 2. p. m. 266. &c. Neque id modò, ſed etiam ubi ad-

venerit, quot annos hic ſit exacturus audacter definiunt. Id rurſus dabo ipſis eorum verbis ex *Sanhedr. C.* 11. §. 37. *R. Eleazar ait: dies Meſſiæ erunt quadraginta anni: uno enim in loco dicitur* (Deut. 8: 3.) Afflixit te, fecit te ut eſurires, & cibavit te. *Rurſus alibi* (*Pſalm.* 90: 15.) Exhilara nos vicem dierum, quibus afflixiſti nos. (Et ſic tunc reſpiceretur ad quadraginta annos, quibus in deſerto patres eorum oberrarunt.) *R. Doſa* (inquit) *quadringenti anni. Nam.* S. E. *Exhilara nos* &c. *Et*, & ſervient illis quadringentos annos (*Gen.* 15: 13.) *Alius Rabbinus: anni trecenti & ſexaginta quinque, pro numero dierum periodi ſolis* Q. D. Nam dies vindictæ in corde meo (*Eſai.* 63: 4) Et poſt quædam interjecta: *Tradit. Abimi fil. R. Aſhu: Dies, quo habiturus eſt Meſſiam Iſrael, ſepties mille anni ſunt.* Q. D. Et gaudium ſponſi ob ſponſam. Gaudebit ob te Deus, (Eſai. 62. 8.) Nuptiarum autem feſtivitas, notante Coccejo, agebatur ſeptem dies. Dies ſunt mille anni.) *Rab. Iehuda refert dixiſſe Samuelem: dies Chriſti totidem quod fluxerunt a conditu mundi hucuſque*: Q. D. velut dies cœli ſuper terram (Deut. 11: 12.) *R. Nachman; quot a Noacho hucuſque.* Q. D. Nam aquarum *inſtar* hoc mihi erit, quod juravi &c. (*Eſai.* 54: 9.) Alii alia ponunt, quorum nonnulla etiam recenſuit Georg. Eliëzer Edzardus ad Tractatum Talmudicum *Avoda Sara* p. m. 244. & *ſeqq.* Sed quis tandem ineptiarum foret finis, ſi cuncta recenſere vellemus! Ex quibus diſputationibus, quas inter ſe habent Judæi, eorum ſatis patet fluctuatio dicam, an inſania cordisve obſcuritas? quomodo elapſis omnibus adventus Meſſiæ temporum ſignis, circa hunc articulum fundamentalem in caligine mentis ſuæ oberrent, cæcorum inſtar parietem palpitent, & ipſo quoque meridie tanquam intempeſta nocte offendant, nihil certi, at immo contradictoria potius ponentes.

Nec non effrenata licentia.

XXXII. At neque hic ſubſiſtunt: acceſſit effrenata eorum licentia. Vident ſanè ad incitas ſe redigi; adeoque eouſque pergunt hodie, ut articulum de Meſſiâ ejuſque adventu, qui priſcis Patribus olim omnis ſpei ac lætitiæ erat fundamen-

mentum ſummum ac primarium, deinceps inter gentem iſtam habitus tanquam articulus Judaicæ fidei fundamentalis, prout eum talem recenſuit Maimonides ipſe; nunc R. Albo contrà aliique contendant eum credere haud neceſſarium eſſe, & nihilominus poſſe aliquem manere verum Judæum. Nimirum R. Moſes, Ben Maimon, Ægyptius natione, & eruditione famaque illuſtris, qui floruit circa annum Chriſti 1200. ad codicis *Sanhedrin* toties jam citati *Cap.* 11. tredecim fidei *Ikkarim*, *fundamenta*, ſive *articulos* recenſet. Horum penultimus, ſive ordine duodecimus ita ſe habet ex verſione Guil. Vorſtii: *Fundamentum duodecimum*, dies Meſſiæ, *quod oporteat credere*, illum certiſſimò venturum, neque moraturum, & ſi cunctatus fuerit, exſpecta eum (*Hab.* 2. 3.) *Non decet autem aliquem ſupputare tempus, aut curioſe eliçere ex verſibus, ut cognoſcatur tempus adventus ejus: quemadmodum dixere Sapp. cel. m. in cap. Chelek:* Illaqueetur animus ſupputantium terminos. *Neceſſe autem eſt commemorare liberationem & amorem Dei, atque efflagitare ab eo juxta id, quod venit per manus uniuſcujuſque Prophetæ, a Moſe Magiſtro noſtro (ſuper quem tranquillitas) uſque ad Malachiam (ſuper quem pax.) Quisquis autem dubium de eo movet, aut vile reddit ejus negotium, is falſitatis arguit legem, quæ teſtatur de eo paraſcha, vel ſectione;* Bileam, & vos ſtabitis hodie. *Comprehendit etiam hoc fundamentum, quod non ſit Rex niſi ex David, & tantùm è ſemine Salomonis. Quiſquis autem contradicit regno hujus familiæ, is negat Deum & verbum Prophetarum ejus.* Apparet quidem Maimonidem hunc de Meſſia articulum inter poſtremos modò poſuiſſe, præmiſſis aliis majoribus, immo de Moſe ipſo §. 7. qui omnibus præferatur Prophetis, adeoque & Meſſiæ ipſi; tamen judicavit ad fidem hunc Judaicam pertinere. Et cur id fecerit Rambam plures dat rationes Iſaac. Abarbanel in Libro de *Capite fidei Cap.* 14. ubi ad dubium; *Quomodo numeret Rab adventum Meſſiæ articulum? cum etiamſi ſit vera fides, non tamen ſit fundamentum, ut cum ejus everſione corruat lex:* ita reſpondet: *Dico Rab viſum fuiſſe adventum Meſſiæ conſtituere articulum propter rationes:* &

tunc has rationes recenſet lectu & attentione digniſſimas. At verò R. Joſeph Albo, Hiſpanus, qui floruit ultra annum Chriſti 1400. diſputat de voce עקר / *fundamento*, vultque iſtud propriè tantùm dicere tale fundamentum, cui Lex innitatur divina, & abſque qua ſtare nequeat. Talia autem fundamenta tria duntaxat ille ſtatuit: 1. מציות השם / *Exiſtentiam Nominis, i. e. Dei.* 2. תורה מן השמים / *Legem de Cœlo.* 3. שכר ועונש / *Mercedem & pœnam.* Proinde reliqua, quæ habet Maimonides, etiam de adventu Meſſiæ, ſciens & volens prætermiſit. Non quidem negat reliqua iſthæc poſſe & debere credi à Judæo, ſed non tanquam *fundamentum*, ſed tanquam ramos ex triplici illa radice pullulantes, adeo ut qui negaverit unum ex tribus hiſce fundamentis, totam ſubverterit legem; qui verò articulum de Meſſia, reſurrectione mortuorum &c. non ſubverterit, quia non tetigit radicem, ſed modò ramum. Et in ſpecie de Meſſiæ adventu tradit *Orat.* 1. *Cap.* 23. eſſe ענף מסתנף מן העקר השלישי וכ"ו / *fidei ramum ex tertia radice progerminantem, quæ eſt merces.* Juxta ipſum itaque adventus Meſſiæ erit merces aliqua temporalis, beneficium quoddam, quo Deus ſit remuneraturus bona opera. Adſcribam quæ habet *loc. cit. Cap.* 4. ביאת המשיח הוא עקר פרטי להורה משה וכ"ו / *Adventus*

Meſſiæ particulare fundamentum eſt legis Moſaicæ juxta ſententiam R. Moſis, Filii Maimonidis: at vero ſecundum noſtram ſententiam non eſt fundamentum: & ſi eſſet, non eſſet tamen fundamentum Legis Moſaicæ: quia etiam Chriſtiani exinde fundamentum faciunt ad ſubvertendam Legem Moſaicam: eſtque ipſis fundamentum particulare, quia ipſorum religio ſine eo non ſubſiſtit. Quæ ultima vera licet ſint cum reſpectu ad Chriſtianos, tamen horrenda ſanè quæ primò loco ponit, ſcilicet Meſſiam, ejuſque adventum non eſſe habendum pro articulo fidei, & ſic ſine eo poſſe ſubſiſtere religionem Judaicam, adeoque quempiam bonum eſſe poſſe & verum Judæum, tametſi in corde ſuo credat nunquam venturum Meſſiam.

fiam. Mira hæc ſunt profectò. Si quis hæc oculis non legeret ſuis, poſſetne ſibi quidem imaginari talia opinionum portenta à Judæorum Magiſtris celebrioribus proferri unquam poſſe contra Meſſiæ adventum, Patrum eorum ſpem unicam & maximam? Faceſſat, & verè dico, ejuſmodi vecordia! Sed ratio non procul eſt petenda, cur ita hæc fingantur. Res eſt in propatulo, nimirum, quod verum Meſſiam, ubi advenit, admittere noluerint, eumque rejecerint. Qua de cauſſa, omnibus temporum ſignis nunc elapſis, tam abſona, tam impia etiam cudere neceſſe habuerunt, & ſibi invicem contraria, jam in anterioribus nobis memorata, & quæ cauſæ eorum deſperatæ ſignum ſunt manifeſtiſſimum. Adſcribam tamen hic, quæ obſervavit Jo. Henr. Hottingerus in *Notis*, ad *Cippos Hebraicos* p. m. 5. *Etſi de adventu Meſſiæ varia jam ſint Judæorum judicia, plerique tamen ejus neceſſitatem inter fundamentalia referunt. Unde quavis data occaſione hi illis excidunt gemitus. Eximius locus eſt in* Neueh Schalom (titulus eſt ex *Eſai.* 32: 18.) כל מי שכופר בביאת המשיח וכ"ן / *Quisquis fuerit inficiatus adventum Meſſiæ, negat Legem eſſe perfectam, quia fundamentum exiſtentiæ ejus dependet ab eventu Meſſiæ; quod ſi non veniret, multa irrita reperientur præcepta.*

XXXIII. Sed hiſce miſſis, nunc ex omnibus præmiſſis & hactenus diſputatis tandem concludamus oportet, nimirum hunc Meſſiam, a Deo Patribus promiſſum, à Prophetis prædictum, in Lege adumbratum, à piis quibuſcunque enixè exſpectatum, adventurum ſuo tempore definito, & non poſt tempus iſtud, verè etiam nunc adveniſſe dudum, neque ullum peccatum Judæorum ejus adventum differre potuiſſe. Quod ipſum apertè ſatis ipſo ſuo facto comprobârunt Judæi, aliquem pſeudo-Meſſiam pro vero deinceps ſæpius recipientes; quod ex hiſtoria de pſeudo-Meſſiis à Joh. à Lent aliisque adornata, ipsâ eſt confirmatum experientiâ. Quales fuerunt 1. *Barchochab*, in Judæa tempore Hadriani Imperatoris. 2. David Almuſſer in Æthiopia. 3. David Elroi in Perſia. 4. Moſes in Creta. 5. Lemlem in Auſtria Ao. 1500. & præterito adhuc ſeculo Ao. 1666. Sabethai Zevi, Smyrnæ, aliique. *Operis concluſio.*

Vid. & R. Lipmanni carmen editum à Wagenſeilio, *Tel. ignit. Satan.* p. 234. Certius contrà, & felicius longè pergit fides noſtra Chriſtiana. Dicimus pariter hunc Meſſiam, qui advenit, eſſe JESUM NAZARENUM, Mariæ Filium, & ſimul Dei, *quem in plenitudine temporis emiſit in mundum, factum ex muliere, factum Legi ſubjectum; ut eos, qui Legi ſubjecti erant liberaret, & nos adoptionem in filios acciperemus*, *Gal.* 4: 4. 5. *De quo Moſes in Lege, & Prophetæ ſcripſerunt, np. filium Joſephi, in urbe Nazaretha, Joan.* 1: 46. & in *quo Deus omnes ſuas promiſſiones fecit* ναὶ καὶ ἀμὴν *ad ſui gloriam*, 2 *Cor.* 1: 21. Sed hoc in ſpecie demonſtrare non hujus loci eſt temporiſve. *Utinam Iſraëlis liberatio veniret ex Sione: reducente* JEHOVA *captivos populi ſui*: tunc *exultabit Jacobus*, & *laetabitur Iſraël:* Amen.

DIS-

DISSERTATIO IX.

Qua

JESU NAZARENI EX FAMILIA DAVIDIS ORTUS

Demonſtratur.

BREVIARIUM.

I. *Copus Diſſertationis.* II. *Methodus.* III. *Uti Meſſias debebat eſſe è Davide, ſic Jeſus revera ex eo fuit.* IV. *Quod probatur triplici documentorum ordine.* V. 1. *Ex confidentia Euangelicæ Hiſtoriæ per quadruplex argumentum.* VI. *Nempe, ex eo quod Euangelium* א. *Simpliciter, at confidentiſſime rem geſtam narret.* VII. ב. *Judæos idem palam agnoſcentes introducat.* VIII. ג. *Locum nativitatis, & ſimul Jeſu genus ex publico Romanorum facto deſignet: in quo mentiti non ſunt Euangeliſtæ; uti oſtenditur* α. *Ratiocinio.* IX. β. *Et teſtimoniis Juſtini, Tertulliani, Chryſoſtomi.* X. ד. *Tabulas genealogicas denique ipſas proferat.* XI. 2. *Ex hoſtium etiam provocatorum pudore ac ſilentio.* XII. 3. *Ex Judæorum ipſorum confeſſione, uti Aben Ezræ, Talmudis, & R. Davidis Ganzii.* XIII. *Objectionibus Judæorum hodiernorum contra genealogias Jeſu in Euangelio allegatas reſpondetur.* A. *In* genere, *nimis ſerò id nunc moveri, quod coævi Apoſtolis Judæi debebant moviſſe, ſed auſi non fuerunt, uti neque adulterare genealogias potuerunt.* XIV. *Etſi cæteroquin ad id maligni ſatis.* XV. *Sed genealogiam Davidicæ familiæ, aut Jeſu, non habebant in ſua poteſta-*

te.

te. Quod demonſtratur ex moribus cenſus Romani XVI. *B. In* Specie, *quod ad conciliationem genealogiæ Matthæi & Lucæ.* XVII. *C.* Specialiſſime, *reſpectu generis Mariæ, de quo videatur tacere Euangelium, aut etiam illud Leviticum facere per cognationem Mariæ cum Eliſabeta.* XVIII. *Quorum prius ita diluitur a nonnullis, ut poſterius inſolubile faciant, dicendo ex mariti genealogia ſtatim cognoſci eandem uxoris.* XIX. *At ſolidius ſolvitur poſterius, & ſimul via ſternitur ad ſolutionem prioris, eamque duplicem, aut ſcilicet concedendo hypotheſin objectionis, Mariæ np. genealogiam omiſſam eſſe, aut negando eam.* XX. *Solutio prior duplex per confeſſionem hypotheſeos.* XXI. *At neutra ſatis ſolidè, maximè quia forſan Maria ne quidem fuerit virgo* ἐπίκληρος, *nec deſcriptio hæc bonarum, ſed tantùm perſonarum.* XXII. *Quod verbis Clar. Perizonii confirmatur.* XXIII. *Solutio poſterior & ſolidior per negationem hypotheſeos, de Mariæ genealogia prorſus omiſſa. Nam Lucas eam exhibet, oſtendens Mariam è Davide deſcendere per Nathanem Salomonis fratrem.* XXIV. *Objectioni duplici, Jeſum non in* Nathane, *ſed* Salomone *promitti, &* SALOMONEM *ideo dici, ſolidè reſpondetur.* XXV. *Quæſtioni, cur tamen Matthæus genealogiam Joſephi, omiſſâ ea Mariæ, exhibeat, reſpondetur è Tillio.* XXVI. *Confirmatur tandem Mariæ & Jeſu è Davide origo notabili teſtimonio hiſtorico Euſebii ab Altingio etiam adducto.*

I.

Scopus Diſſertat. hujus.

QUandoquidem in omnibus Diſſertationibus meis id unicè hactenus egerim, ut demonſtrarem CHRISTUM UNICUM ESSE AC PERPETUUM ECCLESIÆ FUNDAMENTUM, atque dogma hoc grande jam proſecutus fuerim per omnia illa ſecula, quæ fluxerunt inde à Paradiſo, cùm in Eccleſia PATRIARCHARUM, ſub œconomia meræ *Promiſſionis*; tum in ea MOSIS ac PROPHETARUM œconomia *Legis* additæ, & *Promiſſioni* ſuperſtructæ, primò ante erectionem Tabernaculi, deinceps eô erectô; ſtan-

ſtante etiam Templo cùm primo, tum ſecundo; cùmque & in implemento explicationi oraculorum a me ſubjecto non modò paſſim docuerim JESUM NAZARENUM eſſe promiſſum illum MESSIAM, ſed & in ſpecie *Diſſert.* V. hujus voluminis ad *Jer.* 23: 5, 6. ubi Meſſias promiſſus erat ceu GERMEN DAVIDIS, obiter §. X. XLIX. & LXVI. oſtenderim JESUM NAZARENUM EX FAMILIA DAVIDIS ORTUM ESSE, lubet nunc, quia veritas hæc maximè, ad omnia antè demonſtrata extra dubitationis periculum conſtituenda, momenti eſt, aliquanto preſſius incepto inſiſtere, quodque ſummi Viri & eruditè & operosè præſtiterunt in ſummam duntaxat contrahere, quantum nunc ſufficiet inſtituto noſtro. Miſſis igitur nunc aliorum interpretationibus, unà cum primis variantium in re haud adeo perplexa Doctorum ſententiis, ſtatim ad rem ipſam me accingam.

II. Quod ut agam primùm ſimpliciter oſtendam I. Jeſum ex Davidis ſemine ſuam trahere originem. §. III-XII. II. Deinde uni alterive difficultati ſatisfacere conabor. §. XIII.-XXVI. *Methodus.*

III. Ratione prioris prænotandum, quod etiam S. Scriptura gradatim docuit, ut inter Noachi filios naſceretur è Semo *Gen.* 9: 26. inter Semi poſteros ex Abrahamo *Gen.* 12: 3. per Iſaäcum *Gen.* 17: 16, 19. 21. & ex Iſaäco per Jacobum *Gen.* 27: 29. & 28: 14. ſic inter Jacobitas ex tribu Judæ *Gen.* 49: 10. & inter omnes hujus familias ex una illa regia Davidis: quod arcanum primus aperuit Nathan Propheta 2 *Sam.* 7: 12. & *ſeqq.* & id repetiit *Micha Cap.* 5: 1. atque uno porro ore cecinerunt Eſaias *Cap.* 11: 1. Jeremias *Cap.* 23: 5. Ezechiel *Cap.* 17: 22 coll. 34: 23, 24. & noviſſimè poſt captivitatem jam Babylonicam Zacharias *Cap.* 12: 8. Fuit itaque hæc ſemper omnium Judæorum communis fides ab antiquiſſimis temporibus, perduratque conſtanter in hodiernum diem, quam R. Abarbanel ad *Jer.* 23. ita effert *Uti Meſſias debebat eſſe è Davide, ſic Jeſus revera ex eo fuit.*

והיה זה לפי שיעקב אבינו/*Erit hoc, quia Jacob Pater noſter regnum & dominium in populos attribuit tribui Judæ, dum dicit* (*Gen.* 49: 10.) *Non recedet ſceptrum a domo Judæ. Ex omnibus autem familiis*

domus Jehudæ elegit (Deus) Davidem, cui promiſit, ſolium ejus fore æternum: propterea ſequitur ſalvatorem oriundum ex ſemine David, non ex ſemine alio. Nec Chriſtianorum omnium ubique alia unquam fuit fides. In eo uno hic verſatur inter utroſque quæſtio, utrum in *Jeſum*, cognomento *Nazarenum*, nativitate *filium Mariæ*, hoc requiſitum quadret, adeoque& hac parte nil obſtet, quin is verus ille ſit atque promiſſus Meſſias? Atque Chriſtiani quidem cenſent non Euangelii tantùm hiſtoriam, ſed & alia documenta multa, ex ipſis etiam hoſtibus petita, fundamentalem hanc veritatem certo certius confirmare.

Quod probatur triplici documentorum ordine.

IV. Illa autem documenta in hanc aciem diſpones aptiſſimè. 1. Præmittas hiſtoriæ Euangelicæ auctoritatem. §. V--X. 2. Submittas hoſtium quoque provocatorum ſilentium. §. XI. 3. Poſtponas denique ipſam Judæorum confeſſionem. §. XII.

א. Ex confidentia Euangelicæ Hiſtoriæ per quadruplex argumentum.

V. Euangelica quidem hiſtoria, præterquam quod א. Rem confidentiſſimè narret. ב. Triplex inſuper nobis argumentum ſuppeditat: dum nempe a. Judæos ipſos palam id agnoſcentes introducit. b. Locum nativitatis ac genus Jeſu publica ex deſcriptione Romana repetit. c. Ipſas tabulas genealogicas exhibet.

Nempe, ex eo quod Euangelium א. Simpliciter, ac confidentiſſime rem geſtam narret.

VI. Narrat nempe Euangelium ſimpliciter, abſque ulla fraudis dolive ſpecie *Luc.* 1: 32. miſſum fuiſſe Angelum Gabrielem ad Mariam, dixiſſeque de filio ex hac naſcituro, quod *daturus ſit ei Deus thronum patris ipſius Davidis.* Narrat eadem apud Matthæum *Cap.* 1: 20-23. qui tamen ſuum opus ipſis Judæis deſtinaſſe quibuſdam traditur, Joſepho dixiſſe Angelum, in *nativitate Jeſu ex Maria* ſua *adimpletum iri id*, quod prædictum erat ab Eſaia *Cap.* 7: 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen Immanuël, id eſt, Deus nobiſcum.* Et quidem, quod omnino hic notandum, in ſignum *non exſciſſionis domus Davidicæ*, quam tentabat Iſraëlita cum Syro, quamque metuebat Achaz Rex. Supponebat ergo Propheta *parituram illam virginem*, & *filium ejus Immanuëlem*, ſive Meſſiam, fore de *ſtirpe Davidis*, utpote vel ob hoc ipſum poſt-

poſt ſecula demum exſpectandum (ante captivitatem quippe Babylonicam, quæ nondum acciderat, non exſpectandus erat Meſſias juxta oracula vetera, ex gr. *Deut.* 30: 3. coll. *vers.* 6.) ante *virginis partum* jam nequaquam exſcindendâ. Supponit ergo etiam Euangelium, hoc oraculum ad Jeſum & Mariam applicans, utrumque fuiſſe *de domo Davidis regia*. Sed porro etiam eadem hæc Hiſtoria Euangelica narrat Zachariam ſacerdotem *Spiritu S. plenum* in nativitate Joannis ſui *prodromi Domini Luc.* 1: 16, 17, 18, 76. noviſſe *cornu ſalutis erectum* IN DOMO DAVIDIS, *quemadmodum locutus fuerat Deus per os ſanctorum Prophetarum ab ævo*, *Luc.* 1:68-70. Quod elogium cùm ſic palam ille ſacerdos referat ad *Dominum*, pro *cujus matre* uxor ipſius Eliſabeta agnoverat gravidam ſuam *cognatam Mariam Luc.* 1:43. & *coram cujus facie præiret Joannes*, uti ipſe poſt adjecerat *Luc.* 1:76. Joannes verò hic pro *Domino illo ſuo* Jeſum Mariæ filium palam prædicavit *Matth.* 3: 11, 12. ſequitur & hic ſupponere Euangelium *Jeſum* noſtrum eſſe *Davidis* veram progeniem. Plura non congero. Satis ex his patet Euangelium hypotheſi certiſſima atque indubitata aſſumſiſſe hanc *Jeſu ex Davide originem*. Unde & Paulus audacter adeo ſcripſit πρόδηλον, *manifeſtum* eſſe, non modò *Jeſum eſſe ortum è Juda Hebr.* 7: 14. ſed & Jeſum eſſe *de ſemine Davidis:* idque non ad Timotheum tantùm, 1 *Epiſt.* 2. 8. ſed & publicè ad omnes *Rom.* 1:3. Quod qua fronte auſi fuiſſent Euangeliſtæ, auſus etiam fuiſſet Paulus tempore illo, quo falſitas hujus prætextus publicè oſtendi facillime poterat, non facile, qui ipſos pro ſanæ mentis hominibus habuerit, dicere quiſpiam poterit.

2. *Judæi idem palam agnoſcentes introducit.*

VIII. Sed & inſuper Matthæus ille, in eodem illo ſuo Judæis etiam deſtinato Euangelio, Judæos ipſos, Judæis audientibus, idem publicè clamantes interduxit: quales erant cæci illi *Matth.* 9: 27. Capernäumi forſan ex collatione *Marc.* 2:13. Syrophœniſſa apud Tyrum *Matth.* 15: 22. ortu Canaänæa, religione ſine dubio Judaica proſelyta. Cæci alii apud Hierichuntem *Matth.* 20: 30. Tota denique turba apud Hie-

roſolymam audientibus Phariſæis, *Matth.* 21: 9. & tamen nihil hac in parte reprehendentibus aut opponentibus. Niſi hæ voces ita palam auditæ fuiſſent, nonne tutius Euangeliſtæ narrationem illam omiſiſſent, quæ mendacii ſtatim convicta fuiſſet in animo atque in ore omnium hominum, qui in allegatis ibi caſibus præſentes fuerant? Si autem ea narratio vera ſit, quomodo negari poterat rem ipſam, Jeſum ſcilicet eſſe de ſemine Davidis, tunc notam fuiſſe omni populo? immo ſic notam, ut ne Phariſæis quidem in mentem venerit de ea dubitare? Nam neque eum *filium Davidis* proclamantibus vel oblocuti ſunt, neque eos pœna affecerunt ulla, quod æquè ac in confeſſione illa *Jeſum eſſe Chriſtum*, *Joan.* 9: 22. etiam in hac confeſſione, ſine qua prior id ſtare non poterat, *eum* ſcilicet *Davidis eſſe filium*, feciſſent procul dubio, ſi mentitos proclamatores illos conſtare potuiſſet. Immo ne tunc quidem ipſi Magiſtri oblocuti ſunt palam, quando ad id occaſionem habebant commodiſſimam, nempe in ipſo Templo (*Matth.* 22: 42-45.) audientibus turbis rogat Jeſus Phariſæos coactos: *Quid vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt? Reſpondent, Davidis filius.* Cur hic illi vulpes adeo ſtupent? cur tacent? cur nihil reponunt Domino per hanc quæſtionem eos tentanti? cur non addunt ſaltem, *at tu non es Davidis filius, & ideo tu non es Meſſias?* Certè inter accuſationis capita id retuliſſent contra Jeſum, nequaquam id omiſſuri Phariſæi, ſiquidem ulla ſpecie hanc progeniem ejus controverſam facere potuiſſent, cum illi adeo anxii cauſam adverſus eum invenirent, & falſos teſtes, & frivolas accuſationes, & tumultuantes denique voces adhibere non dubitarent: Et quò promtius potuiſſent probare Jeſum affectare regnum, quam ſi oſtendiſſent eum a turba falsò recipere titulum *filii Davidis?*

2. Locum nativitatis, & ſimul Jeſu genus ex publico Romanorum facto deſi-

VIII. Nec voces duntaxat hominum, verùm & ipſa facta toti orbi cognita Euangelium affert. Deſcriptionem ſcilicet illam Auguſtæam, quam ſubiit Maria mater Jeſu Bethlehemi, unde familia Regis Davidis erat oriunda, *propterea quod*, cùm cuique ex Imperatoris edicto eundum eſſet

eſſet in *propriam ſuam urbem*, Maria æquè ac Joſephus, *ex domo & familia Davidis erat*, *Luc.* 2: 5, 6. Quid hic falſi ſuſpectum dicet ipſa incredulitas? An *orbis deſcriptionem* talem imperante Auguſto factam eſſe? Lucas ergo, qui tempore Neronis mendacium tam impudens obtrudebat orbi, inſanire debuit. An negabitur diſperſam Davidis familiam undique congregatam tunc fuiſſe Bethlehemi? interque eos Mariam tunc ſuum peperiſſe filium, quem paſtores vicini mox ſalutaverint, & Hieroſolymis apud ipſum Herodem Regem congregantem hanc ob cauſam totum Synedrium, quæſiverint, Bethlehemi autem adoraverint Magi peregrini *Matth.* 2: 1. cum quo mox Maria & ſimul Joſephus, in congregatæ iſthic familiæ Davidicæ medio evanuerint, neſcientis quid ipſis eveniſſet, & credentis forſan eos occiſos eſſe *Matth.* 2: 13-18. Cum quo tamen non dudum poſt Maria illa, æquè ac Joſephus, vivi iterum apparuerint in Galilæa Nazarethæ, iſthic inter ſuos viventes *conſanguineos & cognatos*, Davide pariter ortos (Vid. modò *Matth.* 13: 55, 56) & viventes quidem ibi Maria cum Jeſu adhuc, cùm Pilatus eſſet in Judæa Procurator Cæſaris, id eſt, annos non adeo multos antequam Lucas ederet ſuum Euangelium? At verò, ſi quicquam horum non fuiſſet prorſus certum, Lucas videri potuiſſet non tantùm a Synedrio, cujus Senatores etiam maximè grandævi negaſſent ſuâ, aut prædeceſſorum ſuorum memoriâ, ullam congregationem ab Herode ob talem Magorum adventum factam fuiſſe; ſed & ab ipſis *familiæ Davidicæ* reliquiis, quæ Domitiani Imp. ætate adhuc ſupererant, uti in fine hujus Diſſertationis dicam, quæ etiam, cùm haud omnes in Jeſum etiam vivum crediderint, ſed ſatis acriter in eum evectæ ſint *Joan.* 7: 1 — 10. non parcituræ erant alicui Lucæ mendaci, quæque facilè Neronis tempore, ſub quo ſcripſit Lucas, ſcire poterant, an ſuorum hominum quiſpiam meminiſſet, aut ipſe, aut a parentibus ſaltem ſuis audiviſſet, tempore Auguſti, non diu ante Herodis mortem, id eſt, ante annos circiter ſexaginta, tam moleſtam familiæ totius congregationem Bethlehemi actam fuiſſe, ibique tunc Ma-

quet: in qua mentiti non ſunt Euangeliſtæ; uti oſtenditur a Ratiocinio.

riam, matrem celeberrimi illius haud ita pridem crucifixi Jesu Nazareni, peperisse, à Pastoribus mox & Magis quæsitam &c. Lucas ergo vera scripsit & publica, & mater Jesu, ac Jesus ipse, verè publicè suum è Davide sanguinem duxerunt.

β. Et testimoniis Justini, Tertulliani, Chrysostomi.

IX. Neque ratiocinio solo hic nitimur: & testimonia adsunt. Christiani enim Patres provocarunt ad tabulas Judæorum genealogicas, etiam Romæ a tempore descriptionis Augustææ atque deinceps notas & conservatas. Ita quippe Tertullianus de Jesu agens, qui in Synagogis prædicavit a Judæis admissus, in hunc modum scribit *contra Marcionem Lib.* 4. *Cap.* 7. p. m. 507. Edit. Rigaltii: *Et tamen, quomodo in Synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus? cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de censu denique Augusti? quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archiva custodiunt.* Conf. & *Lib.* 3. *Cap.* 20. p. m. 495. ubi loquitur *de Christo ex Davide deputato ob Mariæ virginis censum.* Addam in re maximi momenti verba illustr. Grotii, etsi prolixiora, ad *Luc.* 2: 2. *Sentium Saturninum*, ait ille, *hoc tempore Syriæ fuisse Præsidem, ex Tertulliano certum est: cujus verba sunt:* Sed & census constat actos sub Augusto nunc in Judæam per Sentium Saturninum. *Non potuit autem falli eâ in re Tertullianus, cùm solerent census in tabulas referri, eæque tabulæ primùm publicè proponi, deinde servari in archivis ubi inspectandi erat copia. Itaque Justinus ad ipsas tabulas provocat,* Μαθεῖν δύνασθε, *inquit,* ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου (Discere potestis ex tabulis professionis factis tempore Cyrenii.) *Ubi* ἀπογραφὰς *vocat* Tabulas censuales, *quomodo in Codice appellantur. Sic & Dio de Caligula:* Ἤτησε τὰς τῶν Γαλατῶν ἀπογραφὰς (Popolscit Gallorum Tabulas censuales.) *Ipse Tertullianus Tabularum hujus census sæpe meminit. Nam dicto loco adjicit*, apud quos genus ejus inquirere potuissent. *Alibi:* De censu denique Augusti, quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archiva custodiunt. *Rursum alibi:* ut nemo facile ignorare de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis cen-

censibus tunc adhuc fortè pendentibus. *Ubi illud* pendentibus *ad morem Romanorum refer acta publicè proponendi, quando* leges pendere fixas clavis ferreis *dixit Plautus. Alio iterum loco:* Sicut apud Romanos in censu descripta est Maria, ex qua nascitur Christus. *Nec mirum est exstitisse has Tabulas Tertulliani ævo, cùm suo etiam exstitisse testetur Chrysostomus. Verba ejus sunt,* Ὅθεν δῆλον, ὅτι καὶ τὴν πρωτην ἀπογραφὴν ἐτέχθη καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίοις κειμένας κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ρώμης ἔξεσιν ἐντυχόντα, καὶ τὸν καιρὸν τῆς γραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸ βουλόμενον. Unde apparet natum (Jesum) in prima descriptione. Et qui consulere volet tabulas Romæ in archivis positas exactè eam rem poterit cognoscere.

X. Quin immo ipsas tabulas genealogicas Euangelium promsit: non illud Lucæ tantùm *Cap.* 3. sed & illud Matthæi *Cap.* 1. ipsis in primis Judæis etiam destinatum. Hic namque ausus fuit a tali incipere titulo, in fronte libri sui collocato, & mox in omnium lectorum oculos incursuro, ΒΙΒΛΟΣ ΓΕΝΕΣΕΩΣ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ ΥΙΟΥ ΔΑΒΙΔ. Mentis profectò impos, si Judæos ipsos, vel viventibus Judæis, stante Templo ac Republica, superstitibus genealogiis, ullum hominem convincere voluisset scripto, cui a mendacio exordium.

1. Tabulas genealogicas denique ipsas professus.

XI. Quid jam contra hæc omnia hostes Jesu infensissimi? etiam provocati? Nihil prorsus, nihil. Provocati scilicet fuerunt *ipso facto* ab amicis & cultoribus Jesu, hoc titulo, uti suprà ostensum est §. V. *& seqq.* inclamato cum publicè honorantibus ac commendantibus pro Messia. Provocati fuerunt *scripto* ab Euangelistis atque Paulo, hoc epitheton pariter publicè ei tribuentibus, uti & suprà ostensum. Vid. *loc. cit.* Provocati denuo fuerunt *verbis* ab ipso Jesu *Joan.* 8: 46. *Quis vestrùm me convincit peccati?* aut *cur me lapidatis? Joan.* 10: 32. Responsio in promtu fuisset, uti hæc, *quia homo cùm sis te Deum facis, Joan.* 10: 33. ita illa, *quia vulgaris Judæus cùm sis te facis filium Davidis*; atque id eo tu facis scopo, ut Messias, cujus is ferme proprius titulus est apud Prophetas, esse videaris. At nihil tale referunt isti, negant

2. Ex hostium etiam provocatorum pudore ac silentio.

negant duntaxat *Meſſiam* eum eſſe, non negant *Davidis filium* eſſe, qualem ſi non eſſe potuiſſent dicere, non viciſſent modò eum *non eſſe Meſſiam*, ſed etiam ne quidem *eſſe poſſe*.

3. Et Judæorum ipſorum confeſſione, uti Aben Ezræ, Talmudis, & R. Davidis Ganzii.

XII. Longè verò abeſt hoc ut tentârint. E contrario largiti ſunt quod negare non poterant, & palam faſſi & Recentiores, & Antiquiores, ſive tacito conſenſu, ſive diſertiſſimis etiam verbis. Taciti conſenſus documentum inſigne eſt quod ipſe R. Aben Ezra jactet ad *Zach.* 12: 7. ſe vivente adhuc librum genealogicum familiæ Davidicæ exſtitiſſe in urbe Bagdad. Hunc enim librum, ſi genuinus eſſet, aliquidque contineret, unde probare poſſet Jeſum ex Davide non eſſe ortum, jam dudum publici juris feciſſent Judæi. Vid. Jac. Guſſetius de *Veritate Euangelica* contra librum *Chiſſouk Emouna* R. Iſaäci *Part.* 1. *L.* 1. *Cap.* 1. Diſertiſſimis verbis autem huic veritati teſtimonium perhibent in ipſo ſuo *Talmude*, illum nempe *Jeſum*, *quem ſuſpenderunt Paraſcheve Paſchatis*, *fuiſſe* קרוב המלכות / *propinquum regni:* & uti Galatinus ex *Cod. Sanhedrin Cap.* 6. addit, *Davidici ſcilicet.* At licet id non addatur, quod in Venetâ editione exſtitiſſe proditur (Vid. de hiſce Coccejus in notis ad *Sanhedr. Cap.* 11. §. XXXVI. *pag. m.* 366. in Quarto) hæc tamen phraſis, *propinquus regni*, indubiè ſignificat *ortum ex regia Davidis familia.* Quamvis ſimul addant maleficum eum fuiſſe magumque, ac propterea morti damnatum. Locus exſtat in *Gemara Sanhedrin Cap.* 6. & totus citatur à Cel. Coccejo ad *Ultima Moſis* §. 1737. Quod teſtimonium, Jeſum illum fuiſſe *propinquum regni*, non in alium quendam *Nazarenum* quoque dictum, ſed in Jeſum noſtrum quadrare, ex ipſo R. Aben Ezra probat Jac. Guſſetius *loc. cit.* Uti & alii Helenam Reginam cognatam Jeſu aſſerunt. Ex qua Jeſu adſcripta *cognatione Reginæ*, ut ut a familia ejus ſat remotæ, hoc ſaltem conſtat ipſis etiam Hebræis eſſe manifeſtum, ipſum ex familia regia ortum fuiſſe, id eſt, ex Davidica, nam non alia apud Judæos *regia* erat. Conferantur etiam quæ diximus in *Diſſert.* ad *Jerem.* 23: 5, 6. §. LXVI. Porro ipſe R. Da-

David Ganz in ſua *Chronologia* p. m. 177. diſertè ſcribit: *Jeſus Nazarenus natus eſt Bethlehemi in Judæa 1½ milliari ab Hieroſolyma, anno 376 a creatione, ſeu 42 Cæſaris Auguſti.* Si *Nazarenus* fuit, quomodo, quave occaſione *Bethlehemi* natus fuit? Vides, Lector, ſupponi hic veritatem profectionis Mariæ ex Galilæa in Judæam, Nazarethâ Bethlehemum. Itaque ſimul ſupponi hujus cauſam veram edictum Auguſti, unde, ut oſtendi ſuprà, veritas ſequitur originis Jeſu è ſtirpe Davidica.

Objectionibus Judæorum hodiernorum contra genealogias Jeſu in Euangelio allegatas reſpondetur.

XIII. At verò quàm convincentia etiam hæc ſint argumenta, quibus in quæſtione majora exigi nec poſſunt, nec debent, ſua tamen hodie hic effugia habet gens pervicax, multas nectens difficultates, præcipuè contra genealogias in Euangelio recenſitas. Sed id nunc nimis profectò ſerò. Talia illi tentare debuiſſent ante Templi devaſtationem, quum ad manum adhuc erant tabulæ genealogicæ, illæque in primis familiæ Davidicæ, quæ maxima olim cum cura à Synedrio Judæorum aſſervari ſolebant, uti & harum tabularum Davidicarum pretium atque neceſſitas ſatis poſtulabat, utpote ex quibus tempore præſtituto agnoſci atque dignoſci deberet Meſſias venturus, nec non ex earum collatione omnis lis circa hanc rem dirimi. Si ergo Maria non eſſet ex Davidica ſtirpe orta, & ſic Jeſu genealogiæ a Matthæo & Luca allegatæ fuiſſent ſpuriæ, id in promtu tunc erat palam oſtendere: atque hoc unum ſuffeciſſet, quô & Jeſus, & Euangelii ipſius doctrina falſitatis argueretur. Quod cùm non fecerint Judæi, & Jeſus contrà publicè tanquam *Davidis filius* fuerit agnitus, nemine contradicente, eo ipſo genealogiæ Euangelicæ ſic ſatis pateſcunt juxta rei veritatem eſſe conſignatæ, & proinde ſine dubio ex notis tunc Judæorum publicis genealogiis deſcriptæ.

A. In Genere, nimis ſero id nunc moveri, quod coævi Apoſtolis Judæi debebant moviſſe, ſed auſi non fuerunt, uti neque adulterare genealogias potuerunt.

Niſi cæterequin ad id maligni ſatis.

XIV. Neque enim hic excipi poteſt tunc temporis Judæos minus, quàm eorum poſteros hodiernos, habuiſſe vel facultatis de genealogiis iſtis judicandi; nam circa genealogiarum ſtudium tempore Jeſu, aut certè Apoſtolorum, ferme inſaniebant, inque eo adeo toti erant, ut Apoſtolus ne-

ceſſe habuerit eam peſtem ab Eccleſia Chriſtiana ceu fermentum Judaicum arcendi: conf. 1 *Tim.* 1: 4. *Tit.* 3: 9. vel voluntatis Jeſum ex eis redarguendi: nam quanto odio Jeſu flagrârunt, res ipſa docuit. Reſtat ergo ut dicamus defuiſſe eis poteſtatem in re adeo manifeſta, & publicè agnita in tabulis genealogicis iſtius temporis. Neque enim, ſi vel maximè voluiſſent, genealogiis falſariam manum admovere poterant, cùm ilico ſceleris convincerentur: utpote cùm non amplius in ſolorum eæ Judæorum, ſed & Romanorum quoque tunc fuerint poteſtate. Et hæc mihi vera videtur fuiſſe cauſa, cur Judæi, utique maligni ſatis ad gloriam Jeſu omni ſcelere opprimendam, uti id per mendacia, calumnias, falſos teſtes, per corruptos pecuniâ cuſtodes *Matth.* 28. & miſſos per totum orbem falſos nuntios, præmonituros ubique Synagogas contra prædicationem reſuſcitati Jeſu, uti narrat Juſtinus Martyr in *Dialog. in Tryphone*, & ſerioribus adhuc temporibus per Doctores malè locos propheticos, ne de Meſſia illi agere viderentur, enervantes, nec non per eraſa loca quædam è Talmude, aut aliis ſcriptis antiquis, ne illa Chriſtianis favere videantur, quemadmodum harum fraudum ſpecimina dedi in meo Libro de *Melchizedeco Cap.* VI. §. XXXV-XXXIX. non tamen auſi fuerint in antiquiſſimis ſcriptis ſuis falſam genealogiam Jeſu exhibere, ſcilicet ne falſi ilico arguerentur.

Sed genealogiam Davidici familiæ, aut Jeſu, non habebant in ſua poteſtate. Quod demonſtratur ex moribus cenſus Romani.

XV. Etenim, ut quod de poteſtate Romanorum reſpectu Judæarum genealogiarum modò dixi, magis conſtet, cogitet Lector non adeo in genere, quod Judæâ in provinciam redactâ ſuprema in omnia, & ſic etiam in archiva Judæorum poteſtas fuerit penes Præſides Romanos. Reponi enim hic poſſet Judæis relictam fuiſſe jus αὐτονομίας, ſeu juxta proprias vivendi leges, religioſas præſertim, ad quas genealogiarum cura pertinebat vel maximè: & inſuper Romanis inſciis, nec ad tam minuta attendentibus, facilè genealogiam aliquam corrumpi à Judæis potuiſſe. Id verò cogitet Lector, quod in ſpecie ad genealogiam Davidicorum poſterorum, & ipſius quoque Jeſu pertinet, deſcriptionem, ſive

ſive cenſum illum, ſive jam *hominum*, ſive etiam *facultatum* fuerit (quæ lis ad nos impræſens nihil pertinet) in nativitate Jeſu *Luc.* 2: 1. à Romano certè Magiſtratu fuiſſe actum; Romanorum autem more *tabulas cenſus* ſolitas fuiſſe confici & aſſervari accuratè. Idem etiam Grotius ad *Luc.* 2: 1. notavit his verbis: *Nam ea vis cenſus, Floro* (vid. *Lib.* 1. *Cap.* 6.) *docente, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referantur.* Quibus addo illa Sculteti ad *Luc.* 2: 3. *Etiam horum, qui cenſebantur, ætas adſcribebatur, adeo ut ex cenſualibus tabulis ætatum nonnunquam probationes peterentur. Plinius certè Lib.* 7: *ex cenſu longiſſima quorundam vitæ ſpatia exſcripta profert.* Verba ipſa Plinii, quæ innuit, hæc eſſe crediderim, quæ reperio *Natural. Hiſt. L.* 7. *Cap.* 48. quod agit *De ſpatiis vitæ longiſſimis*, ubi in fine ejus ſcribit: *In Tmolli montis cacumine, quod vocant Tempſin, CL. annis vivere, Mutianus auctor eſt. Totidem annos cenſum Claudii Cæſaris cenſura T. Fullonium Bononienſem: idque collatis cenſibus, quas antè detulerat, vitæque argumentis (etenim id curæ principi erat) verum apparuit.* Ex his patet quod bene ſcripſerit Grotius ad *Luc.* 2: 5. *Admiranda autem in hoc negotio eſt Dei providentia, qui & natalem locum, & genus Filii ſui multis vaticiniis prædictum, voluit teſtatum eſſe publicis tabulis. Nam & infantum capita cenſebantur: & Jeſu nomen adſcriptum tabulis affirmant Juſtinus, Tertullianus, Chryſoſtomus. Ulpianus in Digeſta relatus* L. 111. *De Cenſibus: Ætatem in cenſendo ſignificare neceſſe eſt: quia quibuſdam ætas tribuit ne tributo onerentur: veluti in Syriis à quatuordecim annis maſculi, à duodecim fæminæ ad ſexageſimum quintum annum tributo capitis obligantur. Ætas autem ſpectatur cenſendi tempore.* Ubi quidem de *capitatione*, ſive tributo capitatim pendendo, ut videtur, Ulpianus ſatis clarè loquitur, qualem tamen Grotius ad *Luc.* 2: 1. negaverat *hoc cenſu Luc.* 2: 1. memorato, *à Romanis indictam fuiſſe Judæis.* Attamen ex ſpecie hac *cenſus* totum genus rectè cognoſcitur. Nempe, *cenſus* etiam eò faciebant, ſcribente eodem Grotio ad *Luc.* 2: 1.

Ut notum eſſet quid regna quæque & provinciæ hominum copiâ, quid pecuniis valerent. Quod probat ex iſta lege apud Ciceronem, de *Legibus Lib.* 3. *Cenſores populi ævitates, ſuboles* (ſive quot liberos quiſque haberet) *familias pecuniaſque cenſento.* In omnibus his ſpeciebus pariter *annotationis*, ſive *ſcripturæ* & *tabulæ* conficiebantur, & ſervabantur. Sed de hiſce patebit magis poſtea ex verbis Clar. Jac. Perizonii noſtri §. XXII. adducendis. Quod autem Grotius hic interponit de Juſtino, Tertulliano & Chryſoſtomo ſupra §. VIII. jam adduximus.

B. In Specie, quod ad conciliationem genealogiæ Matthæi & Lucæ.

XVI. Quæritur autem porro, quo pacto genealogiæ Matthæi ac Lucæ ſint conciliandæ? Profectò ſi aliquot hic occurrerent difficultates, majores ac plures occurrunt etiam in genealogiis multis Veteris Teſt. facile tamen tollendæ, ſi tabulæ genealogieæ priſcæ non forent deperditæ. Sed hoc eſt quod ipſi confitentur ac queruntur Judæi. Ita enim ajunt Talmude *Babyl. Peſach pag.* 62. *col.* 2. *infima. A quo tempore oblivioni traditus eſt* ספר יוחזין / *liber genealogiarum, Sapientum oculi caligarunt.* Cùm autem illi ſic ad dubia, quæ moventur contra genealogias Vet. Teſt. reſpondeant, quare & nos idem ipſis non reponamus cum relatione ad qualemcunque diſſenſum, qui inter duos illos Euangeliſtas exſtare videtur?

C. Specialiſſime, reſpectu generis Mariæ, de quo videatur tacere Euangelium, aut etiam illud Leviticum facere per cognationem Mariæ cum Eliſabeta.

XVII. Maxima autem difficultas verſatur in eo 1. Quod genealogiæ à Matthæo & Luca conſignatæ, genus quidem tradant Joſephi tanquam ex Davide orti, non verò Mariæ, de cujus genere altiſſimum ſit ſilentium, cùm tamen Jeſus non ex Joſepho, ſed virtute Spiritus S. ex Maria ſuam ducat originem. Id pluribus contendit Abarbanel. Cui difficultati accedit II. Quod vel ipſo Luca docente *Cap.* 1. 36. Maria non fuerit ex Davidis familia, ad tribum pertinente Judæ, ſed veroſimilius ex Levitica, eò quod Eliſabeta, Joannis Baptiſtæ mater, & Zachariæ Sacerdotis uxor, ejus exſtiterit *cognata*: ſacerdotes verò ad tribum pertinuerint Leviticam. Id maximè etiam urſerunt, uti olim Porphyrius ac Manichæi; ſic & hodiè Judæi recentiores.

XVIII.

XVIII. Ad horum prius ſic vulgò reſponderi ſolet, ſolitos matrimonia contrahere Hebræos in propria, ex qua ortum ducebant, tribu atque familia: conſequenter, ſi Joſephus pertineat ad familiam Davidis, idem ſimul de Maria deſponſata ejus uxore conſtaret. Verùm non ſatisfacit hæc ſolutio. Primùm, quia quantum priorem objectionis partem diluit, tantundem poſteriorem confirmat. Hæc enim poſitio, ſi ſemper vera fuiſſet, videretur tunc certè Maria ex tribu fuiſſe Levi, cùm ſanguinis propinquitate juncta eſſet cum Eliſabeta Sacerdoti ex tribu Levitica nupta, in qua utique tribu hic mos ſervatus fuiſſe videretur. Deinde etiam, quia falſa ea eſt opinio, quæ dictat marem & fœminam in Iſraële ex unâ debuiſſe eſſe eâdemque tribu. Nullibi ſaltem talis lata eſt lex à Deo per Moſem, quod ſciam. Certè non licebat Judæis matrimonia contrahere cum uxore peregrina. Peregrina verò eſt, quæ non pertinebat ad populum Judaicum, non verò ea quæ ex alia, quàm maritus, Iſraëlis tribu eſſet orta. Conſtat id ex facto omnium tribuum Iſraëliticarum, jurantium ſe non daturas filias ſuas reſiduis Benjaminitarum *Judic.* 21. Qua jurisjurandi ſolennitate profectò opus non erat, ſi Lege divina obſtricti fuiſſent nullas uxores ducere niſi ex ſua quique tribu. Conſtat itidem de Davide, qui conſentiente Rege & omni populo, ex Juda ortus licet, filiam Sauli ex Benjaminis tribu uxorem habuit. Ipſis quoque ſacerdotibus Leviticis licebat filias ex aliis tribubus uxores ducere, ſi ex honeſtis natæ eſſent parentibus, neque vili unquam ſervitia exercuiſſent. Quid? quod immo vel ipſi Pontifices ſic egerunt. Sumamus eorum omnium primum, Aäronem Levitam, qui *accepit ſibi in uxorem Eliſchebam, filiam Hamminadabi, ſororem Nachaſonis Exod.* 6: 22. atque hic fuit *princeps filiorum Jehudæ* 1 *Chron.* 2: 10. Neque ita factum tantùm ante legiſlationem, ſed & pòſt, conſtitutâ jam Republicâ ac Eccleſiâ Iſraëlis. Jehojada quippe Sacerdos ſummus, adeoque Levita, ex poſteris Aäronis, uxorem habuit *Jehoſchabatham, filiam Regis Joramı, atque ſororem Regis Achaziæ*, ex tribu Judæ atque familia

Quorum prius ita diluitur a nonnullis, ut poſterius inſolubile faciant, dicendo ex mariti genealogia ſtatim cogniſci eandem uxoris.

Davidis 2 *Chron.* 22: 11. Neque putandum ſacerdotes ſummos, hac in re privilegio majoris libertatis fuiſſe uſos; docet enim Joſephus *Antiquit. L.* 3. *C.* 12. agens de legibus circa nuptias ſacerdotum, non aliis ſacerdotem ſummum vinculis, quàm alios adſtrictum fuiſſe: hoc uno excepto, quod viduam ducere non poſſet, quod *reliquis*, ut ait, συγχωρῶν, *licitum*, ſive *liberum reliquit* Legiſlator. Inde etiam *Lib.* 1. *contra Apionem Cap.* 7. nullum inter ſacerdotem ſummum ac reliquos diſcrimen ponit, ſed in genere modò ſcribit, *pag.* 440. *Edit. Havercampianæ*; *Debet quiſquis ſacerdotio fungitur* ἐξ ὁμοεθνῶς γυναικὸς παιδοποιεῖσθαι, *ex* (non ait *tribus* aut *familiæ*, ſed modò) *populari ſua conjuge liberos quærere.* Cùm itaque ex exemplis ſuprà allatis conſtet ſacerdotes ſummos ſibi uxores ex tribu qualibet, & in ſpecie quidem ex illa Judæ, ſpecialiſſimè ex familia Davidis adſciſcere potuiſſe, gregariis ſacerdotibus idem jus fuiſſe negandum non eſt.

At ſolidius ſolvitur poſterius, & ſimul via ſternitur ad ſolutionem prioris, eamque duplicem, aut ſcilicet concedendo hypotheſin objectionis, Mariæ np. genealogiam eſſe; aut negando eam.

XIX. Ita ergo, ut ego me nunc ad veriorem ſolutionem difficultatum §. XVII. motarum, & quidem poſterioris primo loco, accingam, facilè fieri potuit vel ipſam Eliſabetam ex familia fuiſſe Davidis, vel ſaltem patrem Eliſabetæ, virum è tribu Levitica ſibi in uxorem accepiſſe filiam ex Davidis familia, & ſic Eliſabetam reſpectu lineæ maternæ conſanguineitate junctam fuiſſe cum parentibus Mariæ, id eſt, Mariæ cognatam extiſtiſſe. Veruntamen ſic nondum ſublata eſt principalis illa difficultas de tradita nobis genealogia non Mariæ, è qua Jeſus; ſed Joſephi, cum cujus ſanguine nullum ei commercium. Mihi tanti hoc momenti videtur, quanti vix aliud in tota cauſa Jeſu. Quis enim æquo animo ferat Scriptores, qui legitimum alicujus ſtemma probaturi, pro genealogiâ verorum ipſius parentum nobis obtrudant genealogiam alienam, ex qua ne gutta quidem ad ipſum pervenerit? Neque ergo hic acquieſcendum in ulla ſolutione, quæ conjecturis nititur, aut probabilitate ſola fulcitur. Difficultatis autem hujus pondus vel duplum erit, vel ne ſimplex quidem, prout aut fateri debueris ſolius Joſephi genealogiam apud Matthæum æquè ac Lucam pro-

proſtare, aut ipſius Mariæ genealogiam apud alterutrum poſſis exhibere.

XX. Qui priori via eunt, aut languidius reſpondent, aut validius. Languidius rem ſeriam agere videntur illi, qui obſervant legi in Judæorum canonibus, licita quidem fuiſſe ſacerdotum, Levitarum atque aliorum Iſraëlitarum inter ſe matrimonia, ſed fœtum inde natum ſequi patrem: adeo ut ſi is ſit Sacerdos aut Levita, Sacerdotibus aut Levitis accenſeatur: ſin verò alterius ſit tribus quàm Leviticæ, reliquis Iſraëlitis annumeretur. Vid. Ainſworthus ad *Levit.* 21: 15. Willetus in eundem locum *Quæſt.* 18. Et hac reſponſione nonnulli putant Theologi nos poſſe eſſe contentos, etiamſi de Mariæ genealogia nihil nobis ex hiſtoria Euangelica conſtaret, quia fœminini generis, ſimulac deſponſatio ſolenniter viro facta eſt, nulla habetur ratio: ac proinde quidquid ex Maria Joſepho deſponſa natum eſt juxta hunc morem ad Joſephum referri, atque ſub eo recenſeri. Multo autem validius hic reſpondent alii, ut primò probent Mariam fuiſſe de poſteris Davidis, & virginem quidem ἐπίκληρον, tum rationem reddant cur Joſephi genealogiam exhibeant Euangeliſtæ, ad demonſtrandum Jeſu per Mariam è Davide originem. Probant autem illud ex eo, quod in univerſali illa deſcriptione & ipſa deberet gravida licet, è Galilæa moleſtum iter ſuſcipere verſus Bethlehemum, nequaquam id factura, niſi ipſa ſola, ad quam, pauperem nunc licet, ex Legis tamen præſcripto anno Sabbathico & Jubilæo bona abalienata redire poterant & debebant deficientibus fratribus, ſuam domum & familiam in illa deſcriptione repræſentare debuiſſet. Sic demonſtrata Mariæ conditione addunt ejuſmodi ἐπικλήρῳ incubuiſſe juxta Legis divinæ antea a nobis allegatæ normam, ut matrimonium contraheret cum proximo conſanguineo. Unde facilè concludunt, quandoquidem Maria deſponſata fuerit Joſepho, abſque omni dubio per genealogias ab Euangeliſtis exhibitas ad familiam pertinenti Davidis, eam proinde ex eâdem illa domo ortum quoque ſuum habuiſſe, & abundè ſufficere Euangeliſtis hac

Solutio prior duplex per confeſſionem hypotheſeos.

in

in re produxiſſe ſolius genealogiam Joſephi, ut ex ea ſimul ſtatuatur genus Mariæ Davidicum. Neve putes vulgaria ingenia hac ratiocinatione uti, ipſe tibi Celeb. Sal. van Til in Commentario vernaculo ad *Matth.* 1. p. m. 10. his ipſis verbis dicet: *Supponendum eſſe Joſephum & Mariam fuiſſe conſanguineos ejuſdem generis, paucis gradibus a ſe invicem diſtantes: ſupponendum itaque rem hanc omnibus fuiſſe cognitam. Genealogiam itaque Joſephi, quæ ad manum erat, commode potuiſſe adhiberi ad Mariæ & Jeſu genus ex eâdem demonſtrandum. Suppoſitionem* autem illam Vir. Clar. ſic probat: *Ex eo quod Maria etiam coacta fuerit adire Bethlehemum, ad perſonam ſuam atque poſſeſſionem ibi exhibendam, multa ingenia docta, nec ſine ratione concludere, Mariam fuiſſe filiam* ἐπίκληρον. *Aliàs enim nullam fuiſſe cauſam, cur Maria partui proxima, tam moleſtum iter ſuſciperet, à quo ipſam potuiſſet liberare caput domus ſuæ paternæ, niſi ipſa totam hæreditatem exhibere debuiſſet. Ad talem autem filiam* ἐπίκληρον *matrimonio ſibi copulandam proximum quemque conſanguineum Lege obligatum fuiſſe.* Unde ſequatur Joſephum ergo Mariae fuiſſe conſanguineum proximum; è Joſephi ergo genealogia Mariæ genus ſimul conſtare. Porro tunc etiam obſervant, maluiſſe Euangeliſtas genealogicam Joſephi tabulam, quàm Mariæ illam in medium producere, quia ab antiquiſſimis jam temporibus obtinuerat notiſſima illa Juris Judaici regula, quæ in Talmude *Juchazin* aliiſque Rabbinorum libris pluries occurrit: משפחה אם אינה קראה משפחה / *Familia matris non vocatur familia.* Itaque Euangeliſtas hunc ſecutos eſſe morem computandi, ſtylumque loquendi Judæis uſitatum, atque virilem Joſephi genealogiam exhibuiſſe, uti in ordinariis generationibus fieri ſolebat, contentos interim monuiſſe, tum, quod hæc tamen generatio fuerit extraordinaria & ſupernaturalis, è ſola matre, non è Joſepho, uti hoc & Matthæus & Lucas diligenter notant, tum, quod Maria interim utpote ἐπίκληρος fuerit ex eadem familia, è qua Joſephus erat: uti hoc Lucas ſubinnuit, narrans Mariam & ipſam debuiſſe *Bethlehemi deſcribi.*

XXI.

XXI. Verùm enimverò, posito stylum in genealogiis apud Judæos legis Persarum Medorumque instar fuisse, non tamen Euangelistis tanti erat in re prorsus inusitata, nova & divina, stylum Judæorum illum eousque sequi, ut occultatâ vera Mariæ genealogia, originem Jesu veram mallent obscuram facere dubiamque, quàm Judæos omittere; & Jesu gloriam sartam tectam servare. Prophetæ dixerant in sola Messiæ nativitate *virginem parituram*. Cur non & Euangelistæ palam dicunt, *Virginis* autem *genus erat istud?* nullam *viri* rationem habentes, ubi nullius *viri usus* fuerat? Porro & id scire velim, cur, si uterque Euangelista Josephi nobis genealogiam dent, tantâ differentiâ, de qua mox dicam, eam exhibere voluerint, aut etiam potuerint, cùm utique in tabulis genealogicis publicis una genealogia uno modo adscripta fuerit? Denique, quid si in dubium vocetur fundamentum totius hujus demonstrationis, Mariam scilicet fuisse ἐπίκληρον? & dicatur *descriptionem* hanc nequaquam bonorum, sive agrorum fuisse, tunc quippe Mariam, ut ut ἐπίκληρον, non coactam fore Bethlehemum ire, namque potuisse per procuratorem agere: sed fuisse eam *personalem*, sive hominum tantùm, ad computandum ex numero hominum diversi sexus ætatisque spem futuræ sobolis, ideoque ipsam etiam Mariam, ut ut omni agrorum possessione destitutam, & fratribus bene munitam, debuisse adire locum descriptionis familiæ Davidicæ?

At neutrâ satis solide, maxime quia forsan Mariæ ne quidem fuerit virgo ἐπίκληρος, *nec descriptio hæc bonorum, sed tantum personarum.*

XXII. Operæ pretium fuerit prolixius hic adscripsisse quædam Celeb. Perizonii verba, ex ejus *Dissertat. de Augustea orbis terrarum descriptione* ad *Luc.* 2. §. IV. ubi ille de naturâ hujus descriptionis ita ratiocinatur: *Sed & ex hoc ipso Judææ statu, quæ tamen nondum erat provincia, non tributaria Populi R. sed suum habebat Regem, colligi facile etiam illud potest, qualis isthæc fuerit descriptio, scilicet* ἀπογραφὴ τῶν ἀνθρώπων, *seu descriptio singulorum hominum nominatim in publicis tabulis. Nam ne aliter sentiam, aut cum multis tributi causâ eam arbitrer factam, h. e. fuisse* ἀποτίμησιν τῶν κτημάτων, *non parum me movet, quod nulla omnino ejus fit mentio apud alios scri-*

Quod verbis Clar. Perizonii confirmatur.

ſcriptores, immo nec ipſum Joſephum, non prætermiſſuros haud dubie, ſi illo tempore per totum orbem, vel etiam ſolam Judæam, fuiſſet facta pecuniarum ſingillatim ἀπογραφὴ, ex eaque renovatio tributorum. Attulerunt quidem nonnulli quædam loca Veterum, de hac, ut putabant, deſcriptione agentia. Verum ea aliena prorſus ſunt, & ab aliis jam repudiata. Prætereà fuiſſet tunc etiam periculoſæ aleæ opus, ſimul totius Orbis opes tributi cauſa cenſere, quum ſæpe tales cenſus in ſingulis regionibus magnas dederint turbas. De Judæis poſt Archelai relegationem, quando Quirinus advenerat ἀποτιμησόμενος αὐτῶν τὰς οὐσίας, refert Joſephus XVIII. 1. *jam ab initio eos de hac ſuarum opum deſcriptione iniquo animo audiviſſe, & ab Juda Gaulanite ad defectionem ſollicitatos, dicendo,* cenſum hunc nihil aliud, niſi palam ſervitutem adferre. *Similiter apud Tacitum An.* VI. 41. *Clitarum natio Cappadoci Archelao ſubjecta, quia* Romanum in modum deferre cenſus, pati tributa, adigebatur, *in juga montis Tauri abſceſſiſſe rebelli animo legitur. Immo Imp. Claudius in Oratione ad Senatum laudat Gallos, quod quietem Druſo patri ſuo contra Germanos bellanti præſtiterint etiam poſt cenſum,* novum tunc & inadſuetum Gallis opus: Quod opus, *pergit,* quam arduum ſit nobis, nunc cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notæ ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus. *Si res etiam ſub Claudio in ſingulis provinciis tam ardua generatim fuit, non credibile eſt, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην fuiſſe ſimul jam olim iſto modo cenſam ab Auguſto, maxime cum paulo ante ex illo ipſo ſolius Galliæ cenſu tumultus tamen in ea, veteri jam provincia, fuerit exortus, ut docet Epit. Livii* 137. *Sed & ipſe Auguſtus, quum tribus vel quatuor annis poſt natum Chriſtum, iſtius generis ἀπογραφὴν in Italia ageret, eos tantum, qui in ea habitabant, nec minus quam ducena ſeſtertia habebant in bonis, recenſuit, non item pauperiores, nec eos, qui extra Italiam incolerent, veritus, ne quid novarent, rebellarentve, his deſcriptionibus turbati, ut Dio tradit lib.* LV. *Cui ergo fiet veriſimile, cum, quum in Italia ad omnes incolas cenſum extendere non auderet, pauciſſimis annis ante, & Imperio nondum ſibi ſatis confir-*

formato, omnes Romanæ Civitati ſubjectos ſingillatim ad publicam bonorum ſuorum profeſſionem per totum orbem adegiſſe: quippe quum ea re veluti denunciaretur gravior deinceps & acerbior ex cenſu tributorum exactio, ſiquidem iſtiuſmodi cenſus, ſeu illa ἀσιῶν ἀποτιμήσεις in provinciis, revera fiebat a Romanis tributi *gratia vel imponendi vel augendi. Hinc apud Tacitum*, noſtrum (*h. e. Romanum*) in modum deferre cenſus & pati tributa *conjungitur, & quum Judæa remoto Archelao in provinciæ formam redigeretur, atque adeo fieret Romanis tributaria, ſtatim in eam venit Quirinus, docente Joſepho*, bona Judæorum ἀποτιμησόμενος, cenſiturus, *ut ſcil. ex illo bonorum cenſu tributum novæ provinciæ conſtitueretur; immo vero inde etiam eſt, quod Hieronymus, quum putaret* hanc totius Orbis Romani deſcriptionem *fuiſſe* ἀσιῶν ἀποτίμησιν, *exiſtimaverit proinde, per errorem licet ingentem, quando ea fiebat, Judæam jam tunc* Romanis fuiſſe ſubjectam, factamque ſtipendiariam, *in Matth.* XXII. 15. *Denique & hoc inde ortum, ut Latinum vocabulum* Cenſus, Κῆνσος, *in provinciis & Lingua Græca pro ipſo poneretur tributo. Matth.* XVII. 25. Reges terræ, a quibus capiunt tributa vel cenſum, τέλη ἢ κῆνσον? & XXII. 17. 19. *Phariſæi ac Herodiani rogant Chriſtum*, Licetne dare Κῆνσον, Cenſum, Cæſari, nec ne? *reſpondente eo*, oſtendite mihi nummum Cenſus. *Monere hæc volui & paulo uberius exponere, quia vidi Doctiſſ. ceteroqui Virum Henr. Noriſium in Cenotaphiis Piſanis Diſſ.* II. *Cap.* 16. §. 12. *affirmare:* Cum cenſus a Romanis in provinciis agebatur, nihil pecuniæ a deſcriptis exigebant, ſed eo tantum fine cenſum faciebant, ut Nihil ultra, quàm ut publicè notæ eſſent facultates, exquireretur. *Decepere Virum Eruditiſſimum poſteriora hæc verba, quæ ſunt Imp. Claudii, a nobis etiam paulo ante exhibita, & ab illo de ſuo tantum tempore & cenſu a ſe acto uſurpata, quum ſine dubio meticuloſus ille Imperator per iſta* nimis magna experimenta, *quæ memorat, progredi non auderet a Cenſu ad ipſam Tributi exactionem, ſicuti conſtituerat, & ſicuti ſolebant alii poſt ejuſmodi cenſum in provinciis facere. Accedit ad hæc ratio ipſa factæ in Judæa deſcriptionis, ut ex qua liquet item manifeſtum in modum, ipſos ſolum-*

modo homines, bona aut opes eorum, in cenſum eſſe ac numerum relatos. Cenſi enim fuerunt, non ubi habitabant, & proinde ſaltem plerique ſua habebant bona, (vix enim alia in longe maxima Judæorum parte poteſt dari ratio, quare cœperint extra priſtinam, ſeu Majorum ſuorum, patriam habitare, quam quod tandem in aliis oppidis ſuas quæſiverint fortunas conſtituerintque): ſed unde per Majores ſuos erant orti, ſeu ubi Majores eorum perpetua ſerie vixerant, & ubi idcirco Genealogicæ illorum tabulæ reperiebantur, ſecundum quas recenſio illa poterat facilius fieri, & fieri debebat ex Veteri Reip. iſtius more, quæ, ut pluribus docui in Diſſertat. Triade de Nomine & memoria Defuncti Fratris per Superſtitem propaganda, tota erat Genealogica, & in Familiis conſiſtens. Hinc ergo Joſephus ex Urbe Galilææ Nazaretho abire coactus eſt Bethlehemum Judææ, quia erat ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβίδ, ex domo & familia Davidis. *Et Tertullianus contra Marcion.* IV. 19. Ex cenſibus ſub Auguſto in Judæa actis Genus Chriſti inquirere eos potuiſſe *tradit. Quod ſi aliud in facienda hac ἀπογραφῇ ſpectatum fuiſſet, quam ut iniretur hominum numerus, ſeu ſi in ea etiam opum & facultatum cenſendarum fuiſſet habita ratio, vel ut eæ ſolummodo eſſent notæ Auguſto, vel ut revera ex iis tributum conferretur, tum ſane multo fuiſſet convenientius, ut iſtic potiſſimum cenſerentur homines cum ſuis opibus, ubi habitabant, & ubi proinde eæ opes erant notæ omnibus, vel ſaltem certius cognoſci & æſtimari poterant.* Quæ Viri maximi ratiocinatio ſi ſtet, jam aliorum Virorum doctiſſimorum cadere debet demonſtratio hypotheſi iſti de Maria ἐπικλήρῳ, qualis ea fuiſſe pateat ex deſcriptione hac, ſuperſtructa.

Solutio poſterior & ſolidior per negationem hypotheſeos, de Mariæ genealogia prorſus omiſſa. Nam Lucas eam

XXIII. Poſteriori ergo & regia via incedendum erit, dicendumque *Matthæum* quidem *Cap.* 1. qui multos generationes omittit, quia tres iſtas τεσσαρεσδεκάδας excedere noluit, nobis recitare genealogiam Joſephi; *Lucam* verò, qui omnes recenſet generationes *Cap.* 3. genealogiam Mariæ. Ubi etiam *Matth.* 1: 16. Joſephi pater proditur *Jacobus*, ille *Luc.* 3: 23. commemoratur *Heli*. Quemadmodum & ibi aliam longè Majorum recenſionem reperimus uſque ad Davi-

dem

dem quàm hic. Atqui multis nominibus fit probabile hunc *Jacobum* proprium fuiſſe *Joſephi fatrem*, ſed *Heli* ejus *ſocerum*, patremque Mariæ, & avum Jeſu noſtri. Adeoque verba Lucæ ita capienda: *Incipiebat Jeſus eſſe quaſi annorum triginta*, ὡς ἐνομίζετο, *prout exiſtimabatur*, *filius Joſephi*; (ſed revera) *filius Heli*, id eſt, filius filiæ ſuæ Mariæ, quæ Maria hic non nominatur, quia in illis genealogiis nullæ recenſentur fœminæ. Sic autem Joſephus & Maria fuerunt conſanguinei, atque ex eadem familia orti Davidis: hoc ſolo cum diſcrimine, Joſephum prognatum eſſe ex Davide per Salomonem, Regeſque eum ſecutos *Matth.* 1: 6. Mariam verò ex eodem Davide, at per Nathanam *Luc.* 3: 31. id eſt, Salomonis fratrem 1. *Chron.* 3: 3. cujus *Nathanis* inter *Davidis familias* ratio etiam habita fuit ſingularis, uti liquet *Zach.* 12: 12. uti *Jehudæ* olim inter cæteras tribus Iſraëlis.

exhibet, oſtendens Mariam è Davide deſcendere per Nathanem Salomonis fratrem.

XXIV. Neque luci huic clariſſimæ opponi debet, quod Prophetæ ortum Meſſiæ videantur ex Davide per Salomonem derivaſſe. Ex. gr. 2. *Sam.* 7: 12. *& ſeqq.* quæ quidem promiſſio rectà Meſſiam deſignat tanquam ex Davidis lumbis oriturum *Actor.* 2: 30. attamen per Salomonem: præcipuè ſi 1. *Sam.* 7. conferatur cum *Pſalm.* 89: 36. 39. Non etiam objici debet quod *Salomonis* nomine ſæpius non inſigniretur Meſſias, niſi ex *poſteris Salomonis* eſſet. Nam & ideo Meſſiam *Adamum* nonnunquam, *Iſraëlem*, *Davidem*, & *Zerubbabelem* vocari, quia ex iſtis majoribus ortum ducit. Hæc enim, ut ſolent nebulæ, ſpeciem habent, ſolidi nihil. Nec enim Meſſiam per Salomonem è Davide naſciturum in iſtis vaticiniis dicitur, ſed ſimpliciter è *Davide naſciturum*. Neque etiam cùm Meſſias veniat ſub nomine *Joſuæ*, ſive cum relatione *ad Joſuam*, filium Nun, qui Iſraëlem in hæreditatem Canaänis promiſſam induxit, ſive ad *Joſuam*, filium Jozadaci, Sacerdotem magnum, eâ translatione nominis indicatur ex eorum alterutro ſuam ducere familiam, cùm prior fuerit Ephraimita, alter Levita. Similitudo ergo morum, vitæ, mortis, & ſimilium, nomen prioris cum ſequenti communicat, aliquando & proſapia idem facit. Nonnunquam

Objectioni duplici, Jeſum non in Nathane, ſed Salomone promitti, & SALOMONEM ideo dici, ſolide reſpondetur.

& ſimilitudo talis & proſapia ſimul: de quo ex ſubjectis judicandum eſt.

Quæſtioni, cur tamen Matthæus genealogiam Joſephi, omiſsâ ea Mariæ, exhibeat, reſpondetur à Tillio.

XXV. Si quiſpiam nunc nos roget, cur Matthæus tamen potius genealogiam Joſephi adduxerit, quàm eam Mariæ, non obſtante ipſo titulo *Capitis* 1. *verſ.* 1. qui promiſerat βίβλον γενέσεως Ιησοῦ υἱοῦ Δαβὶδ, ad quem tamen Jeſus per Joſephum nequaquam referri poteſt? Illi reſpondebimus Clar. Tillii verbis in Latinum ſermonem verſis *loc. cit.* p. 10. nempe, *Salvo doctorum judicio, voluiſſe Matthæum ex publicis Synedrii tabulis talem afferre genealogiam, quæ ſufficeret ad veram Jeſu per Mariam è Davide deſcendentis lineam demonſtrandam. Cùm itaque ibi in iſto tabulario non alia Mariæ genealogia reperiretur, quàm quæ ſtirpem ejus ad Nathanem referret, quia ipſa per caſus partim funebres, partim matrimoniales inciderat in hæreditatem Nathanis (jus enim hæreditarium domus hujus per matrimonium virginis* ἐπικλήρου *cum uno ex filiis Zeruhbabelis tranſierat in domum Zeruhbabelis) maluit Matthæus Joſephi genealogia publicè aſſervatâ & authenticâ uti, quàm Mariæ, non juxta naturales generationes, ſed juxta jura legis conſcriptâ: quia hæc Joſephi genealogia ſcopo ejus firmando melius inſervire poſſet.* Obſcurè ſatis, at in re per ſe obſcura hoc vult Clar. Tillius. 1. Matthæum voluiſſe Jeſu è Davide originem oſtendere phyſicam, non politicam: naturalem, non legalem. 2. Atqui Mariæ è Davide genealogia non alia exſtabat quam politica & legalis: Joſephi verò ea phyſica & naturalis ad manum erat. Quia ergo ob arctam eam Mariæ cum Joſepho, omnibus tunc notiſſimam conſanguinitatem, ex genealogia unius ſimul alterius genealogia conſtabat, maluit Matthæus uti eâ Joſephi naturali, quàm Mariæ eâ legali.

Confirmatur tandem Mariæ & Jeſu è Davide origo notabili teſtimonio hiſtorico Euſebii ab Al-

XXVI. Si quis hiſce nondum putet omnia dubia eſſe ſublata, cogitet ille, etiamſi hinc illinc dubii aliquid reſtet, hoc tamen certum manſurum, tempore Pauli πρόδηλον *fuiſſe Jeſum ortum eſſe ex tribu Juda Hebr.* 7: 14. & tempore adhuc Domitiani Cæſaris *poſteros Judæ fratres Jeſu palam agnitos fuiſſe è familia Davidis ortum ducere.* Hæc quidem diligen-

ter

ter nobis ex Hegeſippo refert Euſebius Cæſar. *Hiſtor. Eccleſ.* L. 3. C. 20. Ἔτι δὲ περιῆσαν οἱ ἀπὸ γένους τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰούδα &c. *His, inquit, temporibus adhuc ſupercrant quidam ex cognatione Chriſti, nepotes Judæ illius qui ſecundum carnem frater Chriſti vocabatur. Hos a nonnullis delatos, quod ex regia ſtirpe prognati eſſent, Evocatus ad Domitianum Cæſarem perduxit. Quippe Domitianus de adventu Chriſti perinde ac Herodes ſibi metuebat. Interrogati igitur ab illo, utrum ex ſtirpe Davidis eſſent oriundi, id veriſſimum eſſe confeſſi ſunt. Deinde ſciſcitatus eſt Domitianus, quantas poſſeſſiones, quantumve pecuniæ haberent? Illi verò novem tantummodo denariorum millia ſibi ambobus ſuppetere dixerunt, quorum dimidia pars ſingulis competeret: eas vero facultates nequaquam ſe in argento habere, ſed in æſtimatione agrorum, novem ſcilicet ac triginta ſoli jugerum: ex quorum fructibus & tributa perſolverent, & ſibi ipſis non ſine proprio labore victum comparare. Simulque manus oſtendere cœperunt, duritiem cutis, impreſſumque alte manibus callum ex laboris aſſiduitate, in teſtimonium operis ſui proferentes. Poſtremò interrogati de Chriſto & de regno ejus, cujuſmodi id eſſet, & quando, quibuſque in locis appariturum? reſponderunt non hujus mundi, nec terrarum imperium illud eſſe, ſed Angelicum ac cœleſte, quod in fine ſeculorum futurum eſſet, tunc cum Chriſtus adveniens cum gloria, vivos ſimul & mortuos judicabit, & unicuique operum ſuorum mercedem tribuet. His auditis Domitianus nihil adverſus eos aſperius decrevit: ſed vilitatem hominum adſpernatus, liberos abire juſſit: miſſoque edicto perſecutionem adverſus Eccleſiam commotam compeſcuit. Illos verò ad hunc modum demiſſos, Eccleſiis poſthac præfuiſſe narrant, utpote Chriſti martyres ſimul ac propinquos; & pace demum Eccleſiæ reddita ad Trajani uſque tempora vitam produxiſſe.* Et hoc illud eſt argumentum quod poſt longam diſputationem etiam urſit Jac. Altingius *de Schilone* L. 4. C. 12. ad finem: *Accedit*, inquit, *ad genus Jeſu aſſerendum accuſatio a Judæis contra hujus conſanguineos, quod familia Davidicâ oriundi eſſent, coram Domitiano & Trajano imperatoribus inſtituto.* Adfert tunc ex Euſebio verba modò recitata. Sed & addit

tingio etiam adducto.

addit verba *C.* 26. *Ab eodem ſectarum Judaicarum numero quidam Simeonem Cleophæ filium* (quem Chriſto conſanguineum dixerat *Cap.* 10.) ὡς ὄντα ἀπὸ Δαβὶδ καὶ χριστιανόν, *tanquam Davide ortum, & Chriſtianum accuſarunt.* Ex his ita argumentatur Vir eruditus: *Etenim hanc litem conſanguineis Jeſu moventes* (Judæi) *coram tribunali Imperatorum Romanorum, ſimul publicum ipſi perhibuerunt teſtimonium, quod è Davide natus eſſet, proindeque hæreditarium jus haberet in regnum patris ſui Davidis; uti loquutus fuit Angelus ad Mariam matrem ipſius Luc.* 1: 32, 33. Et jure quidem ita argumentatur. Hic enim Juda, cujus modò ceu *fratris Jeſu* facta eſt mentio, ejus frater erat, eò quod non ex priore Joſephi conjuge natus eſſet, ſed ex Maria, ſorore matris Jeſu, altoque gradu ejus conſanguinea, cujus maritus fuit Alphæus, ſive Cleopas, prout colligunt Eruditi ex collatione *Matth.* 27: 56. *Joan.* 14: 15. *Matth.* 10: 3 & 13: 55. Vid. Ligtfooti *Hor. Hebr.* in *Matth.* 10: 3. *Luc.* 24: 13 & *Actor.* 1: 13. *nec non Harmon. Euangel. Part.* 2. in *Joan.* 2. p. m. 404. *col.* 2. Cùm verò nuſpiam liqueat Alphæum fuiſſe ex Davidis ortum familia, idcirco hi *Judæ poſteri* ex Davide debuerunt deſcendiſſe per *matrem* iſtius *Judæ*; quæ cùm ſoror fuerit Matris Jeſu, & hanc proinde e familia Davidica prognatam fuiſſe meritò colligimus.

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI FABRICII

ORATIO

DE

SCHOLIS PROPHETARUM.

DICTA PUBLICE

Cum Rectoris Academiæ Lugd. Bat. munere abiret.

a. d. VI. *Idus Februarii*, *Anni* CIↃ IↃCCIX.

Digitized by Google

FRANCISCI FABRICII
ORATIO
DE SCHOLIS PROPHETARUM.

MEmoriæ prodiderunt Veterum Annales, ſolitos Ægyptios præ Fanorum foribus, præſertim in quibus Iſidis Serapidiſve ſacra colebantur, Harpocratium ſuorum, ac Sigalionum depictas habere imagines, digito labiis impreſſo ſilentium imperantes. Quo hieroglyphico denotare iis viſum fuit, haud temere Religionis arcana promiſcuæ pandenda plebi, at ſacro & prudenti tegenda ſilentio. Non male: nullius quippe populi ingenium myſteria, humanum captum ſuperantia, percipiendi capax eſt. Suborat inſuper dolus; nam cùm maximam longè partem iſthæc conficta eſſent myſteria, ac non abominanda tantùm, ſed corporeis potius voluptatibus, quàm veris mentis dotibus inſervientia continerent, hanc potiſſimum ob cauſam crediderim, ſacrilego eos artificio illa ſilentio obtexiſſe, ne in luce collocata veri fulgorem ferre nequirent. Unde ne verbulum quidem de his, niſi horum pudendorum Hierophantis, iiſque qui interioris admiſſionis habebantur, loqui fas fuit.

Verùm longè aliter res ſe habet cum veri Numinis ſacris; in quibus non pauciora, ſed plura; non

minora, ſed majora undequaque occurrunt myſteria: non ficta, ſed vera; non turpia, ſed honeſta, ſed pia, ſed Deum, ſummaſque ejus perfectiones decentia, quæque omnimodam ejus, quia gaudet, ſapientiam in myſterio conſiſtentem continent. Et hic quoque certâ lege ſacrum adſit ſilentium oportet, quando nemini de his loqui datur plus minuſve, quàm in Sacris Literis revelatum; nemini ſapere, ſupra quàm ſcriptum eſt. Hæc ſacra ſanctè tractanda. Quod tamen non impedit quò minus hæc arcana ab omnibus meritò indagentur, a peritioribus explicentur, ab utriſque ad ſalutem credantur. Quem in finem ipſe ea Deus manifeſtavit, in Scripturis tradidit, ſacræ ſuæ ædis ceu Scholarum fores aperuit, in quas ubi intraverit populus juſtus, a Dei Prophetis publicè privatimque circa fidei myſteria erudiretur.

Quapropter cum Profeſſionem Theologicam auſpicatus, primò ad Vos, Auditores omnium Ordinum ſpectatiſſimi, verba fecerim DE CHRISTO, UNICO AC PERPETUO ECCLESIÆ FUNDAMENTO, in quo ſolo univerſa mei muneris ratio, initium ac finis, verſaretur oportet; nullum mihi argumentum convenientius cenſui, quam ut ordine nunc agam DE SCHOLIS PROPHETARUM, quæ in iis myſteriis latius explicandis, quæ tunc de CHRISTO in compendio diſſerui, primariò fundantur. Argumentum certè, quod & mea inſuper, quam ſuſtineo, Profeſſio, quod hic locus, meum munus, ipſum denique hoc Auditorium ſuadere videtur. Ad meam enim ſi Profeſſionem attendam, ſacra, Prophetarum inſtar, Theologi-

logica tracto. Sin ad locum; hic ille eſt, ubi in ſuis tanquam Scholis docent diſcuntque Prophetæ, eorumque Filii. Sin ad munus meum præſens; harum ego Scholarum hoc anno Recturam egi, agoque hactenus. Sin hoc tandem ad Auditorium, veſtrâ profectò omnium intereſt, qui Chriſtiani in Propheticis Scholis de fidei myſteriis ad ſalutem erudiamini. His ergo in Scholis cùm verſemur omnes, & ſplendida hac in panegyri ad audiendum vos confluxeritis, nullus dubitârim, quin eorum mori qui Scholas frequentant, per horulam vos ſedulo componentes, ultimo hoc Magiſtratus mei momento, faciles mihi, quod facitis, aures, & benevolas mentes, quod rogo, præbituri ſitis.

Poſt amiſſam per peccatum, ad quam creatus erat primus homo, Dei imaginem, quando in Schola Dei *Naturam*, & *cælum*, *Deum* & *ſe ipſum* diſcebat, ſumma utique fuit infelicitas, quod ſpretâ Dei optimi amicitiâ, omnis ejus inſtaurandæ ſpes planè præſecta videretur. Si quippe ad Deum reſpicias, interminatus fuerat mortem tranſgreſſori. Quocirca ſanctus cùm ſit, ejuſque veritas in adimplendis minis æquè ſe exerat ac in promiſſis, hujus igitur Dei non eſt, ut ejuſmodi peccatorem in gratiam recipiat. Hominem porro ſi conſideres, adeo ille tenebris obſcuratam mentem habet, ut ſummum Bonum nec velit, nec intelligat; multo minus medium, quo ejus fiat particeps, noverit. Tales igitur cùm ſimus naturâ omnes, omnium creaturarum eſſemus miſerrimi, ſi non ipſe Deus eâ, quâ ſibi non modò, ſed

& peccatori, pollet omnisufficientiâ, Pacis istud Consilium iniisset, quod est Jehovam inter & Virum illum, cujus nomen Germen, quando Christum, ut Semen istud Mulieris Contriturum Caput Serpentis, Parentibus protoplastis in Paradiso promisit, & quo potissimum modo peccator læsam ab ipso pacem redintegrare, & cum Deo in gratiam redire posset, luculenter satis exposuit.

Quæ ita prælibata ansam nobis præbere Scholæ Propheticæ originem in genere inde a primis jam mundi natalibus arcessendi, vestrûm, confido, nemo est qui non facile perspicit. Ejus ergo si quis fundatorem roget? Deum dico. Si fundationis locum? Paradisus est. Si Doctorem Rectoremque? Idem ille Deus, hac in re prima gaudens potestate ac independenti plane. Ita tamen ut alios deinceps sub se Doctores constituerit, Prophetas nempe, quales & primi Patriarchæ; quos suis sic donis instruxit, Promissionis illud verbum primum ut apposite explicare, alios de eo erudire, ac sic porro ad posteros propagare possent. Et horum Doctorum Senatus facer adeo amplus, quid? si dicam, Divinus extitit, ut alius eruditissimorum cæteroquin Professorum, si cum hoc Patriarcharum nostro conferatur, flocci penitus jure æstimetur.

Longum profectò foret eorum texere catalogum Scholæ Propheticæ qui exstiterunt Doctores. Primus certe inter homines fuerit Adamus Parens, qui Propheta cùm esset, multa sapienter differens de conjugio & nomenclatione Evæ, suis Scholam aperuit, sua

ſua inſtitutione erudiens qui iſtius ætatis primam conficerent Eccleſiam.

Ex hujus deinceps Schola auguſtiſſima prodiêre Abel, Sethus, Enoſchus, *cujus tempore cœptum eſt invocari nomen Domini*, atque *ab eo denominari*. Ut vel hinc pateat penes Sethi poſteros, veram Divinæ cognitionis cultuſque rationem, in Scholis quàm maximè tunc temporis fuiſſe traditam. Si porro Henochum conſidero, cujus contra impios prophetia exſtat, & *ille cum Deo ambulavit*, ut pius Patriarcha non modò, verùm & ſui quoque ævi Doctor ac Propheta inſignis; ſi cæteros mundi antediluviani heröes, Noachum in primis, præconem illum juſtitiæ, quæ per fidem in Chriſto eſt, & quam pœnitentibus in illo impiorum mundo prædicavit; quid cogitatu magis pronum, quàm ſuas eos Scholas habuiſſe, in quibus de veris diſſerentes Religionis fundamentis, docerent quænam iſthæc præcipuè eſſent per fidem in promiſſum Semen media, quibus à credentibus æterna obtineretur ſalus? Quod confirmabit Flavius Joſephus, qui talia pro iſtorum temporum ratione inſtitutionum monumenta non pauca meminit.

Atque ſic generatim quidem Prophetarum Scholas, quod ſatis eſt, in mundo vidimus ante-diluviano ſuis primis in incrementis. Si vobis verò haud moleſtum, Audd. ex primo in alterum tranſire mundum, plura ibi, ac illuſtriora ejuſmodi Scholarum offendetis veſtigia; quæ uti propius ad nos ſpectant, ſic nec operam perdituri ſumus eas ſi attentius aliquan-

quanto perluſtremus. Atque hic denuo, quemadmodum ultimus exſtiterat in priori, ita primus in ſecundo mundo, eundem docendi modum tenuit idem ille Noachus Pater. Teſtis mihi Semus, teſtis Heberus, eadem ex familia oriundus, quorum Scholas illuſtres multo laudum ornatu paſſim extollunt Hebræorum Magiſtri. Teſtis eſt (nam quid ſingulos memorem?) horum pronepos Abrahamus: & perpendite, quæſo, quantus ille Vir, Iſraëlis & omnium credentium Pater, quique omnium primus in Sacris diſertè Propheta audit; hic, hic ille eſt, quem domus ſuæ Præceptorem laudans ipſe Deus, eam qui Scholam habuit; qui ita ſuos aliquando armavit vernas ſervoſque, ab ipſo, quod ad ſacra attinet, inſtructos, trecentos & octodecim, ut Scholæ ipſius æquè cenſendi ſint exſtitiſſe diſcipuli, quàm domus armati milites. Priora perluſtrate ſæcula, perluſtrate poſteriora, & hæſitaturos vos confido, majorine hæc res digna ſit encomio, an admiratione? Eam tamen vidit Abrahami ætas; vidit, & gaviſa fuit. Idem prorſus de ſequentium Patriarcharum Scholis judicium eſto, quos præclaris Majorum inſtitiſſe veſtigiis, eâ, quâ erant erga Deum reverentiâ, ſuos erga pietate, nemo eſt, opinor, qui ambigat.

Verum enimvero, haud patimur amplius anguſtis adeo Patriarcharum circumſcribi familiis. Agedum, in totam exſpatiemur ac numeroſam gentem Iſraëliticam, quæ ex Patribus oriunda, atque in Arabiæ Petrææ deſertis circumquaque vagabunda, ſuas nihilominus Scholas illuſtres habuit; ubi univerſus non

mo-

modò populus, at Levitæ ſpeciatim, omneſque ſacris obeundis deſtinati, de ſummi Numinis voluntate edocerentur. Has qui ibi Scholas inſtituit, iiſque ceu ſummus iſtorum temporum Doctor Rectorque præſedit, ſive in Tabernaculi atriis, ſive in Tentorio conventus, nonne idem ille, cujus ſub auſpiciis hæc gens ex Ægypto educta, iſthæc per deſerta loca ad promiſſas ſibi Canaänææ ſedes tenderet? Is verò Moſes eſt, qui uti ſub Deo Reipublicæ Iſraëliticæ Auctor, Fundator, ac Legiſlator, idem & Prophetarum, qui iſthac ſub œconomia vixerunt, omnium facile Pater ac Princeps fuit. Is ille Moſes eſt, quem clementiſſimus Deus quadraginta dierum noctiumque ſpatio, ter in monte cum ipſo converſantem, dignatus eſt familiariter alloqui ore ad os, inſtar amici cum amico, eique dare in mandatis, quæ cognoſci, quæ credi, quæ fieri à populo ſuo vellet. Eſtne vel minimâ veri ſpecie credibile, hæc tanta ac Divina plane, non cum Senioribus, non cum populo, non cum ipſis quoque Levitis, aperta doctrinæ Scholâ, communicaſſe Moſem? Moſem, inquam, quem ob præclaram in erudiendo & dexteritatem ac fidelitatem Judæi ab ævo non tantùm hoc titulo condecorant, Moses Doctor Noster; verùm & Spiritus Sanctus, quando Dei audit Servus Fidelis, non in Iſraëliticâ modò, ſed Tota Dei Domo; non eorum duntaxat ratione quæ tunc, ſed & Post Dicenda erant: ita ut præter eum nihil quicquam locuti fuerint vel Prophetæ ſequentes, vel ipſe quoque Chriſtus, Propheta ille

magnus è fratribus inſtar Moſis, quod hoc in Moſe ſuum non habeat fundamentum primum. Scrutamini ejus volumina, pervolvite ſcripta, attendite ad ea quæ docentur, nihil eſſe quod in Scholis Propheticis unquam fuerit traditum, quod noſtro in Moſe non reperiatur, fidenter aſſeverare auſim.

Ut verò rudia ſunt plerumque rerum initia, præcipuè ubi in deſerto nulla manſionis fixa dabatur ſedes, propero idcirco cum Iſraëlitis ut promiſſam Canaänæam ingrediamur terram. Illam ajo Canaänæam, in qua illuſtrem urbem exſtitiſſe, præclaro *Kiriath-Sepher* nomine à Phœnicibus inſignitam, poſtea *Debir* dictam, Sacræ nobis Paginæ teſtantur. Nomenclationis ſignificationem ſi quis quærat, *Librorum* utrumque, vel *Literarum*, ſicque *Scholæ urbem* denotare, Linguarum callentibus in aperto eſt. Sive quod multa ibi Vetuſtatis monumenta priſci aſſervarint Patres, ſive aliam ob rationem, quis certo aſſeveraverit? Nec deſunt oppido vel ipſum *Academiæ* nomen, non tam à Græcorum *Hecademo*, ſed Phœnicum *Cadmo*, qui literas primus docuiſſe fertur, ortum ducentes.

Ut ut ſit, quod noſtri nunc non inſtituti alii determinent, hæc tamen ea eſt Regio, quæ à Patriarcharum Nepotibus inhabitata plures temporis tractu ejuſmodi urbes habuit, quæ, ſi non ipſo nomine, re ipſa *Scholarum Studiorumque oppida* audiri potuerint. Quid? ſi univerſam propemodum terram promiſſam *Debir*, vel *Kiriath-Sepher* dixerimus, quid, quæſo, eſt quod prohibet? Et ne quid nimi-

um

um nos asserere quispiam autumet, is mecum velim perpendat, quam solliciti passim publicis pro Scholis Judæi fuerint, insequentibus præsertim temporibus. Ita quippe Veterum nobis monumenta testantur, in unoquoque Canaänææ oppido Scholam, in quâ liberi Legem addiscerent, exstare debuisse. Quæ si non esset, ejusmodi urbem inhabitantes Sacrorum manebant exsortes, usquedum eam erexissent. Quoad adultos, Scholas illi suas habebant vel Prophetarum ædes, vel Levitarum collegia, vel, uti postmodum, Synagogas. Immo vel ipsum magnum Synedrium, præter Scholas Professorum publicas, totius Gentis quasi magna & universalis exstabat Schola. O felicem oppido gentem, ô terram beatam, ubi ejusmodi aperiuntur Scholæ, patetque ad veram sapientiam facilis adeo janua! Ubi viri adsunt sancti, Doctores veritatis, Prophetæ visionibus Divinis non modò, verùm & alloquiis decorati, quæ summi Numinis sit voluntas explicantes candidè, fidei mysteria evolventes fideliter, promissum Messiam suis characteribus delineantes clarissimè, immo, ubi vel ipse Deus sua, quâ est benignitate, cœlestia oracula promit.

Quæ de Scholis Israëlitas inter ita in genere disseruimus hactenus, illarum originem ab illa ipsius gentis arcessendam, copiosè satis mihi probare videntur; quæ certo sensu *Propheticæ* dici possunt, quatenus à primis inde temporibus isthac in gente Scholas olim Prophetæ habuere, earum non solùm moderatores, verùm, ubi opus, & instauratores.

Si enim ad Moſis ætatem quis attendat, ſi ad ſequentium eam deinceps Judicum, per quadringentos, & quod excurrit, annos, quoties ille non offendet, exſtitiſſe ſæpenumero, quos miſerit Deus, Prophetas, hunc populum, ad quævis peccata non tantùm, verùm ad abominandam inſuper idololatriam admodum pronum, ad verum Dei cultum revocantes, ejuſque doctrinam ſalutarem edocentes, quos integra quadam concionis multitudine adire & audire, conſulere, ac de ſummi Numinis viis ab ipſis inſtrui plena copia dabatur.

Sed quid, Audd. perſequar ſingula? Quid referam, quorum nec modus eſt propemodum nec finis? Quantacunque enim hæc ſint quæ diximus, majora ſanè nobis dicenda reſtant, quæ ſpecialiora ſcopum noſtrum propius tangunt. Hæ illæ demum ſunt decantatæ Scholæ, quarum uſum illuſtriorem non ita diu ante erectum Iſraëlitarum regnum, inde à Samuële Propheta, aliiſque ipſum ſecutis Viris Dei, ſolenniter magis inſtitutum, jure repetimus; quæ in utroque regno ad captivitatis tempora magno quoque cum fructu perdurarunt. Has ego SCHOLAS arbitror peculiari magis ratione PROPHETICAS nuncupatas, in quibus non quilibet, non univerſus populus, non tam ipſi quoque Levitæ, ſacriſque licet in Sanctuario obeundis deſtinati erudirentur; at ii primariò, qui ſacra Deo devota pectora, cognitioni rerum præ primis Divinarum ſedulo ſub ſapientiſſimo ductu unius ex Prophetis operam diligentem navarent.

Ita

Ita quippe iſthac cum gente fuit comparatum, ut ea in pejus quotidie magis magiſque ruente, ſuſcitaverit Samuëlem Deus, qui collapſam non modò Rempublicam, verùm & Religionem feliciter inſtauraverit. Sub cujus ſummi Doctoris auſpiciis Scholas erectas, in quibus ad rerum ſacrarum peritiam exerceretur juventus, dubitare nos nequaquam ſinunt qui ſub ejus nomine Libri in Sacris exſtant. Quis autem adeo in iis hoſpes, ut neſciat, has, per aliquod longum tempus neglectas Scholas, tunc præcipuè de novo viguiſſe? Et hæc mihi videtur cauſa, cur iſthac ætate mox *Prophetarum* mentio fiat frequentior. Quid diſertius, quam penes eundem de *Colle Dei* ſermonem inſtitui, ubi *Prophetarum turbæ occurrerent Saulo deſcendentium iſthoc de excelſo, cum nablio, cum tympano, & tibia, & citharâ, antequam prophetarent?* Quid aliud *collis* iſte *Dei*, aliique plures hinc inde, jam tempore Judicum & poſtea memorati, quam Auditoria & Scholæ quædam ad colles iſtos, ut gratas & ſaluberrimas ſedes, & ſtudiis ut plurimum ſacras; in quibus ab hominum conſortio remotiores convenientius ſtudiis vacant ſapientiæ Studioſi? Et celſiora imprimis loca ſacrorum meditandorum cauſa ab ipſis plerumque electa, ideo ſibi magis perſuadent Eruditi, quod ad editiora ejuſmodi loca, ubi Scholas ſuas habuerint Prophetæ, Salomo alluſiſſe videtur, *Sapientiam* introducens *domum ſuam ædificantem, quæ, ſuis emiſſis puellis, quoſque invitet in pinnaculis.* Celsorum *urbis.*

Sed aliud quid præterea hic nobis locus in memoriam revocat, & in ipſis urbibus has quoque Scholas exercitas. Celebris, noſtri Samuëlis ætate, illa fuit, Najothis in Rama, quæ laudati Prophetæ patria fuiſſe videtur, quò poſt depoſitum ſupremi Judicis in Iſraële munus ſe conferens, quod reliquum vitæ erat, extra omnem Reipubicæ adminiſtrandæ curam, Scholæ ibi, ut videtur, ab ipſo erectæ, totus ſe dedit, ſanctos ut Dei viros ejuſque miniſterio conſecrandos, vitæ ſanctimoniâ non minus, quàm doctrinâ ſuâ, ad ſacrum munus idoneos redderet. Deinceps verò Eliæ ac Eliſæi temporibus urbes præterea memorantur Bethel, Jericho, Gilgal, ubi & ſua Prophetas habuiſſe auditoria, liquido ſatis ex Sacra hiſtoria claret. Sic tamen, ut cum Hebræorum Doctorum nonnullis facile ad credendum adducar, plura illos inſuper Canaänææ oppida præter memorata modò occupaſſe. Quod tanto quidem magis crediderim, quanto ipſa id res poſtulare videtur. Etenim, cenſebimuſne unam modo alteramve Scholam, in ſacris diſertè nuncupatam, toti iſti ſufficere potuiſſe genti amplæ adeo, in qua ſuos Deus excitare voluerit Naziræos, Prophetas ſuos?

Cur verò moror? cur gradum ſiſto? Agedum, has ipſas nunc Scholas ingrediamur oportet, & qui qualeſque ſint eas qui frequentent, perluſtremus alacriter. Hiccine promiſcuus omnis populi confluxus? minime gentium: eorum duntaxat, qui in ſpem Eccleſiæ ſuis olim donis Propheticis inſerviendæ alerentur. Hanc vobis earum ideam formetis velim.

Con-

Concipite multos adeſſe in conventu auditores, quibus ceu moderator magnus quis præſit Propheta, qui in cathedra ſeu loco excelſo conſiſtens, ſuos ad pedes ſedentes habeat diſcipulos ipſum docentem audientes. Eſtne quiſpiam qui dubitet, ubi probè conſideraverit, quid hac in cauſa de Samuële, ſi non ejuſmodi inſtitutionum Propheticarum auctore primo, inſtauratore ſaltem celebratiſſimo, Sacra nobis tradit hiſtoria, *Najothis eum ſtetiſſe iis præfectum* Præſidem? Quæ ſimplex quidem eſt narratio, magni verò in rem noſtram momenti, qua ſtantem eum docuiſſe, eoſque direxiſſe liquido ſatis innuitur.

Ut hinc pateat ſuos certos quoſdam Prophetis fuiſſe diſcipulos, qui Divinæ voluntatis ſtudioſiſſimi, ab ipſis omni rerum ſacrarum eruditione inſtruerentur. Quos cum paterno animo foverent Prophetæ, cum diſcipulis unà ſæpenumero habitantes, eſtne adeo mirum hos ſuos idcirco Ductores gratiſſimo *Patris* titulo inſignitos voluiſſe diſcipulos, quo nomine Eliam Magiſtrum proclamat Eliſæus? Et quid plura? quæ ad manum cùm ſint addere in promtu eſſet, ſi ullam probationis partem in iis quæ produxi deſiderari viderem. Hoc unum obſervetis velim, nonne eadem in relatione horum auditores, quos Theologiæ candidatos mihi nuncupare liceat, paſſim audiunt *Prophetarum Filii*? quo *Filiorum* nomine dulciſſimo Paulus adhuc ſub Euangelio ſuum proſequitur Titum ac Timotheum. Nomenclationis rationem ſi rogetis, hanc dabunt Hebræorum Magiſtri, eum, qui alium docet, cumque ipſo ſententiam quandam

dam communicat, haberi ac ſi ipſum genuiſſet, quatenus iſtius ſententiæ auctor exiſtit. Unde vel ipſum Chriſtum, quando de *ſapientia* ait, *juſtificatam eam a Filiis ſuis*, hanc ad nomenclaturam reſpexiſſe, multi ſunt Eruditi qui non citra omnem rationem autumant.

Quò diutius autem hac in Schola verſamur, unum diſcipulos inter mihi videre videor Prophetæ Doctori ac Ductori familiarem magis devinctumque, obſequii non modò, ſed & quotidiana miniſterii officia jugiter ipſi præbentem; quique individuus ejus comes, in Scholis non tantùm perpetuus ipſius auditor, verùm extra eos quoque & domi & in itinere ſemper ejus familiari converſatione fruens, omnium quæ faceret doceretque Propheta auritus teſtis erat ac oculatus. Quod in cauſa quoque exiſtimem, cur hujuſmodi diſcipulus miniſter Domini ſui Doctoriſque dignitatis ac muneris ſucceſſor vulgò præ cæteris deſignaretur. Quod in Joſuæ reſpectu Moſis, nec non Eliſæi ratione Eliæ, ſuis Ductoribus ſuccedentium, exemplis obviis adeo palam eſt, ut veſtro otio abuteremur id ſi adſtruere vellemus.

Atque ita quidem Scholarum ſedes perluſtravimus: in iis hactenus conſtitimus: Præſidem Rectoremque conſpeximus: Diſcipulos contemplati ſumus: quibus oculorum ſatisfactum reor curioſitati. Quænam verò horum omnium utilitas? perexigua certè, ut non dicam, nulla prorſus, niſi & aures noſtræ, & per eas animus ſimul demulceatur. Quapropter & ordinis & loci ratio ſuadet, ne otioſi ſimus ſpectatores

tores duntaxat, at verò auditores ſeduli, attenti, dociles. Adeſte igitur, & ad ea hic quæ docentur aures veſtras arrigite. Quæ profectò exigua non ſunt, non terreſtria, non naturalia; ſed ſublimia quævis, ſed cœleſtia, ſed Divina plane. Immenſi operis foret ire per ſingula. Primum iſtud quidem eſt, quod totidem verbis Sacra nobis Pagina refert, ut ſacris odis docerentur celebrare Deum, voce non tantùm, ſed & tympano & tibia, aliiſque inſtrumentis. Hæc illa ſacræ Muſices peritia eſt, quæ ſi Artes Liberales inter olim habita fuerit a viris principibus, non eſt revera quod quis alienum putet, illam a noſtris quoque Prophetis eorumque diſcipulis excultam ſedulo: quæ in his tanta quidem fuit, ut ambitu ſuo univerſam illam rerum ſcientiam complecteretur, quæ ad ad Divinas laudes celebrandas facerent. Et quid, quæſo, ea non continet? Poteſtne hymnis ab ullo celebrari Deus, qui Divinas perfectiones, & admiranda illa in hujus mundi regimine opera, ſpeciatim quæ ſingularibus in caſibus erga Iſraëlem, ac in Eccleſia oſtendere placuit Divino Numini, non apprime perſpecta habet? Horum omnium cognitionem ſolidam poſſideat oportet, hæcque omnia ibi doceantur, quæ hymnorum Propheticorum illuſtre exiſtant argumentum.

Quod ita tamen intelligi nolim, quaſi hæc rerum cognitio Prophetam meum ſola perficiat: hæc nulla ſanè, niſi ardens ſimul adſit erga Deum voluntatis propenſio, erga cultum ejus ſumma veneratio. Ejuſmodi idcirco hìc ponebantur fundamenta, ea pie-

tatis ac virtutis docebantur officia quævis erga Deum & proximum, tota ſic Divini cultus ratio excolebatur, ut revera diſcipulos arte probos, probitate pios, pietate perfectè beatos hæ darent Scholæ.

At majora ſunt præterea hiſce in Scholis quæ addiſcebant. Non eſt otii noſtri, non negotii ad ſingula excurrere. Quod caput rei eſt tango, *CHRISTUM* puta, qui velut *UNICUM* illud erat *ET PERPETUUM ECCLESIÆ FUNDAMENTUM*, ita Scholarum Propheticarum doctrinæ argumentum oppido longè primarium. Hic, hic ille Meſſias, qui primis noſtris Parentibus primò revelatus, ſequentibus deinceps Patriarchis promiſſus, a Prophetis prædictus, per Legis ceremonias totque typos adumbratus, univerſæ priſcæ Eccleſiæ, jam inde ab initio & ſubſequentibus ævis, ſpei ſemper exſtitit ac exſpectationis objectum unicum: quæ promiſſio, quò erat major in iis quorum ſalutem conficiebat, eò majorem exigebat notitiam: hoc rei flagitat momentum. At verò quàm parcè hoc erga promiſſum Divina ſe exeruit revelatio prima? Plurima quidem ac infinita plane in Paradiſo manifeſtaverat clementiſſimus Deus; verùm quàm paucorum verborum circuitu univerſum Religionis negotium complexus eſt? Quod gradatim quidem explicuit magis ſequentibus ætatibus, variiſque modis delineavit; non iſthac tamen in perſpicuitate, quin multa adhucdum relinquerentur obſcura. Hoc igitur opus, hic labor erat, has ut promiſſiones Propheta Doctor, Spiritu agitatus Divino, fideliter ſuis explicaret auditoribus,

ribus, ceremonias typoſque evolveret, cunctaque quæ minus clara illuſtraret, *ſcrutans in quod & quale tempus, prænuntius ille ſpiritus ipſius Chriſti, qui in Prophetis erat, declararet eventuras Chriſto perpeſſiones, & gloriam illas conſecuturam.* Ita ut Propheticæ noſtræ Scholæ Profeſſores hanc ſibi legem ad unum omnes fixiſſe videantur, ut ſermonum ſuorum initium & finis unus eſſet Chriſtus.

Hæc cùm tot & tanta ſint his in Scholis quæ docerentur, ipſi judicetis, Audd. (intelligentibus loquor) quàm præclarâ ibi rerum cognitione imbuerentur Diſcipulorum animi, qui hiſce præparati exercitiis ſic Legem Divinam non modò, ſummum Deum erga ac proximum amorem exigentem, ſed & fidei Myſteria quævis populum Iſraëlem docere poſſent; & inſigni quadam cum auctoritate. Et quamvis nullus credam, omnes in univerſum hoſce Prophetas eorumque Diſcipulos Divino ita Spiritu actos, ut Vates arcanorum ac futurorum exſtiterint; id nihilominus ſatis ſuperque conſtare putem, adeo hæc pietatis exercitia grata fuiſſe Deo, ut multos tamen hiſce ex cœtibus futurorum cognitione dignatus fuerit. Nec deſunt haud citra veriſimilitudinem opinantes, extraordinarios quidem Prophetas, illuſtrioribus in caſibus, ex quavis hominum conditione a Numine ad populum miſſos; ordinarios verò continuatâ ſeculorum ſerie in Iſraële exiſtentes hiſce ex Scholis delectos. Quod cùm vulgò obtineret, meritò ab Eruditis hac in parte annotatur, huc referendum eſſe quod de Amozo ad Propheti-

cum munus præter morem ſolitum vocato memoratur, non fuiſſe eum *Prophetam*, cœtus iſtiuſmodi Præſidem puta; nec *Prophetæ Filium*, in Scholis ad Propheticum munus inſtructum; ſed *bubulcum*: quem tamen *aſſumſerit Deus, ut Prophetam ageret penes Iſraëlem.* Id ſaltem negaverit nemo, has Scholas Eccleſiæ Iſraëliticæ fuiſſe ſeminaria nobiliſſima, collegia ſapientiæ cœleſtis, cœtus Religionis, promtuaria pietatis, ex quibus prodiiſſe videntur celebres iſti viri, Nathan, Gad, Heman, Aſaph, qui Samuëlis creduntur diſcipuli, aliique plures, qui iſthoc ævo ac ſequentibus in Eccleſia Dei florentes, *Videntium* titulo in ſacris ſæpenumero inſigniuntur.

At diu ſatis nos hæ Scholæ occupatos tenuerunt; Prophetas docentes audivimus: exeundi nunc hora adeſt, vocamurque ut cum Prophetis eorumque Filiis foras egredientes, quid extra ſuas illi Scholas egerint indagemus. Ita probè Eccleſiæ miniſterio adaptati Viri Dei Regionem Canaïnæam quaquaverſum peragrant; alias, quas hic illic Scholas offendunt, viſitant; Iſraëlem in urbibus pagiſque publicè erudiunt; & ſingulorum vitia corripientes, nec ipſis quidem Regibus viriſque principibus parcentes, Legis tranſgreſſoribus ſevera Dei judicia interminantur.

Et ſic publici quidem exſtabant Doctores: quod tamen non impedit, non minus & privatim omnem eos operam fidelem navaſſe, ut qui domi ipſos convenirent, eos Divinam edocerent voluntatem, ad interrogata reſponderent, obſcuriora illuſtrarent, typica

pica evolverent, dubia ſolverent, in rebus anxiis conſulerent: verbo ut dicam, omnia facerent quæ Prophetarum eſſent, & eapropter honorifico primorum populi Doctorum ac Prophetarum titulo non immeritò honorarentur.

Quæ omnia cùm repeto, nullus dubitârim quin felicem mecum eam gentem prædicetis, cui tales penes ſe Prophetas, tales Scholas habere datur: ſed feliciorem oppido ubi ſemper ſunt & multiplicantur. Quocirca ſumamus animos, ut ad iter accincti Palæſtinam terram denuo perluſtremus, haſque inviſamus Scholas, ubinam illæ locorum fuerint præcipuè, quì multiplicatæ, & quamdiu duraverint.

Davidis ac Salomonis, ſummorum Principum, temporibus, quando ad maſculum ſuum robur & virilem ætatem Reſpublica pervenerat, & poſt illa, has publicas Prophetarum Scholas maximè floruiſſe, nemo eſt, opinor, qui ignorat. Non eſt quod ideo quis credat nullas ante ea exſtitiſſe prorſus. Pauciores quidem, fateor, fuerunt, & minus obviæ; ita tamen ut quaſdam fuiſſe ex iis, quæ in prioribus diſſerui, clarum autumem; quæ nonnunquam rariores, *ſedente multis diebus Iſraële abſque verò Deo, abſque Sacerdote docente, abſque Lege*, Samuëlis in primis ætate ac deinceps magno reductæ numero, in Judæ tribu & Benjaminis non tantùm obtinuerunt, ubi ipſum Templum & Synedrium magnum, univerſæ Gentis quaſi Schola publica, licet hac de cauſa earum minor ibi mentio fiat; verùm & ſimul in decem tribuum, quà latè patuere fines, ditione Iſraëlitica.

Horum enim temporum ubi hiſtorias perpendo, quot nobis iter conficientibus Prophetarum Scholæ occurrunt in urbibus & deſertis, ad arces exſtructæ & colles, in Carmele monte aliiſque, Eliæ præſertim ac Eliſæi ætate, quando Filiorum Prophetarum numerus adeo in immenſum auctus fuit, ut nonnunquam ſimul cohabitare nequirent, aſt alias inſuper ſedes quærere neceſſe haberent.

Nec difficillimis quidem ac idololatricis temporibus has Scholas defuiſſe, quamvis deliteſcentes magis, teſtis ille pius impii Achabi Regis aulæ præfectus Obadias, qui exſcindente Jeſabele Regina Prophetas Dei, centum ex iis abſcondidit ſuſtentavitque; non tam publicos ac in populo ordinarios, ſed, uti credibile, Prophetarum Filios, hiſce è Scholis prodeuntes. Immo vel ipſos ordinarios Prophetas plures, qui in Judâ & Iſraële munus obiêre ſuum, harum Scholarum diſcipulos exſtitiſſe, ex antedictis mihi facile perſuaſerim. Quod ſi ſit, & illud, uti credo, mihi dabitis lubenter, quamdiu in illa gente fuerunt Prophetæ, has Scholas ad ultima quoque excidii tempora ibi perduraſſe, uſque dum in captivitatem Aſſyriacam decem primò tribus, deinceps in Babylonicam reliquæ duæ tranſportatæ fuerint.

Univerſâ verò collapſâ, Iſraëlitarum Republicâ, quæret veſtrûm quiſpiam fortaſſe, an non in ipsâ illâ captivitate ſuas denuo aperuerint Scholas Prophetæ? Non equidem inficias iverim & ibi adfuiſſe Prophetas, in populo verſantes docenteſque; ſuas autem illos has continuaſſe cum diſcipulis Scholas, ejus nec vola nec veſti-

veſtigium in Sacris occurrit. Contrà verò inter Eccleſiæ Iſraëliticæ Lamentationes & hæc exſtat querela, vel *ipſos*, juxta Divinam comminationem, *Prophetas nullam a Deo viſionem habere præſentem*; quid Scholas illi erexiſſent in terrâ inimicâ?

Et ne veſtrâ abuti videar patientiâ, hoc unum modò mihi addere liceat, vel poſt captivitatis reductionem in ipsâ Canaäne has nunquam denuo inſtauratas Scholas. Jactat quidem Hebræorum gens magna quæque de Synagoga magnâ, quod collegium centum & viginti membris conſtitiſſe, conſtans eſt ac unanimis Judæorum traditio; cujus præſes ac moderator ſummus exſtiterit Ezras, cui interfuerint principes quivis ex omni populo viri, non modò Zerubbabel Dux, Joſua Pontifex, Nehemia Princeps; verùm & Haggæus, Zacharias, Malachias Prophetæ, Dei Spiritu fallere neſcio a ſummo Numine inſigniti, ordinem ut rebus Sacris Publiciſque moderandis conſtituerent. Nemo tamen animum inducat ſuum Scholas eos Propheticas, quales deſcripſimus hactenus, denuo erexiſſe. Et quid pluribus opus? Etenim, non ita diu pòſt evenit, ut ipſi quoque ceſſârint Prophetæ. Ita ut, tradentibus ad unum omnibus Rabbinis, nullus poſt Malachiam Propheta in ſua gente ſurrexerit. Quod cùm in confeſſo ſit, quid, quæſo, certius eſt, quid evidentius, quam horum ſimul ceſſaſſe Scholas?

Quid igitur? nullaſne poſtea amplius Scholas habuit populus Judaïcus? Immo vero: harum hanc habete rationem. Ceſſantibus poſt captivitatem Prophe-

phetis, ipſorum deinceps Scholis, quas *Expoſitionis Domus* nuncupare amant, Sapientes ſeu Rabbini præfuerunt. Quo in ſtatu ad ultima Reipublicæ tempora, immo hodiernum diem, permanſerunt. Qui verò ſolùm *Prophetarum* nomine olim inſigniebantur, a temporibus Synagogæ magnæ *Prophetarum* non modò, verùm & ſuperbis eos *Seniorum*, *Segregatorum a promiſcuâ plebe*, *Dominorum Congregationum*, *Sapientum*, *Rabbinorum*, *Patrum*, *Scribarum*, aliiſque titulis condecoratos fuiſſe in Republicâ Hebræorum, harum rerum pulchrè callentibus conſtat. A quo tempore & alia quoque Scholarum, inſtar Academiarum, facies, alia inſuper Diſcipulorum conditio. At hic ſubſiſto; cùm de iis impræſentiarum nobis dicendi locus non ſit, nec inſtitutum.

Habetis hactenus, A. O. hiſtoricam Scholarum in Iſraële Propheticarum rudem delineationem; ex qua tamen collectu facile eſt, quàm ingens fuerit, & major quàm ut dici queat, earum præſtantia ac utilitas. Quaquaverſum enim oculos conjicimus, præclara apparent omnia, maxima quævis ſunt ac Divina prorſus, quæ in ſummam nos rapiunt admirationem. Si harum quippe Scholarum Fundatorem conſideremus primarium; Deus eſt. Si earum ſub ſummi Scholarchæ auſpiciis Rectorem ac Moderatorem; venerabilis ille ab ipſo Deo excitatus Doctor ac Propheta, inſtitutione ac miraculis in populo clarus. Si Diſcipulos; inſignis Deo ſacrata juventus, quæ in ſpem ſummam alitur miniſterii Sacri. Si ipſam tandem

dem doctrinam; cœliſtis ea eſt, quæ ad ſupernam Cœli ſuperficiem ſe non tantùm extendit, ſed ipſos quaſi Cœlos perrumpens facem ſuam in infinita ſummæ ac Cœleſtis Sapientiæ luce accendit; cujus flammâ cùm Deum ipſum, Ens nobiliſſimum ac perfectiſſimum, tum in Deo omnia alia cognoſcere datur. Res autem præcellentiſſimas cognoſcere, & eo quidem ordine, quô eas intelligit ipſe Deus, quid pulchrius? quid dignius? quid præſtantius? Taceo ea, quæ in explicandis promiſſis, referandis ceremoniis, applicandis typis, ad Chriſtum ſpectant. Certè, ſi ab objecto doctrinæ commendatur præſtantia, eſtne ullum Chriſto dignius, qui Eccleſiæ Redemtor, qui Dei Filius, qui Deus ipſe, qui ſumma inſuper Sapientia, in quo omnes ſapientiæ theſauri reconditi? Si præterea Antiquitates rimari juvat, ſi primas rerum noſſe origines, incertas adeo, & vix, aut ne vix quidem, abſque ſummo labore comparandas; nonne multo excellentius ac utilius Meſſiam his in Scholis inde a primâ mundi origine, ab ultimâ antiquitate, indagare, eumque reperire certo? Immo, quod magis eſt, vel in ipſam adſcendere æternitatem, ibidemque pervidere, quid ante jacta mundi fundamenta pactum fuerit iſthoc Pacis in conſilio Patrem inter Filiumque, quando *Eccleſiæ* ille datus ſit *FUNDAMENTUM UNICUM AC PERPETUUM?* Atqui hæc ea ſunt quæ hiſce in Scholis doceri placuit clementiſſimo Numini, quorum dignitas undequaque adeo ſplendet, ut in iis præcellentiſſima pars ſita ſit

ſcientiæ Divinæ. Amplius dicam: hic ea addiſcebatur doctrina, quæ alterius quoque vitæ pabulum eſt ac fulcrum tutiſſimum, ſuoſque tandem cultores æternæ beatitatis participes reddit. Alias idcirco Scholas frequentaverint alii; at Propheticis nomen ſuum ſi quis dediſſet, ibi profecto offenderit cuncta, quæ fruſtra quæruntur alibi, reperiuntur nuſpiam.

Eat nunc, & ſuas jactet Scholas docta olim Græcia, ſuas univerſa Philoſophantium turba, quas veterum Philoſophorum cum illis noſtrorum Prophetarum in nonnullis non malè omnino quis comparaverit. At quam immenſum tamen diſcrimen apparet! illarum Fundatores homines; harum Deus. Illarum Duces Philoſophi; harum Prophetæ. In illis ſcrutati ſunt, quæ ad naturæ abdita ſpectant, primaſque veritates hominum animis inſcriptas; in his cœleſtem tradiderunt ſapientiam in myſterio Dei Patris & Chriſti conſiſtentem. In illis ea docebantur, quæ ad ſeculi hujus mores pertinebant; in his verò quæ in omnem ſe extendunt æternitatem. In illis ſapientiæ ſtudioſi inſtructi fuerunt ad præclara quævis, præſertim in Republica, peragenda; in his devoti Deo juvenes adaptati in miniſterium præ primis Eccleſiæ aſſurgentes. Hæc omnia ubi ſeriò revocantur ad animum, eſtne quiſpiam qui non ſibi perſuaſerit ingentem eſſe, & majorem, quàm ut verbis exprimi poſſit, Scholarum Propheticarum dignitatem utilitatemque?

O felicem ſanè gentem Iſraëliticam, & multis nominibus prædicandam, cui ejuſmodi quondam Scho-

las

las habere indulſerat Divinum Numen! At feliciorem, eas ſi ſedulò frequentaſſet! Immo verò omnium feliciſſimam, ſi illas in perpetuum conſervaſſet! Aſt harum, vel a bis mille annis & quod excurrit, penes Judæos nec vola nec veſtigium remanſit: ita ut revera nunc ſedeant abſque vero Deo, abſque Propheta docente, abſque Lege; omniaque Prophetiæ verba ipſis facta ſint voluminis obſignati inſtar, quod legi nequeat. Habent ſuas quidem & hodie inſtitutiones, verùm a prioribus longè diverſas: non Scholas; ſed domus expoſitionis: non Prophetas; ſed Rabbinos: non doctrinam cœleſtem ac Divinam; ſed hominum nugacium traditiones ac inſtituta arbitraria. Et tantum abeſt, ut pacis ibi Spiritus præſideat, ut aliud quid vix offendas quàm jurgia, quàm lites, quàm contentiones, quibus magno animorum fervore de rebus nihili utrimque diſceptetur.

Quæ rerum mutatio Judæis ingenti damno, magno nobis decori eſt. Eſt enim cur noſtræ Patriæ gratuler, quod in eâ ejuſmodi aperiantur Scholæ. Quod quando ajo ita intelligi nolim, ac ſi in omnibus exactam urgerem paritatem; nulli quippe ſunt amplius donis acti extraordinariis Prophetæ: quicquid datur, commune Spiritus donum eſt. Hoc, quod facile mihi dabitis, intendo duntaxat, non unam obtinere has inter illaſque convenientiam. Si Fundatorem illæ Deum habuerint; ſi Rectorem Prophetam; ſi Diſcipulos præſtantes juvenes in ſpem Eccleſiæ alendos; ſi doctrinæ objectum, præter Muſi-

cam ſacram aliaſque Artas Liberales, cœleſtem in primis ſapientiam; perpendite quæſo, num horum quippiam ſit, quod non in noſtris Scholis, noſtris in Academiis reperiatur?

Et quid opus eſt verbis ubi rerum teſtimonia adſunt? Ut alias in Patria noſtra taceam, hanc in Academiam oculos animumque convertite, quæ in libera Republica a piis Majoribus, non abſque Numine, prima exſtructa, hucuſque ſtetit incolumis, floretque in hodiernum diem. Si enim præteriti temporis memoriam recordamur, & maxima illa nomina quibus hæc noſtra continuò Schola ſuperbiit, quot & quantos (ut præſentes quos coram contemplamur taceam) viros præcellentes vidit & coluit, qui ex hac ipſa cathedra, qui ex aliis ejuſdem Gymnaſii docentes, ſua eruditione hanc Academiam non modò illuſtrem reddiderunt, verùm ſe quoque juxta illam, toti, quà patet, orbi literato commendarunt, commendantque etiamnum? Non omnes, quod largior, Prophetæ ſunt, quales olim; non Auditores ſinguli Prophetarum Filii; non noſtræ Spiritus fallere neſcii donis Scholæ gaudent; at verò rem ipſam ſi ſpectetis, hic omnigenæ prorſus ſapientiæ aperitur janua. Si quem enim humanæ ſapientiæ capiat deſiderium, ſi quarumvis Diſciplinarum Liberalium, ſi denique ipſius Divinæ ac Prophieticæ, nonne hæc ea noſtra eſt Schola, quæ omnem illam cultoribus ſuis abundè ſuppeditat?

Quæ omnia ut rite peragantur ac ordine, & hic Rectori ſingula moderanti ſuus locus eſt ac dignitas; a cujus ductu præſidioque dependent tot egregii juvenes,

venes, qui (de Patria dicam an Eccleſia?) bene merentes in perenne aſſurgunt hujus Academiæ decus. Nec ii duntaxat ex noſtro hoc Belgio oriundi, ſicut in Palæſtina natos Scholæ olim Propheticæ ſolos recipiebant; ſed & quarumlibet Nationum exteri nobiliores: ita ut omnes qui Belgium, tanquam veræ Dei Eccleſiæ ſedem amore proſequuntur, ſimul & Leidam, nec non noſtram in eâ Scholam revereri, colere, ſummiſque laudibus extollere teneantur.

Quæ cùm ita ſint, Audd. Orn. eſtne veſtrum quiſpiam, quem Scholæ hujus non tenet amor deſideriumque? Sanè quod olim de Sapientia dixit nonnemo, tantam ejus eſſe pulchritudinem, ut ſi modo oculis ea conſpici poſſet, incredibilem hominum multitudinem ad ſui pelliceret amorem; id jure de Scholis Propheticis, de hac noſtra dixerim, ubi non ejus modò undequaque pulchritudo eluceſcit atque nobilitas, verùm & utilitas & ſuavitas de palma certare videntur.

Dubitatis? non id in veſtra poſitum poteſtate, præſtantiſſimi Juvenes, qui hujus Scholæ membra egregia mihi veſtris jam cogitationibus præcurrentes taciti aſſenſum præbetis. Ad Vos itaque me converto, quotquot ſtudiis hic litantes hanc Scholam frequentatis, vel in ſpecie Prophetarum Filii auditis. Finem hic dies imponit honeſto Recturæ oneri (ita mihi fari liceat) & oneroſo ſanè honori, quem ante annum non abſque ſollicitudine ſuſceptum, ſuo nunc legitimo tempore lætabundus depono. Et eò quidem lætior, quod de infelicibus ac acerbis adeo calibus, nunquam

pòſt perpetrandis, publicè conqueri neceſſe non habeam, quod præterito anno nonnullis dedecori, ſic vobis omnibus nunc laudi eſt, atque exiſtimationi ſummæ. Eſt idcirco quod Vobis, quod Academiæ, quod mihi ſummopere gratuler, hac ſub Rectura noſtrum Vos exſtitiſſe gaudium, priſco Scholæ noſtræ reſtituto honore.

Antequam verò hoc Sceptrum deponam, Vos, Lectiſſimi Juvenes, ſeriò monitos velim, ne Vobis ipſis deſitis; at verò hujus Scholæ, ceu Almæ Matris, Vos tanquam liberos in ſinu ſuo adeo clementer geſtantis, decora exiſtatis præcellentiſſima. Quod facietis, ſaluberrima ſi hujus Scholæ præcepta obſervetis. Adeſte igitur, præclari Juvenes; adeſte, hanc Scholam omnes frequentate diligenter, & Propheticam in primis Vos, qui Deo ejuſque miniſterio devoti eſtis. Addiſcite hic cuncti, quæ docetur, ſcientiam. Quid moramini? examinate, ſitne veſtrâ quid inquiſitione ſeriâ dignius, quàm omnimodam hic ſcientiam rimari, pernoſſe, poſſidere? Et quid etiam utilius, quid jucundius? Haud utique vobis otioſis eſſe licet, nec poteſtis quoque. Semper enim operantur, ac continuo in actu ſunt cogitationes. Quibus idcirco rebus eas occupatas tenebitis melius, quàm iis Divinis humaniſque ſcientiis, hac quæ in Schola addiſcuntur, contemplandis, ex quibus multiplices Vobis & Veſtris, Reipublicæ ac Eccleſiæ, fructus redùndaturi ſunt? Et tanto quidem copia majore, quanto majore cum diligentia ac ſedulitate hanc Scholam frequentaveritis? Quique ita omne profectò tuleritis punctum, qui miſcueritis utile dulci?

Et

Et quibus repertis, quàm geſtietis ipſi? quàm exſultabitis? quàm triumphabitis?

Et hæc quidem ea ſunt, quorum Vos, omnium Diſciplinarum Doctores Præſtantiſſimi, qui hac in Schola fidelem ſtudiis operam navaſtis, emolumentum locupletiſſimum reportatis. In primis & vos, Viri Reverendi, Symmyſtæ in miniſterio ſacro conjunctiſſimi, qui Prophetarum olim Filii, nunc ipſi Prophetarum inſtar in Eccleſia, quam Scholam Dei facitis, ſancto ejus populo Vatum oracula panditis.

Quo autem ſermonis alloquio ad vos mea ſe convertet oratio, Profeſſores Celeberrimi, Collegæ maximè honorandi! Vos, Vos ii eſtis, qui quique ſuo in Auditorio omnes exiſtitis lumina ſplendidiſſima, quibus hæc noſtra colluſtratur Schola: qui, uti ad Tabernaculi exſtructionem ſua quiſque quondam conferebat, ſic & ſuum Veſtrûm quiſque ad exornandam hanc Scholam Propheticam; in qua hoc anno ſummum Magiſtratum dum geſſi, vos mihi omnium Veſtrûm ætate licet ac experientiâ longè minori, omnem honorem, obſervantiam omnem exhibuiſſe, gratus agnoſco; ita ut nulla inter nos exorta fuerit contentio, ſimultas nulla. Si quid autem vel me invito fortaſſis omiſſum fuerit, id implebit facile Celeberrimus *VOETIUS*, Legum Divinarum juxta ac humanarum peritiſſimus, cui hos lubens faſces trado. Pergite, quod facitis, hanc Scholam veſtra pietate ac eruditione, quæ velut oracula, ſua quiſque ex Cathedra, tanquam ſacro quodam Tripode, funditis, indies celebriorem reddere.

De-

Denique liceat mihi & Vos compellare, Illuſtriſſimi Curatores, Voſque eorum Collegæ, Urbis hujus Conſules Ampliſſimi! Veſtrâ curâ prudentiſſimâ his in Scholis omnia geruntur: quas ſub tantis Viris vigere, Vobis debemus: ex quibus duos, eheu! hoc meo anno ad ſe vocare Divinæ providentiæ viſum; Theologum Venerabilem WITZIUM alterum; alterum expertiſſimum Botanicum HOTTONUM. Quod inſtaurare damnum ſolitæ veſtræ erit ſapientiæ, cui juxta ac favori veſtro hanc porro Scholam omnem commendo.

Tu verò, Triune Deus, ut Reipublicæ, ſic Scholæ noſtræ Stator atque Rector ſupreme! hanc in perpetuum Nomini tuo ſacram eſſe jubeas, quam ita regas, cui ipſe ita præſis, ita Prophetarum Filiorumque eorum, nec non quorumcunque Docentium pariter ac Diſcentium ſtudiis benedicas, ut tam his, quam illis Spiritu tuo colluſtratis, ex hac quotidie Schola prodeant Viri Te, Eccleſia, & Republica digniſſimi; ut hac ſtante Scholâ ſtet Hollandia univerſa. Donec omnes in cœleſtem Scholam tranſlati, in æternum Chriſtum Prophetam ſummum ac Doctorem unicum habeamus. O TERQUE QUATERQUE BEATI, QUI CONTINUO CORAM FACIE EJUS STANTES, IPSIUS SAPIENTIAM AUDIUNT!

DIXI.

FRAN-

FRANCISCI FABRICII
ORATIO
DE
SCRIBA EDOCTO IN REGNO COELORUM.

DICTA PUBLICE

Cum Rectoris Academiæ Lugd. Batavæ munere fecundò abiret.

A. D. 8. Februarii, Anni MDCCXVII.

Digitized by Google

FRANCISCI FABRICII
ORATIO
DE
SCRIBA EDOCTO IN REGNO COELORUM.

AJunt, qui omnium omnis ævi Sapientum ſententias curioſius ſectantur, nullum eſſe tam certum, tam ab omnibus receptum nullum, quam vetus iſtud verbum: *Pulchrum eſſe, quod utile eſt.*

Neque verbum quoque hominum ſolum; nam & ipſe Deorum ille genitor hominumſator, quem Gentilium Theologi paſſim *Optimum* deprædicant & *Maximum*, ſic judicaſſe fertur: *Niſi utile eſt, quod facimus, ſtultam eſſe gloriam.*

Perinde Hebræorum etiam Magiſtri, omnis ſcientiæ, quâ patet, hoc ponunt fundamentum: *Omnia* tandem *ad opus*, omnia ad uſum referenda eſſe.

Quin & ipſe Gentium ille Doctor, qui non Gamaliëlis adeo præceptis, quam ipſius Jeſu Chriſti revelatione eruditum ſeſe gloriatur, omnium ſcientiarum artiumque, omnis etiam negotii atque operis honorem, pretium, decus ex utilitate illa æſtimandum tantopere cenſuit, ut ea demum loquendi agendive

dive *dona* pro *optimis* habenda ac quærenda ſcribat, quæ maximam Eccleſiæ præſtant utilitatem; pro *pudendis* verò omnia acta & dicta, ex quibus nullus auctori ſuo enaſcitur *fructus*.

Rectè profectò! Etenim, etiamſi pulchrum vulgò videatur multa poſſidere, ſcire multa, ad quæ ſibi comparanda, plurima, eaque graviſſima, ferre quis debet atque facere, ſudare & algere, quid tamen, ſi rectè putemus, verè boni, pulchri, aut glorioſi, quæſo, in hiſce ſitum, ſi nulla inde utilitas vel ad poſſeſſorem ipſum, vel ad alios redundet, vel ipſum illud ejus ſcire ac habere, hoc non ſciat itidem habeatque alter? Nihil, credo; prorſus nihil. Solius quippe, & *omnis Boni* ea natura eſt atque indoles, ut *ſui ſit communicativum*; tantoque magis communicativum atque ſalubre, quò magis puriuſque Bonum eſt.

Deum conſiderate, Audd. qui, uti omnium entium, quæ ſunt, pulcherrimus eſt ac perfectiſſimus, ita non ſibi ſolſ duntaxat ſuam ſervat beatitatem; verùm ex ea, tanquam inexhauſtæ copiæ cornu, largo flumine omnia effundit, quæ cæteris omnibus entibus, ſed creatis, ſed egenis, immo peccaminoſis etiam, atque æterno devotis exitio, ad ESSE, ac BENE ESSE conducunt & ſufficiunt.

O pulchra ergo, atque ſola pulchra illa ſapientia, quæ ad *doctrinam utilis*, & *admonitionem*, & *refutationem*, & *inſtitutionem in juſtitia* denique, *hominem Dei* perficit, & *ad omne opus bonum conſummatè inſtruit! O pulchri* verè *in montibus pedes* eorum,

rum, qui hocce *Bonum nunciant!* Quæ enim poteſt ſcientia, quæ ars eſſe pulchrior, aut magis decora, quàm quæ ex limpidiſſimo Revelationis Dei verè *Optimi Maximique* fonte dimanans, hominem perditum vivum faciat, atque *creſcentem* ita *in gratia & cognitione Domini atque Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*, ut *frugifer* non tantùm *in omni bono opere* fiat, ſed & *fons* ipſe *aquæ ſalientis*, & ſibi & aliis, *in vitam æternam*; hoc eſt, & in gratia, & in gloria conſummandum?

Quæ verò in meæ ſic Orationis limine ſum præfatus, Audd. omnium Ordinum Spectatiſſimi, eò faciunt, ut, cùm rectà tendant ad ſcopum nunc mihi propoſitum, nexum unà cum iis habeant, de quibus olim hoc ipſo ex loco ad vos verba feci. Undecim quippe, & quod excurrit, ſunt anni, ex quo primùm hanc cathedram conſcendens, de pulcherrimo apud Vos argumento diſſerui; CHRISTO nempe, UNICO AC PERPETUO ECCLESIÆ FUNDAMENTO. Argumento ſanè, quô, uti nullum aliud erat utilius, quippe abſque cujus vel cognitione, vel fide, nemini ſua unquam ſalus conſtat; ſic nullum mihi videbatur pulchrius: nullum quoque aut veſtrâ tunc in ſacro hocce Auditorio, aut meâ deinceps in Scholis ſacris, quà publicis, quà privatis, interpretatione atque ſtudio magis dignum. Hoc itaque argumentum, uti ex eo tempore ſedulo omnibus viribus pertractandum mihi ego ſumſi, cujus rei paginæ, quas cùm maximè jam jam edo, fidem facient; ita, ubi ante octo annos faſces etiam hujus Scholæ

Academicæ mihi deponendi erant, PROPHETARUM ego SCHOLAS Vobis aperui, audituris, quàm illic Viri Dei, Spiritu Divino acti, hunc CHRISTUM ſuos fideliter diſcipulos edocerent, clarè explicarent, impenſe commendarent, quàmque Eccleſiæ illius temporis conſulere ſe putarent, dum cognitione Meſſiæ ſuo adfuturi tempore ſuos inſtruunt.

Cùm verò in eo nunc ſim, ut hac ipſa die iterum mihi publicè, eâdem loci atque temporis circumſtantiâ, in hac ampliſſima Virorum Eruditorum corona, dicendum ſit, animus eſt impræſens diſcipulum ex his PROPHETARUM SCHOLIS evocare, vobiſque exhibere, qui, poſtquam diligens auditor ibi ſederit, multaque addidicerit ad Veterem illam Dei in Eccleſia OEconomiam ſpectantia, nunc porro in Scholas Euangelicas tranſcriptus, atque variam ibi eorum, quæ ad Regnum Chriſti ſub Novo pertinent Teſtamento, inſuper adeptus cognitionem, in eorum communicatione ad multorum utilitatem atque fructum, Eccleſiæ melioris ævi SCRIBAM ſeſe præſtet, EDOCTUM IN REGNO COELORUM, QUI EX THESAURIS SUIS VETERA PROFERT ATQUE NOVA.

En Vobis, Audd. perfectiſſimam Theologi omnibus numeris abſoluti delineationem! En ſimul argumentum, quod nec a mea profeſſione alienum eſt, nec, quemadmodum ſpero, hoc Auditorio ingratum erit! Quamvis enim prima fronte eos tangere ſolùm videatur, qui SCRIBARUM inſtar, quales

Vo-

Vobis modò deſcripſi; qualem & ego, pro donorum meorum modulo, SCHOLÆ huic atque ECCLESIÆ exhibere me allaboro, ANTIQUARUM NOVARUMQUE RERUM, AD DEI REGNUM pertinentium, ſcientiam EX THESAURIS a ſe prius conquiſitis, muneris cauſâ DEPROMUNT, & in aliorum quoque uſus elargiuntur; Chriſtiani tamen hominis eſt officium, quiſquis demum ille ſit, ut theſaurorum illorum particeps fiat, & ipſo dictante Chriſto, *cognoſcat Patrem unicum illum verum Deum, & Jeſum Chriſtum, quem ille miſerit, ſi vitam æternam videre cupiat*; quam videre tamen cupiunt omnes atque ſinguli. Cùm itaque omnium interſit hac in parte eruditi, adeſte Audd. ad modicum tempus adeſte, atque auribus & animis favete dicenti.

Peccato in mundum introducto, homineque ſic a communione Dei beatifica ſeparato, tenebræ pluſquam Ægyptiacæ in ejus mente obortæ ſunt; uſque eò, ut medium non tantùm planè ignoraret, quo in gratiam denuo cum ſuo Creatore redire poſſet; ſed & ejuſdem omnino inſcius manſiſſet in perpetuum, niſi benigniſſimum Numen melius quid ſuper eo providiſſet. Revelavit itaque, quâ eſt bonitate, homini Verbum ſuum, quod, ne vel corrumperetur, vel oblivioni traderetur, ſcripto conſignari curavit, non periturum unquam ad ſeculorum uſque conſummationem. Hujus Scripturæ ſuæ Prophetas ſuos conſtituit, ut ita dicam, Actuarios & Amanuenſes fideliſſimos; quorum autographa ex ipſius Dei ore hauſta, Spirituſque S. inſtinctu literis exarata, ipſam Divi-

Divinam complectebantur Revelationem, omnem illam credendorum & agendorum normam certiſſimam ac abſolutiſſimam.

Atque hi quidem, ſtrictiſſimo tituli in emphaſi accepti ſenſu, SCRIBÆ per excellentiam, aut plenius cum epitheto, SCRIBÆ DEI dici poſſent, ſi modò viſum fuiſſet Spiritui S. hac iſtos ratione denominare a *Scriptura*, & non potius a *loquela* ſua dicere eos נביאים / quaſi dicas *Præcones*, ſive, uti in Novo Teſt. exſtat, Κήρυκες, ἢ Αποςόλους, Προφήτας, & aliquoties τὰς Λαλήσαντας, ſive τὴν Προφήτειαν, ſive τὸν λόγον τᾦ Θεᾦ.

Jam verò ſignificatione latiori hoc nomen uſurpatum eſſe deprehendimus. SCRIBÆ enim, quod Oratio noſtra præfert, nomine, tanquam honoris titulo olim inſigniebantur illi, qui Senatui, aut Magiſtratui cuipiam a manu erant & actis, illorumque munus in eo verſatum fuit, ut edicta publica aliaque ſcriberent, legerent, & cuſtodirent. Inde Γραμματεῖς, & SCRIBÆ dicebantur: *quod multo* tamen (Corn. Nepote teſte) *apud Grajos honorificentius* erat, *quam Latinos. Apud illos* enim *nemo ad id officium admittebatur, niſi honeſto loco, & fide & induſtria cognita: quod neceſſe eſſet omnium conſiliorum eum eſſe participem.* De quibus hic loci latius dicere nil attinet.

Inter Judæos etiam eodem nomine certus veniebat hominum ordo, magnæ profectò ibi dignitatis; qui hoc titulo condecorabantur, non tam quòd vel ſcripta Prophetica deſcriberent ipſi; vel apographa, ſive

ſive ſua, ſive aliorum, cum priorum autographis conferrent; populique ſic quaſi Notarii eſſent atque Actuarii publici; quàm quòd Moſis Vatumque oracula explicarent, ad illa ſuos quoque commentarios conſcriberent, adeoque Eccleſiæ Iſraëliticæ Doctores, Scripturæque apud Judæos Sanctæ Tractatores eſſent primarii. Quo nomine in ſupremi etiam Judaici Senatus conſeſſum allegebantur, ut lite de Legis ſenſu oborta eam coram Judicibus explicarent. Deſumebantur hi vulgò ex Simeonitis, præcipuè autem Levitis, qui per totum Iſraëlem diſperſi, & ex primitiis & decimis viventes, facilius ita Literarum Sacrarum interpretationi ubivis in illa gente vacare, ſeque totos tradere poterant.

Hoc ergo ſenſu SCRIBA hic mihi eſt S. Scripturæ Doctor, Explanator, Interpres & Tractator. Non Propheta ſolùm, Apoſtolus, aliuſve extraordinarius Eccleſiæ Miniſter; ſed, quicunque demum ille ſit, ordinarius quivis Dei diſcipulus, hominumque Doctor: non Judæus tantùm, neque è tribu Levitica, aut ad Legem Moſis duntaxat, vel Prophetarum volumen alligatus; ſed Chriſtianus ille, ſed è quavis gente, ſed Euangelium conjungens cum Lege, Chriſtum cum Moſe, Apoſtolos cum Prophetis: talis, inquam, qui EDOCTUS EST IN REGNO COELORUM.

Ita vulgò a natura cum homine comparatum eſt, ut nemo docere queat, qui non antè didicerit ipſe. Mens enim multarum præſtantiſſimarumque rerum per ſe ignara, peccato inſuper obtenebrata & vaga

oberrans, doctorem ductoremque requirit. Talem verò frequenter ſe præbuit olim, quâ eſt erga genus humanum clementia, Deus ipſe, vel intellectui Virorum ſanctorum, ſive vigilantium, ſive dormientium, varias rerum ideas imprimendo; vel viva etiam voce eos alloquendo; vel aliis quoque modis eos de ſua edocendo voluntate; uti, teſte Paulo, πολυμερῶς non tantùm, ſed & πολυτρόπως, *fruſtillatim* non modò, ſed & *multipliciter* ad Prophetas elocutus eſt. Immo &, quod præcipuè in Novi Teſt. primordiis fecit, Spiritus ſui dona tam copioſè effundendo in Apoſtolos ac Euangeliſtas, ut ipſi ſic Euangelium, eodem iterum teſte Paulo, *non ab homine recipientes*, non addiſcentes, ſed ex revelatione ipſius Jeſu Chriſti habentes, confeſtim univerſi mundi Doctores evaderent fallere neſcii.

Iſtud autem inſtitutionis genus extraordinarium iſtis erat temporibus: quo poſtea ceſſante neutiquam tamen ceſſavit veriſſimum hoc, & ipſa in re fundatum aſſertum, quod prius accipere quis debeat, antequam tradere poſſit. Ut itaque Scriba verus modô ordinario habeat, unde aliis impartiri queat, tanquam diſcipulus ſtrenuè ſe gerit, doctorem ſollicitè eligit, ſcholas aſſiduò frequentat, diligenter audit, ſedulò attendit, ſtudioſè inquirit, probat circumſpectè omnia, bonum denique judicioſè ſeligit, quod avidè amplectitur, conſtanter retinet conſervatque.

Neque verò perinde eſt ubi, quibus rebus, & à quo erudiatur. Quemadmodum enim omnes diſciplinæ ſuum ſingulæ habent objectum, circa quod occupan-

cupantur, ſuas ſingulæ ſcholas, ſuos præceptores; ita *Scribam* decet *edoceri* IN REGNO COELORUM; ſive ipſum jam *Locum*; ſive *Res* addiſcendas; ſive *Doctorem* denique erudientem ſpectes.

Locus verò ac ſedes hujus diſciplinæ eſt, non Beth-Midras, id eſt, *domus inquiſitionis*, Academia, ſive Schammæana illa, ſive Hilleliana, quæ duæ circa Servatoris noſtri tempora Scholæ Judæorum erant celebratiſſimæ. Non Sanhedrin illud antiquiſſimum ac ſpectatiſſimum, ex Viris primariis, cùm Politicis, tum Eccleſiaſticis, ipſo Deo auctore a Moſe conſtitutum, & univerſæ gentis Hebrææ SCHOLA MAGNA olim nuncupatum. Non terrena denique ulla aut mundana Schola: ſed Eccleſia, cœleſtis illa verè, ſub Euangelii maximè OEconomia, Schola, in qua ſuam *ſapientiam multiformem* Judæis Gentibuſque, quin & *imperiis ac poteſtatibus*, *quæ in cœlo ſunt*, manifeſtavit Deus. Hanc ille Scholam ab æterno præparavit, ab initio temporis erexit, magis deinceps magiſque exornavit, & tandem quoque, magno *illo Doctore juſtitiæ de cœlo* dato, atque mox abeunti *alio* illo *veritatis Interprete*, Spiritu S. nempe, quam & *de cœlis miſſum* Petrus prædicat, ſubſtituto, ad ſuam perduxit perfectionem.

Eſtne jam veſtrûm quiſpiam, qui de Scholæ hujus præſtantia dubitet, cui ipſa adſunt rerum teſtimonia? Hanc ipſa Dei fundavit SAPIENTIA. Hanc unam omnes frequentarunt Sancti. Hæc ſola effudit, quotquot unquam fuerunt, Viros Dei, Prophetas, Sapientes, Scribas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Paſto-

res, Doctores, *ad conſummationem ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti* in Verbo operatos. Hæc denique *Virum Dei perfectum reddit ad omne opus bonum perfecte inſtructum.* Hæc ergo Scribam noſtrum conſummat. Hæſitaſne etiamnum, Auditor? Teſtem temet ipſum compello. Adi, quiſquis es, hanc Scholam, ad Prophetarum ibi & Apoſtolorum pedes parumper conſide, cœleſtem doctrinam deguſta, & Scholam comperies abſolutiſſimam.

Præſertim ſi ad RERUM etiam, quæ ibidem docentur, indolem animum advertas. Hæ utique non conſiſtunt in humanarum ſcientiarum oſtentatione; in liberalium diſciplinarum doctrina: quid enim hæ ad *regnum cœlorum*? ad regnum iſtud, quod ſpirituale eſt, quod deſuper eſt, & cum omnibus ſeculi regnis, non tantùm dico nullam habet communionem, ſed iis ex adverſo opponitur? In hoc autem *regno* agitur de Deo ac homine; de peccatore ac Mediatore ſuo; de Eccleſia ac beneficiis in eam conferendis; de viis Dei, per quas peccatores ducere placuit ſummo Numini è mundo in cœlum; & de varietate earum, quam juxta variam fœderis gratiæ ſub Promiſſione, ſub Lege, ſub Euangelio, OEconomiam, juxta varios pariter hominis, ſive recti, ſive in gratiam recepti, ſive gloriâ quoque donati, ſtatus, ſequi voluit ac inſiſtere, non ſolùm ab ipſo rerum initio, uſque ad earum finem, verùm & ab omni prorſus æternitate, & in omnem porro æternitatem. Hæ illæ ſunt res, quas perfectè nullus unquam adhuc

vidit

vidit oculus, nulla audivit auris, nullum ſibi repræſentavit cor humanum. Hæ tamen, in quantum à nobis cognoſcuntur, quod ex parte tantùm eſt, eam Dei conficiunt *ſapientiam*, *quæ in myſterio conſiſtit*, & *a temporibus ſeculorum abſcondita* nobis *nunc revelata eſt.*

Perpendite jam, Audd. & ponderate ipſi, hæccine addiſci alibi poſſunt quàm in *regno cœlorum*? Unumquodque ex ſuo principio derivandum: quiſque in ſua arte rogandus. Quis etiam Juriſprudentiæ ſacra a Medicorum filiis addiſcere geſtiat? Quis Naturæ arcana in foro quærat? Quis ſapiens Chriſtianorum myſteria ex Rabbinorum placitis, ſolida ex Cabbaliſticis expetat? Pariter nemo Scribam, rerum ad *regnum Dei* pertinentium peritum, præſtoletur, niſi ex ipſa *regni* illius Schola prodeat, ubi verba Dei ſedulò audiverit, atque ſic è cœlo ipſo deſcendentem doctrinam cœleſtem hauſerit.

In hoc nempe *regno*, quod & *Dei* dicitur, DEUS ſolus DOCTOR eſt: ſolus etiam audiendus. Hic ille cathedram erexit ſuam, quam alibi quæſiveris fruſtrà. Hic verba ſua Ille loquitur, Scripturas tradit, myſteria pandit, Spiritum largitur ducem ac interpretem, qui intellectum illuminet, cor aperiat, voluntatem flectat ad fidei obſequium, faciatque auditorem ſuum non modò potentem in Scripturis, verùm & ſanctificet eum totum, atque in veritatis cognitione ſecundum pietatem perfectum reddat.

Multa quidem, fateor, ex Naturæ etiam libro addiſci poſſunt, à peritis itidem aliarum artium Magi-

ſtris multa, quæ & Deum ſuum probent auctorem, ejuſque & omnipotentiam, & ſapientiam, & benignitatem, adeoque & perfectionem omnimodam celebrant; nec poſſunt tantùm, ſed & debent. *Regni* attamen *cælorum* myſteria ſalutaria, & quicquid ad ea aut confirmanda, aut adumbranda, aut illuſtranda ex Hiſtoria, Philoſophia, aut alia quavis arte pertinet, in Schola illa cœleſti unicè exponuntur.

Exponuntur autem eâ copia, methodo, luce, ut ſi modò Scriba noſter docilem ſe præbeat, omnesque proficiendi occaſiones avidè captet, non poſſit non locupletiſſimos omnigenæ ſupellectilis THESAUROS congerere, adeo quidem, *ut* (Pauli verbis utor) *in omnibus ditatus ſit in Chriſto, in omni verbo, omnique cognitione, prout teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in ipſo; uſque eò, ut nullo dono deficiatur.* Hic, hic enim ampliſſimus ei aperitur omnium iſtarum rerum campus, prout in utriuſque Teſtamenti codicibus ultro illæ ſe offerunt. Hic quippe de Deo agitur & homine; de Angelis bonis maliſque; Eccleſia & mundo; Regno Chriſti ac Diaboli; de Fœdere operum & gratiæ, de Teſtamento Veteri & Novo; de Tabernaculo porro & Templo; de Lege & Euangelio; de cœlo & terra; anima & corpore; æternitate ac tempore; de omnium rerum initio ac fine; animalibus & piſcibus; gemmis & metallis; locis & temporibus; populis & regnis; menſuris & ponderibus; & ſi quæ plura in aliis ſcientiis explicari ſolita Sacris Scripturis ſunt intermixta. Nihil certè horum eſt, quo non *theſauros*

ſuos

ſuos Scriba noſter locupletare, ſuumque pectus bibliothecam, & promi condi inſtar facere poſſit omnia complectentis ac conſervantis.

Verùm enimvero, cùm in tanto rerum diverſarum numero non ejuſdem aut ætatis fuerint omnes, antequam exſtiterint; aut etiam perſpicuitatis & notitiæ ſint, poſtquam exſtiterunt, & ſacris mandatæ literis, dum res rem ſecuta eſt, dies autem etiam diem etiamnum docet; hinc neceſſe eſt inſuper, ut Scriba ſuos illos ſcientiæ *Theſauros* & ANTIQUIS iſtis, & NOVIS hiſce refertos habeat.

De ANTIQUIS ubi dico, non ea volo omnia, quæ inde à primo omnium rerum initio fuerunt; fuit quippe & tunc mendacium, quod ipſa veritate Euangelica, in prima demum promiſſione manifeſtata, antiquius eſt. Eô enim, quod non a Deo utique, limpidiſſimo illo veritatis fonte, ſed Diabolo profectum eſt, ſuæ ſcientiæ theſauros non accumulat Scriba noſter, quem, Paulina quoque lege, *ſapientem eſſe* decet *in rebus bonis*, *ſimplicem verò in malis*.

Ea autem intelligo, quæ inter ea, quæ ſunt ab ipſa hujus univerſi exiſtentia prima, propinquam in primis habent ad *regnum cœlorum* relationem, variasque hujus per varia tempora ſpectant OEconomias. Occurrit verò ibi Deus creator cœli atque terræ: occurrit & primus homo, quem ad imaginem ſuam conditum Deus collocavit in Paradiſo, cum quo primùm fœdus operum pepigit, quo per peccatum violato mox fœdus gratiæ, in quo CHRISTUM dedit UNICUM AC PERPETUUM ECCLESIÆ FUN-

FUNDAMENTUM in Prot-Euangelio · quô per fidem Prot-Euangelii recepto ſalvati quoque ſunt, quotquot fuerunt unquam pii Patriarchæ, inde ab initio uſque ad mundi prioris finem. Quo diluvii aquis purgato, inſtauratus exſurrexit mundus poſterior, atque ex Noachi filiis novum exſtitit genus humanum, ex quo vetuſtiſſimorum omnium populorum, regionum, ac hiſtoriarum petendæ origines. Ex quo etiam deinceps ſolos ſibi Deus Iſraëlitas, tanquam ſuos, elegit in peculium, quibus ſe manifeſtaret familiarius, Legem ferret, cultum præſcriberet, ac vitæ æternæ promiſſa daret. Inter quos ſuos quoque omni die haberet Prophetas, qui FUNDAMENTUM ſemel jactum, CHRISTUM nempe, perpetuò propagarent, atque ſcribendo conſervarent, uſque dum ipſe ille manifeſtandus eſſet in carnem.

Vetera hæc ſunt, Audd. & Vetuſtiſſima, quorum tamen edoctus in regno cœlorum Scriba accuratam debet habere notitiam, quia in iſtis primorum omnium Dei operum non ſolùm initia jacent, ſed & ſecutorum molimina atque rudimenta prima. Tantas verò Antiquitates ſciviſſe quantæ laudi erit? cùm univerſali ferme conſenſu Gentes ſuas quoque prædicare ſoleant Antiquitates, eas præ primis, quæ ad Religionem ſpectant, tantoque ſeſe aliis aliæ præſtantiores cultasque cenſere, quò plures, & magis a ſuo, quo vivebant ævo, remotas numerent. Hoc ſi ibi etiam fuerit, ubi omnia conficta erant, plurimam inſuper partem turpia atque noxia; quam auctoritatem itaque cenſebimus nos hiſce rebus ex tanta

Anti-

Antiquitate acceſſuram, quæ veræ ſunt, quæ honeſtæ, quæ ſalutares, quarum auctor & principium eſt Deus O. M. verax, ſanctus & benignus ipſe, omnium rerum primus atque ultimus? Habeat ergo ſuas Antiquitates Roma, ſuas jactet Græcia, ſuas Perſia, Chaldæa, Phœnicia, Aſſyria quoque, & Ægyptus priſca: quæ, præterquam quod, uti dixi, fallitate ſua indignitateve, aut futilitate ſaltem & nugacitate contemtui ſe exponunt, ad ſummum etiam altius adſcendere nequeunt; niſi ad mundi poſt-diluviani initium. Scriba verò noſter in regno Dei nihil niſi vera & bona edoctus, ſupra ipſum diluvium ad mundum primum, ad primordia terræ, ad initia cœlorum, ad temporis principium, &, quæ ante principium illud fuit, ad ipſam denique pertingit æternitatem, luſtraturus ille etiam, quæ Deus decernens fecit ante jacta mundi fundamenta.

Hæc Vetera ubi edoctus eſt Scriba noſter, iis NOVA quoque ſuperaddit, ne umbras quærat corpore ipſo neglecto; aut obſcurioribus, parcioribus, rudioribusque inhærens Novi ævi emendationes ignoret. *Nova* enim, quæ requiro, non alia ſunt, quàm quæ Prophetæ, quæ & Jeſus ipſe atque Apoſtoli, titulo *Novi*; *Novarum rerum*; *Novi cœli terræque*; *Novi fœderis*; *Novi vini*; *Novi panni*; *Novi Teſtamenti*; *Novæ maſſæ*; *Novæ creaturæ*; *Novi hominis*; *Novi præcepti*, *nominis*, *Hieroſolymæ* denique *Novæ*, paſſim tanquam de meliori nota nobis commendant. Ea ſcilicet, quorum à temporibus ſeculorum alia tam parcè, alia tam involutè & generatim audi-

ta, quaſi prorſus non audita eſſent, in Euangelio per Chriſtum Apoſtolosve, vel nova tunc ornata veſte prodibant; vel in ſereniorem protrahebantur lucem; vel olim umbratica in ſuo tunc conſpiciebantur corpore, novo maximè apparatu explicata & applicata, adimpleta & confirmata.

Hæc verò ut in ipſo ſuo cognoſcatis FUNDAMENTO atque capite primario, ad unum animadvertite CHRISTUM. Eô enim præſtituto tempore ſub ultimis dierum Veteris Teſt. in carne exhibito, quot quantaque tunc exoriebantur Nova, prætereuntibus Antiquis? Naſcitur ex virgine Semen Mulieris, ab impiis appetitur, educatur inter fabriles operas, tentatur a Diabolo, docet, miracula patrat, perſecutiones ſuſtinet varias, patitur, moritur, reſurgit, exaltatur in cœlos, ſtatuitur Eccleſiæ caput, effundit Spiritum S. mittit Apoſtolos ad prædicandum, vocantur Gentes, debellatur idololatria & ſuperſtitio inveterata, deſtruitur Templum, aboletur Reſpublica Judaïca & mundani Sanctuarii cultus, & quæ alia plura complectitur Novi Teſt. hiſtoria.

Hæc certè, & horum ſimilia, nullis, Jeſu ipſo dicente, antè viſa, nullis olim audita Regibus Prophetisque, quantopere etiam ac enixè deſiderantibus, *Nova* erant maximè: ratione nempe perſpicuitatis ſuæ, pleraque; ratione verò implementi ſui, omnia; ratione autem indolis ſuæ atque fundamenti, nulla. Nulla enim alia *Nova* intelligi hic poſſunt, quàm quæ cum *Veteribus* illis ſine ulla pugna, amicè admodum unâ ſede morari poſſunt, & in eodem Scribæ

hæ noſtri pectore recondi. Hunc enim *ex theſauris ſuis* VETERA ſimul & NOVA proferre jubet Magiſter ſummus; conſonantia nimirum, & ad UNICUM illud AC PERPETUUM pertinentia FUNDAMENTUM, *præter quod* non tantùm *nemo aliud* Novum *ponere*, ſed & cui nemo quippiam inædificare *poteſt*, quod firmum ſit & decorum, niſi & hoc cum FUNDAMENTO illo bene conſentiat, atque in illo ceu radice ſua contineatur.

Hæc autem Lex uti æquiſſima eſt, ita poſita a Domino ſolis illis cenſeri non debet Scribis, qui initio Novi Teſt. Euangelium ex Scripturis Veteris Teſt. cum eventu rerum comparatis educere debebant & confirmare; tangit enim ea quoſcunque etiam, qui ex ſacratiſſimis utriuſque Teſtamenti Divini tabulis, completum nunc canonem conſtituentibus, veritates Chriſtianæ confeſſionis non tantùm fundamentales *Veteres*, & Orthodoxis per omnia Chriſtiana ſecula creditas, ſtabiliunt & illuſtrant; ſed & *Novas* quoque, ac Majoribus nondum ita viſas, indies magis magiſque eruere conantur.

Quæ ubi ita ediſſero, facilè percipitis, Audd. mihi itaque ex æquo diſplicere diſtracta illa ſtudia Scribarum, tam *illorum*, qui *Antiquis* ſolis contenti, & (neſcio quo) *Novitatis* percuſſi terrore, ob id ſolum nomen odio habent veritatem, quam hoc prætextu aliis quoque inviſam reddunt, omnique intenſione virium vexant, exagitant, & perſequuntur; quàm *eorum*, qui *Novitatis* ſpecie unicè delectati, & *Vetuſtatis* (neſcio qua) correpti nauſea, Antiqua

omnia deſpectui habent, non aliam ferme ob cauſam, quàm quod ab aliis jam olim ea obſervata nunc vulgaria facta ſint. Scilicet, cavi hi plerumque folles ſuæ *αὐθαδείας* vento turgidi, nihil, niſi quod magnum ſit ac extraordinarium, ſpirare videri volunt; plusque de ſua facultare, quam in ea eſt, vulgò præſumentes, ſe ſolos ſuaque depereuntes, admirantes & extollentes, tanquam præcellentes rerum Novarum auctores haberi adnituntur, adinventoreſque primi.

Hi autem ambo mihi prorſus inſanire videntur. *Poſteriores* quidem, quia cùm ineptientibus Judæis, qui novis ſemper quæſtiunculis inhiantes, dicere etiam ſolent; *Impoſſibile eſſe, ſi non quotidie aliquid Novi ſit in Beth Midras*, id eſt, in Scholis ſuis: Non deſinunt lites ex litibus, & de lana ſæpe caprina, ſerere, logomachias captare, dubia proferre, diſputationes movere, diſſenſiones animorum concitare, & ſectarum ſtudia: unde oriuntur itidem odia, animorum divortia nefanda, atque bella inter Fratres, eheu! nimium ſæpe profana. *Priores* verò, quia ſocordes ipſi, pigri, ſegneſque, neque veritatis indagatione ullam volentes operam impendere, ſecurè verò potius ſecum habitantes, ſuiſque modò, quæ poſſident, & a Magiſtris ſuis didicerunt antè, otioſi incubantes, ut ſuam illam turpitudinem ac deſidiam prætextu ſaltem honeſto velent, non vereantur omnia, quæ recens vel deteguntur, vel illuſtrantur, etiamſi vel maximè certa & utilia, protervè tamen non ſolùm contemnere ac rejicere, ceu falſiſſima,

ma, ſed & audacter contra ea invehi tanquam perniciosiſſima. Quaſi ſcilicet a Veteribus adeo perſpectum jam fuiſſet atque exhauſtum, quicquid verum eſſet, quicquid pium, ut, quæ eorum attentionem fugerunt & notitiam, liceat nobis ſecuris falſitatis impietatiſque, aut futilitatis ſaltem & ineptiarum damnare.

O cæcam hominum ſtultitiam! Etenim, ſi tales eſſent audiendi, falſitatis certè ſuſpecta forent, quæ primò audiuntur, omnia, utpote quæ cuicunque primò audienti Nova prorſus ſunt, uti puerulis vel prima Alphabeti rudimenta, & minima quæque, etiamſi provectioribus tritiſſima & Vetuſtiſſima. Et quod, quæſo vos, animadvertite, veſtram, qui ſapitis, appello conſcientiam, quid, inquam, illud tandem eſt, quod *Novum* vulgò nobis accidit? Nihil profectò aliud, quàm quod non ſolemus loqui vel videre ipſi. Neque ſemper *Novum* illud manet; ſed ſolummodo uſque dum, re diligentius conſiderata, id videamus bene cohærere cum iis, quæ certa eſſe certò novimus; hoc eſt, quæ nobis *Antiqua* ſunt.

Eritne itaque quiſpiam, cum ſanè *Novitas* talis, aut *Antiquitas*, nihil quicquam ad opinionis cujusvis aut veritatem, aut bonitatem faciat; eritne, inquam, quiſpiam, qui id, quod *Novum* ſic dicitur, ea propter rejiciat? Nemo ſanè, nemo, ſi verba audias: multi autem, immo plurimi, ipſa ſi ſpectes acta. Vidit hoc, vidit, inquam, hæc noſtra ætas: viderunt ſecula priora: & videbunt procul dubio ſequentia. Sed & audient idem, quod audivit noſtra ætas: quod

in hoc ipſo Auditorio ante ſedecim annos audivimus & nos, & ex diſertiſſimo illo acutiſſimi Volderi audivimus ore, in ſua, quam ex hac ipſa cathedra habuit, Oratione DE NOVIS & ANTIQUIS; nullos ſcilicet, quàm qui ſic judicant faciuntque, magis a veritatis aberrare via. Neque opus eſt iis quicquam me addere, niſi forſan exempla aliquot ſacra, quæ Scribam noſtrum propius tangunt.

Exemplo itaque ſint Philoſophi illi Stoici ac Epicurei, pro ſapientiſſimis quidem, prout tunc erant tempora, mortalium habiti, hic tamen etiam turpiter deſipientes, cùm Apoſtolum Paulum Athenis, in ipſa univerſæ Græciæ ac univerſi orbis Academia celebratiſſima, prædicantem Euangelium exſibilant, ſcommatibus palam proſcindunt, accuſant immo haud obſcurè hæreſeos & impietatis, non aliam ob cauſam, quàm quod, ut ipſi ajunt, *præco videretur* eſſe *Deorum peregrinorum*, *novæque doctrinæ*: cùm tamen Deum iis annunciaret, non verum modò ac æternum, ſed & eundem illum, quem, licet *ignotum*, hactenus ipſi tamen jam colerent altari ei exſtructo; eamque doctrinam, quæ eum cœli atque terræ creatorem ac conſervatorem traderet, veriſſima utique, & omni Gentilium ſapientiâ longè antiquior.

Exemplo porro ſint Judæi ipſi, qui Religionem Chriſtianam, eis nondum perſpectam, etiamſi his ipſis exſpectatam diu & deſideratam, hoc ſolo Novitatis crimine oppugnarunt, rejecerunt, & blaſphemarunt: cùm tamen eam complecteretur doctrinam, quæ jam antiquitus a mundi incunabulis cœperat, atque a ſuo Moſe tradita atque Prophetis. Ex-

Exemplo ſint inter ipſos denique Chriſtianos illi, qui irradiante ipſos ante duo ſecula nova Euangelii luce ac prædicatione, diſpulſis, quæ pedetentim jam ſubortæ fuerant tenebris, veritates ſummas ac neceſſarias negârunt & perſecuti ſunt, negant & perſequuntur etiamnum, eò ſolùm, quod Novæ ſint, etiamſi eaſdem, & Antiquas ſatis, jam complectatur Apoſtoli epiſtola ad eoſdem hoſce perarata Romanos.

Quid plura dicam? Deficiet etenim me tempus per ſingula euntem: & ſufficiunt, quæ dixi, ad Novitatem ab omni crimine abſolvendam, intelligentibus certè, ad quos loquor. Pergo itaque, & Novitatem Scribæ noſtro non tantùm non fugiendam, ſed neceſſariam prorſus dico, & ingenio ſagaci, diligentia, ſcrutatione pertinaci, & attenta piaque meditatione, poſt imploratam per preces ad Deum antecedaneas Spiritus S. illuminationem, ex Dei verbo magis magisque eruendam. Quin & Spiritus S. Novitatem, certo ſaltem caſu, his ipſis verbis Eccleſiæ commendat: *Ne recordemini priorum, & Antiqua ne conſideretis: ecce, ego facturus ſum rem Novam: jam exorietur; an non noſceretis illam?* quæ ad omnem profectum accommodare haud erit abſonum. Si quippe de Philoſophia ſua gentilis Seneca; *Multum congerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: multùm adhuc reſtat operis, nec ulli nato poſt multa ſecula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi*; quanto id potiori jure de ſuo profundiſſimo ac inexhauſto cœleſtium veritatum fonte

ocea-

oceanoque ampliſſimo dicat Scriba cœleſtis, *in quo*, juxta legem ab ipſo Spiritu S. excitandæ fidelium per omnia ſecula diligentiæ poſitam, *ſcrutabuntur multi, & multiplicabitur ſcientia.* Multa, fateor, viderunt, qui ante nos fuerunt heröes, ad multa nobis prætulerunt facem; verùm cùm nos ad eorum lumina videntes, Patrumque humeris inſidentes, multò longius omnino viſum protendere poſſimus, pluraque animadvertere Nova antè haud ita perſpecta iis, per defectum & temporis & adminiculorum, quibus nos ipſorum gaudemus beneficio, atque in dias luminis auras protrahere; quæ, quæſo, ea eſſet deſidia, quàm ingrati in illos animi dedecus, nolle ad Antiqua ab ipſis congeſta Nova indies accumulare? Sic Majoribus noſtris ſuus conſtat honos, ſic nos noſtra manebit diligentia, ſic neque illis, neque nobis facimus injuriam. Apprime, meo judicio, eleganter dictum putem a Romanæ eloquentiæ parente: *Novitates, ſi ſpem ferunt, ut, tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ; Vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt.* Hoc ſi conſtet Oratoris gentilis judicium, quanto magis illud Hieronymi feriet, Doctoris inter Chriſtianos priſcos celeberrimi? *Ne ſic Nova cudamus, ut Vetera deſtruamus.* Quod ſi ullibi, in veritatibus plurimum valet cœleſtibus, quæ Antiquiſſimæ ſunt, & ab ipſis terræ Antiquitatibus ſuam arceſſunt originem. A quibus tantùm abeſt ut decedat Scriba noſter, ut nulla Nova affectet, quæ non in Veteri veritate, ſemper ſibi ſimili, fundentur:

tur: nullaque retineat Vetera, quæ Novam veritatem, ſemper ſibi quoque ſimilem, non decorè portent.

Dum autem hac ratione *Vetera* & *Nova* conquirit, comperiet ultro non omnia eſſe *Nova*, majorem paulò diligentiam in Veterum ſcriptis perluſtrandis adhibenti, quæ (expertus loquor) minus exercitatis *Nova* dicuntur, ſive ad horum vituperium, ſive ad ſuam ipſorum laudem. Nullus enim amo temerarium illud hominum genus, & imperitum, & ſuperbum, quod & antea ex obliquo tetigi, quique prurienti ingenio nihil niſi *Nova* cogitant, quærunt, & captant; jactant, oſtentant, & blaterant; ſuas, ſcilicet! inventiones deprædicantes, ſuâque ſeſe laude protervè coronantes, nihil tamen interim ut plurimum producentes, niſi quod ab aliis jam ſæpe dictum ſit prius & melius: dum nempe ſpretis *Antiquis* ſua tantùm, vel ad ſummum Magiſtrorum ſuorum admirantur ſcita, ſuæque tantùm, vel proximè præcedentis ætatis ſcripta lectitant. Digni profectò in quos jactes, quod Ægyptius ille ſacerdos Soloni olim de ſuis inſurrabat Græcis, ſuas pariter tantùm, neque eas admodum Antiquas, hiſtorias noſcentibus, eos eſſe *ſemper pueros*. Digni, qui nonnunquam cum graculo fabulari alienis, quas ſibi non tantùm aptaverant tanquam ſuas per inanem gloriam, ſed ſuas revera eſſe per turpem inſuper inſcitiam ſuaviter ſomniaverant, diſpoliati plumis, publicis omnium exponantur cachinnis.

O curvas hominum mentes! O præſumtionem veſanam! O infelicem eorum ſortem, quos gloria ina-

nis vexat! Non ſic Scriba noſter, qui in regno cœlorum modeſtiam, magnamque aliorum, ſui verò modicam admodum æſtimationem edoctus, Antiqua & Nova ſcrutatur, conjungit, ſuisque ſingula Auctoribus accepta fert, hoc eſt, Viris quidem doctis, atque bene de Eccleſia meritis; ante omnia verò ipſi Deo, Patri iſti luminum, a quo uno hæc deſcendunt omnia.

Hæc verò Vetera Novaque ſic accepta, ac in theſauris ſuis congeſta, ſibi non habet Noſter ſoli, ſed aliis omnino PROFERT. Non ergo pignus hocce ſibi concreditum in terra defodit, ſed lucrum eô facit, & lucrum unicè animarum, quod optimum eſt atque ſapientiſſimum. Hoc a Scriba munus ſuum exigit. Hoc ipſum etiam boni natura, de qua ad ipſum initium jam dixi, poſtulat, quæ jubet, ut hæc ipſa quoque Vetera & Nova eò majori communicentur cum aliis ſedulitate, quò excellentiorem bonitatis gradum contineant, Deum ſcilicet ac hominem decentia; illius gloriam infinitam, hujus autem beatitatem promoventia ſempiternam.

Quod ut feliciter procedat, multa obſervat. Non avarus eſt, non parcus; ſed copioſus. Non enim de ſuo dat, ſed ex theſauris, quos & antè a Deo accepit ipſe: & accepit non ſibi tantùm, ſed in aliorum quoque uſus erogandos, quorum ergo promovendis muneris ſui virtute præfectus eſt. Neque piger eſt tardusve, non ſegnis, non differens; ſed promtus & alacer, ſed ſemper paratus εὐκαίρως, ἀκαίρως ad ea, quæ requiruntur, ſuo ſingula tempore expromenda.

Diſcit

Diſcit Noſter non ſolùm a Joſepho, ex annona multô antè labore & provida undequaque cura comportata, ſuppeditare cupientibus, quod ſufficit; verùm & prudentis ſibi patrisfamilias exemplar, ſummo Magiſtro ipſo monſtrante, ob oculos imitandum proponit, qui ex fructibus Veteris Novique etiam anni in horrea congeſtis diſpenſat ſuo tempore, quod pro varia variorum ætate ac conditione neceſſarium eſt, ſingulorum uſibus ac temperamento accommodatum. Diſcit etiam Noſter, quomodo ſibi converſandum ſit in domo Dei, in qua Dominus eum *præfecit familitio ſuo, ut det illis alimentum in tempore: ſeque ipſum Deo probatum ſiſtat ceu operariam, qui non erubeſcat, recte ſermonem Dei ſecans.* Adulti hic ſunt, ſunt infantes: ſunt validi, ſunt infirmi: hi incipiunt, illi ad perfectionem pergunt. Aliis cibo opus eſt firmo, lacte aliis. Nonnulli Antiquis indigent; alii Novis; multi utriſque. His ſingulis ita ſuccurrit Scriba, ut theſauros ſuos aperiendo Vetera & Nova exinde depromat; & cum ſancta illa prudentia, prout cuique ibi convenit, diſpenſat, ut omnes, quantum poteſt, digniſſimos regni cœlorum cives, quin & Dei domeſticos faciat.

Hunc in finem hujus Regni veritates, ſive Antiquæ illæ ſint, ſive Novæ, ex Scripturarum collatione diligenter eruit, clarè & diſtinctè proponit, ut gratas atque utiles commendat, cum manifeſtatione ſpiritus ac potentiæ, & ut quique in earum ruant amplexus ſeriò exhortatur, impensè ſuadet, & fortiter coarguit. Nempe ſeriò in re tam ſeria agendum illi

putat, qui *verba Dei* nomine Dei, tanquam *os Dei* ad populum Dei; tanquam *legatus Chriſti*, *orans Dei vice*, *quaſi ipſe Deus per ipſum oret*; tanquam *præco* denique, auctoritate ſui Domini munitus, Dominoque etiam ſuo de commiſſo ſibi ad homines nuntio *rationem redditurus*, *debeat loqui.*

Neque tamen vel hanc ipſam ob rationem humi ſerpit; non verbis utitur de medio trivio aſſumtis, atque relegandis ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte ſpectabat turba. Non etiam utitur (neſcio quâ) quæſita vocis in pronunciando, geſtuumque in agendo humilitate, & quaſi pietate. Scit enim præcepto Apoſtoli, *non in verbis* eſſe *regnum Dei*; *non in ſpecie pietatem:* tantùmque abeſſe, ut præconem verborum Dei deceat tonus vocis ad miſerabilem ſonum inflexus, aut coacta tarditate ex imo gutture vel naſo eductus, aut geſtuum moderamen rigidum & ruſticum, ut è contrario teneatur ille ejuſdem Apoſtoli lege exhibere *in inſtitutione*, non tantùm ἀδιαφθορίαν, *incorruptionem*, quoad res; ſed etiam σεμνότητα, *gravitatem*, quoad modum eaſdem proponendi.

Ob eandem interim legem, non adhibet quoque ab altera parte eloquentiam affectatam, non verba ſapientiæ humanæ, verba ſeſquipedalia, neque vel antiquitate obſoleta, vel ſua nondum novitate uſu recepta intellectave. Non erumpit quoque in grandiſonæ vocis inarticulatos boatus, inconditoſque illos de rebus inanibus clamores, & ſine mente ſonos; geſticulationes vagas ac immoderatas agyrtarum more,

re, aut nimium etiam affectatas & scenicas: sed modestè, sed placidè, sed perspicuè, cum spiritu lenitatis, attamen & simul gravitatis. Ita nimirum, ut loquatur verba Dei, ostendat majestatem decoram, adhibeat eloquentiam masculam, Scripturariam, cœlestem illam ac divinam, quâ Vetera sic in nova luce collocet, Nova identidem sic auctoritate veteri confirmet, ut veritatis demonstratione ad omnium conscientias sese commendet omnibus. Uno verbo: ita loquitur, dum Nova & Antiqua ex thesauris suis *profert*, ita agit, ut appareat manifestò eum omnia loqui agereque *ex Deo*, *de Deo*, *coram Deo*, *& ad Deum*.

Atque sic quidem SCRIBAM IN REGNO DEI EDOCTUM vobis descripsimus verbis. Hunc si nunc porro in viva tabella cernere velletis, Audd. Ornatissimi, exhiberem vobis Apostolos omnes; exhiberem Paulum; exhiberem Patres in prima Ecclesia; exhiberem denique post Papales tenebras ipsos Reformatores, Swinglium, Lutherum, Melanthonem, Calvinum, & plures alios. Nunc, quia tempus monet, illos omnes silentio præteriens, ad vos ipsos statim accedam, excitandos mihi in gaudia læta, propter illam, quam & nos illac in parte experimur etiamnum, felicitatem. Hujus nempe Reformationis beatissimæ, per tot tantosque Scribas, quorum vobis nomina è longinquo tantùm modò ostendere potui, Viros summos, feliciter inchoatæ ac promotæ, Jubilæum Ecclesia celebrat (& læta celebrat) ipso hoc anno quartum, & a se porro celebratum iri vovet ad consummationem seculorum.

Gaudeamus unà, Audd. gaudeamus, nobiſque invicem hanc felicitatem gratulemur. Gaudeamus genuinos illos SCRIBAS Majoribus noſtris redditos fuiſſe. Gaudeamus & nobis in hunc uſque diem illos magno numero conſervatos in orbe reformato, in patria noſtra; conſervatos in hac ipſa quoque Academia: quibus religio eſt ab una parte vel latum unguem ab Antiquis recedere; ab altera autem parte Nova non indagare, indagata ad probati Veteris certam normam non explorare, explorataque non adamare.

Etiamſi enim hi illis plura Nova; illi his plura Vetera ſectentur, pro libertate illa prophetandi, quæ Chriſtianis competit; conveniunt tamen ad unum omnes in eo non ſolùm, Antiqua ſine Novis, Nova ſine Antiquis, Moſen ſine Chriſto, Euangelium abſque Lege, Apoſtolos extra Prophetas conſtare poſſe neutiquam; ſed & in illo, continuato Scripturarum ſcrutinio veritates alias de novo detegi, alias in novo collocari lumine poſſe & debere. Quin & in hoc denique conveniunt, nihil Novi, quod Antiquum certum verè illuſtret, firmet, aut augeat, non amplectendum eſſe; nihil etiam Novi, quod Antiquum certum obſcuret, labefactet, aut deſtruat, non ambabus manibus abjiciendum eſſe: quæ, dum maneat philadelphia, ſufficientia concordiæ fundamenta ſunt. Hæc, hæc ergo illa demum vera eſt *Novitas*, hæc ea *Antiquitas*, quam nos amamus & commendamus, propugnamus, &, quantum pote, propagamus.

Uti-

Utinam verò felici ad veſtra pectora progreſſu, Egregii Juvenes, quotquot huic celebratiſſimæ mentis palæſtræ veſtra nomina dediſtis! Veſtra etiam, qui Jurisprudentiæ, arti Medicæ, aut Philologiæ ſtudiis operam veſtram deſtinaſtis! Homines enim & vos eſtis, Chriſtiani eſtis, moriendum ſemel vobis eſt, neque ulla & Vobis ad ſalutem via, quam omnes tamen expetitis; aut certè olim votis ſeriis, at nimium, eheu! ſæpe tunc ſeris, expetetis. Quem enim vos vitæ tam profligatæ unquam aut audiviſtis, aut vidiſtis, cui, cùm mors appropinquaret, non adeſſet ſimul futurorum metus ſollicitus, & humilis ante actorum pœnitentia? Nulla tamen & vobis, inquam, ad ſalutem patet via, quàm per cognitionem ſanctificantem myſteriorum hujus regni cœlorum. Neque, præterquam quod ad æternam beatitatem adeo neceſſarium eſt, vobis etiam nocebit ad ſtudia veſtra; quin immo vel maximè proderit Theologiæ aliquam ſaltem navaſſe operam.

Vobis certè, qui ſacram Themidem colitis! Vos enim Juris veſtri, & Naturalis, & Civilis fundamenta, principia, quin & ipſa nonnunquam verba, in Corpore Juris Divini a Moſe adornati reperietis, ad cujus Antiquitatem Nova ſunt, quæ vobis de Jure tradiderunt vel Græci priſci, vel hos ſubſequentes Romani, ante aliquot jam ſecula ab Imperatore in ordinem digeſta. Si dubitetis de Juris Scripturarii noſtri cum Civili veſtro commerciis, aut de Theologiæ Naturalis noſtræ ad Jus veſtrum Naturæ & Gentium utilitate, cogitate modò Antiquiſſima Juris Civilis præcepta, ipſe etiam ſæpe verborum ſono cum Moſaicis, ex quibus

orta

orta ſunt, convenire. Cogitate ipſarum Gentium origines, derivationes, ad ſe invicem relationes, & quæ inde ſecuta ſunt, ritus, conſuetudines, mores, jura, in una S. Scriptura ex fundamento ſuo diſci. Cogitate denuo officia hominis erga hominem, civis erga civem, Mãgiſtratuum in ſubjectos, ſubjectorum in Magiſtratus, populorumque denique erga populos, per pſeudo-politicorum quorundam aſtum, & impiam quidem, at inſulſam tamen doctrinam, nimium ex aliquo tempore, proh! corrupta, non aliunde tam verè, certò, purè erui, quàm ex ipſa noſtra Theologia Naturali.

Vos porro Medicorum, quique his facem præferunt, Philoſophorum filii! An, & quid ex Sacratiſſimis oraculorum Divinorum tabulis ad artis veſtræ fundamenta, & ipſius naturæ principia pernoſcenda habere poſſitis, ipſi olim Hippocrati ac Galeno, Ariſtoteli ac Platoni, Zenoni ac Epicuro nunquam cognitum, gaudeo pro me non ita pridem dixiſſe duos ſummos Mathematicos, Phyſicos, Medicos. Unum, cùm ante biennium hoc ipſo die locoque, DE COMPARANDO CERTO IN PHYSICIS inquirens, palam profiteretur; *Sapientum Principem Moſem paucis hiſce verbis*, efferat terra herbam virentem, quæ faciat ſemen ſuum in ſe, juxta ſuum genus, *multò pulchrius explanatam naturæ rationem expoſuiſſe, quam cæteri vaſtis voluminibus Philoſophi*. Alterum verò in opere ſuo, DE RECTO USU THEORIÆ MUNDI, vernaculo, ante annum ferme, & quod excurrit, edito, in quo plurimis exemplis demonſtrandum ſibi ſumſit, S. Scripturam, ubi *in tranſitu de rebus agit naturalibus, tales*

les tamen ſæpe de iis allegare qualitates, quæ non niſi principibus, ſapientibus, atque peritis Phyſicis notæ ſunt. Hos ego nunc Viros honoris ergo memorare volui; hos vobis teſtes adducere: quos aut ex ignorantia, aut muneris ſui ratione, aut ad illudendum mundo (quæ ſolennia aliàs incredulorum adverſus magnorum Virorum teſtimonium effugia ſunt) ita locutos, nemo ſuſpicabitur, qui aut Viros noverit, aut hæc ipſa Virorum ſcripta legerit.

Sed ad Vos tandem venio, Philologi! Vos ſi Antiquitates rimari velitis, primos populorum ortus, omnium regnorum ac imperiorum fata & viciſſitudines, ritus & inſtituta, hiſtorias univerſi terrarum orbis priſcas, non a condita Urbe, non ab Olympiadibus demum repetendas, non ab Ægyptiorum originibus, qui tot tantaque aliàs de Antiquitate ſua jactare ſolent; ſed a condito orbe, ſed ab hominum creatione, ſed a prima omnium rerum, quà patent, exſtantiâ primiſque incunabulis, ad decrepitam earundem ſenectutem ac terminum planè ultimum; ubi verò cuncta hæc & ſingula invenietis, niſi in regni Dei publicis illis commentariis & archivis, quæ ſua & antiquitate & auctoritate ſuperant omnia, quæ in toto hoc mundo exſtiterunt unquam monumenta?

Eja igitur, Juvenes, agite: agite, inquam, omnes & ſinguli! Reducite nobis priſtina illa tempora, quæ in hac ipſa Academia egomet vidi, vidêre & Patres veſtri: quibus multi paſſim ex omni genere Studioſorum Theologiæ operam aliquam impendebant. Quod olim hic fecerunt, (& teſtes etiamnum adſunt, quos,

hoc dum dico, hic coram conſpicio) qui in ſummis poſtea verſati ſunt Reipublicæ muneribus, & verſantur hic & alibi etiamnum. Quod in aliis hujus Belgii Scholis in hodiernum diem faciunt veſtri ſimiles, cur vos non faciatis? Scrutamini itaque & vos Scripturas; in iis & vobis vita æterna eſt.

Eſt in iis, quod ſtudiis etiam veſtris proderit: quod vos ipſos pariter immunes præſtet a perverſis Juventutis temerariæ moribus, quorum nobis dolenda, auctoribus verò ipſis maximè pœnitenda ſpecimina nimis, eheu! multa ætatis lubricæ in vitia proclivitas dedit: quorum non ſine dolore memoranda exempla effecêre, ne gaudium nobis eſſet integrum ſuper felicitate Academiæ hoc mei Magiſtratus anno florentiſſima: quippe quæ præ aliis multis a longo tempore annis multiplici emicuit excellentiſſimorum Juvenum ex gente quavis acceſſu. Abſit itaque, Juvenes egregii, abſit omne ſiniſtrum omen, & mores veſtros componite ad pulcherrima optimorum exempla, illoſque imitemini, qui tam venuſta ſpecie ſplendidam hujus Athenæi gloriam fulciunt ornantque! ut hanc adeo florentem Academiam pacatè regendam tradam conſultiſſimo Schultingio! Scrutamini ergo vos Theologiam & Naturalem, & Revelatam, quæ vobis omnis veritatis, æquitatis, pietatis, exhibebit prima & certiſſima fundamenta.

Ad vos in primis iſta ſpectant, Theoſophiæ diſcipuli, qui ad Scribarum in hoc ipſo cœlorum regno munus aliquando obeundum allaboratis. Vobis Scribæ à me depicti exemplum per omnes partes imitandum pro-

propono. Agite igitur, agite ſacra Deo ejuſque miniſterio devota pectora, neque deſiſtite. Omnes ingenii nervos intendite. Labore improbo omnia vincite. Veræ illius Antiquitatis ac Novitatis ſtudio operam navate fidelem, quæ ex Scripturis eliciuntur. Scribarum Scholas diligenter frequentate, & quæ ibi docentur attentè audite, & ſollicitè ſervate. In primis in regno cœlorum Deum ipſum Doctorem habete ſupremum: Chriſtum φιλομαθείας veſtræ materiem primariam & unicam: Spiritum S. ducem infallibilem: ſacras verò Literas normam veritatum tutiſſimam, quæ theſauros illos vobis locupletes exhibent.

Et quos, quæſo, magis hæc decent, quàm vos, quorum vos vocatio maximè ad hoc ipſum exhortatur ac urget? Hæc enim vobis utilia etiam ſunt, ut potentes evadatis in Scripturis. Et quid quoque jucundius? Nonne enim ita Antiquorum ſimul ac Novorum theſauros poſſidebitis, qui vos ipſos delectare poſſunt, & a vobis communicati ditare alios? Quid neceſſarium magis? Abſque his enim ulli Scribæ neque ſuum conſtat munus, neque honos. Deterretne autem vos labor, quod hæc moleſtiſſima ſint acquiſitu? Ardua quidem ſunt, fateor, quæ pulchra, ſed volentibus nihil arduum: labore & induſtriâ occupantur omnia. Quid ſi dicam, facilia ſunt, obvia ſunt, ſuaque ſe gratia, ſuavitate, & voluptate ipſâ commendant, ſponte in mentes pias inſinuant. Nonne in volumine libri occurrunt? Nonne in Scholis hiſce traduntur aſſiduò? A Doctoribus veſtris ſuppeditantur, inculcantur, ingeminantur ubertim? Agite modò, incipite, pergite, perficite.

Ita verò eritis Scribæ in regno Dei periti; Oraculorum ejus Interpretes ſagaces; Juris Divini, cùm Antiqui, tum Novi, Antiſtites conſummatiſſimi. Ita adimplebitis ſpem Eccleſiæ, neceſſitates Patriæ, parentum deſideria, omnium bonorum exſpectationem, & propriam quique ſalutem. Utinam verò hæc poſtrema Rectoratus mei ad vos verba, hæc paterni mei in vos affectus, monita votaque ſincera, omnium veſtrûm fortiter animos ferirent!

Tu verò alme Triune Deus, tu nos omnes ipſe doceas! Tu nos Scribas veros conficias, qui Spiritu tuo illuſtrati edoceamur in regno tuo cœlorum! Tu ita nobis pandas omnes cœleſtis illos ſapientiæ & cognitionis theſauros, ut Vetera nobis nota ſint, Nova nos non fugiant, ſed utraque veritatis pietatiſque vinculo nexa, Nova in Antiquis fundata, Antiqua Novis illuſtrata ac confirmata, nobis ſemper ita præſto ſint, ut opportuno ea quocunque tempore locoque, fidelis œconomi inſtar, ex theſauris noſtris copioſè & promtè proferre queamus, ad plurimam Eccleſiæ tuæ in fide ac pietate ædificationem: ut ita edocti hic in regno gratiæ, olim edoceamur omnes a te ipſo in regno gloriæ; ubi abolitis Antiquis, omnibusque factis Novis, novo te modo in ipſis cœlis celebremus, Novumque agni canticum canamus! Anima noſtra deſiderat, anhelat anima: quando venies, Domine Jeſu!

D I X I.

INDEX

INDEX LOCORUM
SACRÆ SCRIPTURÆ,
Qui vel explicantur, vel ita citantur ut iis lux aliqua fiat.

EX VETERI TESTAMENTO.

	Cap.	Vers.	Pag.
Genes.	18:	23.	400, 401
	20:	7.	165
	25:	23.	9, 10
	31:	11-13.	82
	32:	1, 2.	507
Exod.	7:	1.	166
	14:	13.	276
		31.	ibid.
	19:	9.	ibid.
	20:	18.	186
	23:	21.	228
	33:	11, 13.	177
	34:	5, 6.	ibid.
		7.	229
Levit.	24:	11 & 16.	231
Numer.	12:	6-8.	178
		7.	283--285
	16:	5.	397
Deuter.	4:	37.	233
	5:	28, 34-37.	169 & 187
	33:	5.	300
	34:	10.	176. 181. 184. 200. 221. 301
Judic.	13:	22.	123
1. Sam.	3:	1.	201
	4:	8.	392
	7:	12.	597
2. Sam.	5:	20.	51
	6:	2.	230. 321
	7:	12, 13.	463
	23:	1.	63
1. Chron.	13:	6.	230. 231
2. Chron.	15:	3.	202
	20:	2.	192
		20.	276
	29:	15.	192
Job.	14:	4.	408. 419
	33:	23.	113
		24.	416. 425
	38:	6.	43
		7.	106
Psalm.	16:	7.	213. 232. 494. 541
	17:	15.	421
	45:	4.	83. 469
		7.	256
	49:	3.	99
		8 & 16.	407
	68:	19.	237

72: 1, 2. 12 & 13. 360
80: 5. 511
18. 447
89: 36--39. 597
103: 7. 177. 227
104: 15. 4
119: 122. 417
133: 2. 279
Prov. 8: 30. 139
24: 13, 14. 117
29: 18. 530
31: 6. 6
Eccles. 7: 28. 419
Esai. 1: 17. 323
2: 2--5. 249
3. 324
14. 340
4: 2. 348
5: 16. 322
7: 14. 578
8: 1. 529
14. 240. 465
16. 214
9: 5. 213. 240. 528
11: 1--3. 234
2. 358
4. 359
26: 4. 345
38: 14. 417
42: 1. 145
1--4. 248
4, 6. 258
45: 22. 191
48: 16, 17. 256
50: 4. 231
52: 6. 214
7. 249
13. 222. 223
53: 10. 496
11. 145
55: 3. 355
61: 1. 234
63: 1. 241
64: 5. 367
Jerem. 3: 14. 508
15. 117
9: 22. 322
16: 14, 15. 308
33: 16. 337
Thren. 2: 9. 434
Ezech. 17: 22. 354
34: 23. 217
40: 3. 467
Dan. 9: 24. 531
11: 27. 532
Hos. 3: 4. 384
5: 5. 410
12: 1. 110
4, 5. 107 & 134
Amoz. 3: 7. 533
13. 511
Habac. 2: 2. 529
4. 537
Zach. 4: 7. 223
11: 8. 541
13: 6. 149
7. 448 & 491
14: 8, 9. 503
Mal. 4: 4. 188
4-6. 248
5, 6. 273
Sapient. 8: 1. 74

1.Macch. 1: 23. 435
4: 46. 202
57. 435
9: 27. 202

EX NOVO TESTAMENTO.

Matth. 2: 23. 369
3: 9. 63
16. 269
7: 28, 29. 262. 269
11: 13, 14. 272. 531.
540
16: 14. 266. 270
17: 5. 285, 286
Marc. 1: 13. 202
4: 5. 85
6: 2. 262
5. 139
Luc. 1: 35. 516
78. 312. 345, 346
3: 23. 597
7: 16. 257. 263
16: 16. 535. 540
22. 268
22: 27. 172. 394
Jona. 1: 11. 264
16. 18. 278
18. 268
20, 21. 210. 218
25. 247
43. 109
51, 52. 70. 82, 83.
85, 86. 90. 93
2: 19--22. 464
3: 31--34. 189. 271,
272.
34. 276
4: 25. 247. 252
5: 46. 257
6: 14, 15. 211. 257
33--38. 83
46. 268
7: 40. 257
13: 25. 268
14: 6. 89. 91
17: 6. 267
24. 424
19: 5. 514
Act. 1: 2 & 8. 253
3: 21. 209
24, 16. 173, 174
7: 37. 209
8: 26. 85
13: 23 & 32. 167
37. 147
Roman. 3: 21. 365
8: 29, 30 & 34. 88
9: 29. 510, 511
1. Cor. 2: 12, 13. 275
14: 1-3. 531
Gal. 6: 16. 145
Ephes. 1: 10. 89
2: 21, 22. 466
6: 14. 100
Col. 1: 20. 89
1. Theſſ. 2: 16. 289
1. Tim. 1: 17. 373
Hebr. 1: 3. 277
3: 3--6. 281, 282.
284
7: 14. 370
22. 425
9:

9:	10.	535
10:	12.	483
	20.	89
	37.	536. 545
22:	16.	11
	17.	12 & 20
	22.	89
13:	8.	462
Jac.	5:	4. 510, 511
2. Petr.	1:	5—7. 88
Apoc.	5:	12, 13. 518

VOCES HEBRÆÆ

hic illic citatæ & explicatæ.

א.

אבק 100. 101
אריר 391. 412
אדם 99. 447
אחר 545
אחרית הימים 539. 547
איש 99. 447. 515
אמצעי 367. 368
אנש 447
ארד 391
ארר 391

ב.

בטח 327
ב & ל 233. 537
בני איש 99
בעבור 7, 8

ג.

גבר 447

ד.

דחל 77

ה.

הוא 468
הור 469. 518
הנה 307, 308. 446

ו.

ו 396. 422. 461. 500. 540
וגיה 258

ח.

חדש 254
חזון 530
חשר 311

ט.

יזען 213
יער 533
יפח 215
יצא 394
ירא 55
ירך

ירך 103
ישב 476. 484
ישע 326
ישראל 108. 112

כ.

כי 529
כמוני 174
כסא 473

ל.

לי לו לך 54

מ.

מהנה 542
מועד 532
מושל 392
מי 407
מלאך 214
מליץ 213, 416
מלך 318. 335
מצבה 58
מצרת 309
משפט 321, 322
מתחת יי 450

נ.

נאם 333
נביא 165
נגע 103
נגש 397. 400
נזר 436
נצר 311

ע.

עב אשר 54
עוד 531
עולם הוה & הבא 535
עיקר 238
עפר 100
ערב 404. 417

פ.

פנואל 121
פנים 122. 233
פרץ 51
פתח 335

צ.

צבא 506
צבאות 507
צדקה 321, 323. 328. & seqq.
צומח 310
ציץ 436
צמח 309. & seqq.
צניף 436
צרח 309

ק.

קום 167. 315
קץ 539
קרב 150
קרב 397

ש.

שבל 319. 358
שכן 327. 363
שרה שר 112. 146

ת.

תפילה 238

INDEX VOCUM GRÆCARUM.

VOCES GRÆCÆ

hic illic citatæ & explicatæ.

Α.

Ἀνατέλλειν 312
Ἀνατολὴ 309
Ἀνδείζεως 514
Ἀνὴρ 514
Ἀνίστημι 167
Ἄνωθεν 272

Β.

Βελτιὼν 81
Βλασὸς 311

Δ.

Διάδημα 436

Ε.

Ἐγείρω 167
Εἰς 268
Ἐπὶ 85. 87

Η.

Ἡμέραι ἰσχάται 539. 547

Θ.

Θεόλογος 166

Κ.

Καταγίνεως 484
Κοτύλη 103

Π.

Παλαίω 100
Πῖς 334

Σ.

Στήλη 58
Συνέδιον 476
Σύνθρονος 476

Υ.

Υστερεῖν 542

NOMINA AUCTORUM

ET LIBRORUM,

Qui in hoc volumine citantur, laudantur, vel refutantur.

A.

Abarbanel (*Isaac*) 119. 127. 135. 143. 184. 185. 188. 206. 207. 216. 222. 226. 239. 240. 252. 300. 307. 308. 331. 336. 340. 341. 358. 359. 367. 396. 403. 488. 527. 539. 550. 569. 571. 577. 588.

Aben-

Abendana R. 488
Aben Ezra 36. 59. 74. 101. 110. 134. 204. 205. 324. 413. 442. 487
Aben Melech 99
Abhuhabh R. 523. 552
Adrichomius (*Henr.*) 98. 121. 122. 334
Ælianus 65
Ainsworthus (*Henr.*) 591
Albo (*Joseph R.*) 221. 242. 331. 367. 572
Alcoranus 506
Alexander (*Natalis*) 14 62
Alsche R. 223. 296. 367
Altingius (*Jac.*) 85. 131. 136. 175. 188. 208. 227. 317. 348. 362. 367. 375. 387. 419. 432. 435. 452. 464. 467. 474. 491. 510. 599. 600
Amama (*Sixt.*) 114
Ammianus Marcellinus 460
Aristoteles 103
Arnobius 60
Athanasius 312
Augustinus 37. 63. 80. 111. 136. 147. 208. 286. 296. 298
Avoda Zara (liber) 64. 570

B.

Baal Hatturim (lib.) 207. 227
Bartoloccius (*Jul.*) 43. 72. 129. 221. 222. 238. 295. 523. 552
Bechai 204. 205. 216. 512. 565
Beidavi 258. 506
Bejerus (*Andr.*) 506
Bellarminus (*Rob.*) 60. 209. 259
Berachiah R. 411
Berachoth (lib.) 328. 524. 553
Bereschith Rabba (lib.) 56. 136. 499
Bernardus 72
Beuningen (*Conr. a*) 194
Beza (*Theod.*) 21. 312
Blancardus (*Steph.*) 103
Bochartus (*Sam.*) 62. 63. 335. 343. 391
Bonfrerius (*Jac.*) 204
Bosc (*Petr. du*) 92
Braunius (*Joan.*) 14. 314. 350. 372. 497
Breithauptus (*Jo. Frid.*) 39. 105
Brentius (*Joan.*) 348
Bullingerus (*Henr.*) 84
Burmannus (*Franc.*) 153
Buxtorfius (*Joan.*) 39. 43. 105. 142. 179. 221. 223. 230. 238. 288. 293. 294. 331. 342. 368. 509. 565. 566
Bynæus (*Ant.*) 268

C.

Calovius (*Abr.*) 133. 136. 328. 336. 338. 411. 435. 539
Calvinus (*Joan.*) 81. 87. 90. 93. 110. 120. 132. 142. 152. 195. 317. 318. 319. 332. 339. 451. 543
Camerarius (*Joach.*) 45
Camerarius (*Phil.*) 45
Canterus (*Theod.*) 60
Cappellus (*Jac.*) 22. 248
Cappellus (*Lud.*) 282. 338

Carpſovius (*Jo. Bened.*) 180. 482
Cartwrigtus (*Thom.*) 101. 313. 345
Caſſiodorus 460
Caſtalio (*Sebaſt.*) 103
Caſtellus (*Edmond*) 346
Caſtrus (*Hier.*) 442
Catecheſis Heidelb. 273
Caveus (*Guil.*) 131. 347
Chaldæus interpres 64. 213. 234
Chanina R. 216
Chia R. 123
Chryſoſtomus 16. 100. 141. 347. 378. 458
Cicero 5. 64. 65. 68. 506. 529
Clemens Alexandrinus 60. 347
Clericus (*Joan.*) 6. 47. 62. 101. 102. 103. 122. 139. 142. 197. 204. 209
Coccejus (*Joan.*) 11. 24. 81. 189. 215. 235. 239. 245. 264. 275. 277. 280. 284. 301. 321. 322. 330. 333. 337. 341. 348. 352. 357. 358. 363. 368. 381. 403. 419. 451. 469. 474. 491. 493. 496. 503. 511. 529. 536. 537. 539. 550. 553. 557. 584
Colomeſius (*Paul.*) 376
Concilium Smyrnienſe 136
Cramerus (*Dan.*) 313. 321. 323. 333. 432. 445. 450. 497
Cramerus (*Jo. Jac.*) 80. 136. 211. 225. 339. 344. 345. 368
Croeſe (*Jo.*) 77
Cyrillus (*Alex.*) 86. 120. 136. 147. 312. 435. 442. 449. 479. 487

D.

Daſſovius (*Theod.*) 324. 331
Debarim Rabba (lib.) 179
Dieu (*Lud. de*) 43. 215. 231. 282. 310. 313. 404. 474. 491. 536
Digeſta 13
Deilingius (*Sal.*) 136. 204. 233
Druſius (*Joan.*) 39. 103. 134. 209. 472. 489

E.

Echa Rabati (lib.) 444
Edzardus (*Georg.*) 570
Eliæ Thisbi 36
Eliezer (*Pirke R.*) 5. 34. 41. 43. 45. 70. 103. 105. 111. 132. 565
Elmacinus 43. 258
Elmenhorſtius (*Gebh.*) 60
Epiphanius 49. 81. 504
Epiſcopius (*Sim.*) 132. 197
Eraſmus (*Deſid.*) 130
Eſtius (*Guil.*) 110. 209. 442
Euſebius 122. 440
Euſebius Cæſar. 61. 64. 208. 380. 598

F.

Faber (*Tanaq.*) 100. 101
Fabricius (*Franc.*) 14. 16. 50. 51. 53. 66. 67. 93. 108. 109. 144. 197. 210. 214. 221. 223. 227. 234. 344. 364. 368. 395. 397. 408. 416. 438 445. 446. 448. 468. 478. 496. 506. 516. 522. 533. 559
Fabricius (*Jo. Alb.*) 45

Fagius (*Paul.*) 81. 103. 112. 192. 250
Fernelius (*Joan.*) 119
Forſterus (*Joan.*) 333
Fraſſen (*Claud.*) 14. 33. 40. 73. 137
Friſmuthus (*Joan.*) 329. 343. 345. 368

G.

Galatinus (*Petr.*) 56. 136. 237. 244. 348. 410. 584
Ganz (*R. David*) 34. 461. 585
Gatakerus (*Thom.*) 13. 515
Gedalia R. 461
Gejerus (*Mart.*) 334
Gemara Hieroſolymitana 64
Sanhedrin 239. 244
Gerardus (*Joan.*) 45. 175
Gerundinenſis 101
Glaſſius (*Sal.*) 54. 81. 109. 318. 330. 351. 448. 489. 516
Gloſſa ordinar. 204
Gomarus (*Franc.*) 272
Gronovius (*Jac.*) 60
Gregorius Magnus 146
Grotius (*Hug.*) 12. 24. 47. 51. 60. 70. 86. 132. 197. 284. 285. 328. 334. 335. 396. 403. 408. 442. 443. 514. 582. 387
Guſſetius (*Jac.*) 252. 255. 294. 318. 349. 404. 443. 451. 565. 584

H.

Hackſpanius (*Theod.*) 71. 131. 133. 197. 294. 331. 368. 463. 491. 556
Hammondus (*Henr.*) 23
Havercampius (*Sigeb.*) 376
Hecataeus 51
Heideggerus (*Jo. Henr.*) 14. 45. 101. 123. 136. 142. 147. 166
Heinſius (*Dan.*) 345
Helvicus (*Chriſt.*) 35
Heraldus (*Deſid.*) 60
Herodotus 392
Heſychius 469
Hieronymus 35. 42. 64-70. 111. 112. 115. 124. 129. 142. 257. 311. 330. 377. 435. 449. 469. 487. 490. 510. 520
Hieronymus a Sancta fide 568
Hilarius 111
Hillerus (*Matth.*) 69
Hiſtoria Jeſu Nazareni 72
Hiſtoria Judaica (lib.) 288. 559
Homerus 75. 77. 392
Hoornbeek (*Jo.*) 181
Hottingerus (*Jo. Henr.*) 111. 114. 143. 258. 342. 506. 573
Huetius (*Dan.*) 62. 75. 266. 343. 357. 409
Huldricus (*Jo. Jac.*) 73
Huſſius (*Henr.*) 158
Huna R. 311

I.

Jacobi ſcala (*liber*) 49
Jalkuth (liber) 131. 550
Jarchus (*Sal.*) 34. 37. 40. 41. 49. 50. 54. 56. 70. 98. 101. 105. 113. 119. 132. 174. 192. 193. 216. 253. 308. 341. 366. 442. 444. 451. 453. 482. 487. 539. 550. 563. 568
Ikkarim (lib.) 221. 295. 367

Interpres Syrus 100
Interpres Vulgatus 58 144. 310
Interpretes Belgæ 39. 133. 233. 329. 450. 543. 545
Interpretes Chaldaei 105. 113. 193. 197. 238. 252. 330. 343. 362. 366. 394. 404. 410. 412. 445. 469. 481
Interpretes Græci 100. 103. 109. 118. 309. 330. 336. 479. 507. 514
Joma (codex) 483
Josephus (*Flav.*) 12. 20. 40. 121. 123. 178. 202. 284. 372. 483. 515. 542. 590
Isa, Bar Ali 111
Isaacus (Rab) 194. 252. 293. 563. 584
Isidorus Peluſiota 120
Junius (*Franc.*) 25. 44. 109. 133. 137. 209. 212. 330. 358. 413. 529
Juſtinus Martyr 136. 208. 265. 312. 377. 582. 586

K.

Kellerus (*Goth. Wilh.*) 207
Kimchius (*Dav.*) 99. 101. 131. 134. 135. 216. 234. 254. 307. 318. 323. 324. 325. 330. 343. 351. 356. 359. 361. 367. 442. 487. 536
Kuhnius 65

L.

Lactantius 208
Lapide (*Corn. a*) 4. 72. 73. 101 119. 132. 142. 147. 195. 209. 338. 341. 359. 366. 412. 518
Leidekkerus (*Melch*) 143. 242. 347. 482
Lent (*Joan. a*) 573
Leo Caſtrius 119
Leo Mutinenſis R. 565
Leo Ben Gerſon 123. 127. 143. 237
Ligfootus (*Joan.*) 35. 72. 81. 104. 140. 197. 210. 237. 264. 600
Limborgius (*Phil.*) 133. 194. 196. 296
Lipmannus (*Rab.*) 193. 574
Lorinus (*Joan.*) 209
Lutherus (*Mart.*) 209. 452
Lyranus (*Nic.*) 37. 41. 133. 195. 487

M.

Macrobius 69
Mœbius (*Georg.*) 76
Maimonides (*Moſe*) 46. 59. 65. 66. 123. 176. 179. 180. 191. 205. 228. 236. 239. 241. 257. 331. 383. 482. 483. 527. 539. 571
Majus (*Jo. Henr.*) 56
Marckius (*Jo.*) 197. 205. 208. 230. 306. 313. 419. 432. 445. 467. 507. 514
Marius (*Leon.*) 62. 118. 136. 209
Martinius (*Matth.*) 11
Martyr (*Petrus*) 4. 39. 197
Mejerus (*Joan.*) 44. 208
Meinhardus (*Georg.*) 176

Me-

Melanthon (*Phil.*) 83
Menachem R. 100. 101
Menachem Rakanatenſis 417. 418. 421
Menaſſe (Ben Iſraël) 110. 179. 180. 182. 184. 204. 242. 279. 556. 557
Mercerus (*Jo.*) 14. 87. 93. 106. 115. 120. 376
Michlal Jophi (liber) 113. 141. 308
Midraſch (lib.) 342. 344. 411. 470
Coheleth 254
Hatephilim 36. 42. 564
Schir Haſchirim 248
Millius (*Dav.*) 59. 62
Minutius Felix 60
Mollerus (*Henr.*) 348
Momma (*Guil.*) 176
Montanus (*Arias*) 184. 308. 431. 470
Moſes Haddarſchan 453
Moſes Mikkots 433
Moyne (*Steph. le*) 309. 331. 336. 338. 341. 344. 345. 347. 366.
Munſterus (*Sebaſt*) 103
Muſculus (*Wolfg*) 65. 81
Muyſius (*Sim.*) 130

N.

Nachmanides (*Moſes*) 126. 193. 324
Nazianzenus 111
Nicephorus 460
Nizzachon (lib.) 293. 294. 300

O.

Origenes 69. 123. 130. 197. 259. 378. 516
Orobio (*Iſaac*) 194. 297
Oſiander (*Luc.*) 348
Outramus (*Guil*) 482

P.

Pagninus (*Xantes*) 51. 164. 234. 391. 431
Pareus (*Dav.*) 81
Paulus Burgenſis 195
Pellicanus (*Corn.*) 40. 80. 99. 250. 442. 487
Pererius (*Bened.*) 22. 40. 59. 73. 74. 93. 101. 111. 132.
Perizonius (*Jac.*) 515. 593
Peſikta magna (lib.) 206. 497
Peſikta Rabta (lib.) 564
Petri (*Rudolph*) 81
Pfeifferus (*Aug.*) 14. 114. 133. 134. 137. 468. 510
Philo Biblius 61
Philo Judæus 69. 111. 120. 137. 178. 471
Phlegon Trallianus 258
Pina (*Dav. Zarphati*) 194
Pirke *Avoth* (lib.) 470
Piſcator (*Joan*) 81. 209. 338
Placæus (*Joſua*) 328
Plinius 103. 587
Plutarchus 314
Procopius 124
Proſper 111

R.

Raimundus (*Mart.*) 36. 42. 56. 180. 216. 250. 254. 344. 384. 385. 410. 412. 454. 499. 522. 539. 569
Raphelius (*M. Georg.*) 12. 28

Re-

Relandus (*Adrian.*) 35. 39. 64. 98. 122. 129
Reuchlinus (*Joan.*) 48. 132. 510
Rhodiginus (*Cœlius*) 44
Ribera (*Franc.*) 310
Rivetus (*Andr.*) 14. 21. 45. 63. 73. 81. 85. 101. 107. 123. 127. 137. 142. 147. 153
Ruffinus 460
Rupertus (*Tuitienſ. Abb.*) 124

S.

Saadjah R. 366
Sa (*Eman*) 204
Salianus (*Jac.*) 61
Salvaticus (*Porchet.*) 56
Sanctius (*Caſpar.*) 209
Sanhedrin (Codex) 527. 539. 542. 553. 555. 558. 562. 563. 566. 568. 570. 584
Scaliger (*Joſ.*) 310. 313. 347
Schefferus (*Joan.*) 65
Schichardus (*Guil*) 482
Schmidius (*Sebaſt*) 22. 175
Schotanus (*Chriſt.*) 40. 62. 73. 78. 137
Schultetus (*Abr.*) 313
Seldenus (*Joan*) 58. 193. 506.
Simeon Jochaida R. 44
Simon Judæus 48. 61
Simonius (*Rich.*) 166
Simon R. 132. 225
Sixtus Senenſis 58
Socrates (*Hiſt.*) 455
Sozomenus 456
Spanhemius (*Frid. F.*) 170. 561
Spanhemius (*Frid. P.*) 54. 65. 335. 352
Spencerus *Guil*) 45. 66
Stapletonus (*Thom.*) 209
Stillingfleetus (*Eduard*) 197
Strabo 20
Suetonius 346. 411
Suidas 11
Symmachus 366

T.

Tacitus 346. 411
Talmud 216. 253. 264. 341. 344. 372. 412. 433. 474. 588. 592
Taubmannus (*Frid.*) 75
Tena (*Ludov*) 21. 24
Tertullianus 68. 76. 136. 251. 265. 312. 347. 375. 582
Theodoretus 32. 74. 93. 118. 134. 136. 312. 336. 378. 442. 460. 479. 487
Theophylactus 312
Thephiloth (Liber) 564
Thomas Aquinas 124
Tigurini 100
Til (*Sal. van*) 233. 528. 537. 551. 592. 598
Torniellus (*Auguſt.*) 111. 144
Toſtatus (*Alph*) 195. 259
Tremellius (*Eman*) 100. 103. 113. 133. 330. 358. 529

V.

Valerius Maximus 506
Varenius 348
Vatablus (*Franc.*) 318. 320. 489

Virgilius 76
Vitringa F. (*Camp.*) 90. 114. 116. 139. 145. 146
Vitringa P. (*Camp.*) 11. 166. 202. 215. 230. 235. 281. 434. 476
Voiſin (*Joſeph*) 180. 386. 453
Vorſtius (*Guil*) 34. 71. 565
Vorſtius (*Henr.*) 128. 242. 252. 550. 579
Voſſius (*Ger. Joan.*) 44. 259. 569. 571

U.

Uſſerius (*Jac.*) 19. 20. 35.

W.

Wagenſeilius (*Jo. Chriſt.*) 128. 192. 293. 295. 574
Willetus (*Andr.*) 591
Weſſelius (*Jo.*) 555
Wittichius (*Chriſtoph.*) 407
Witzius (*Herm.*) 25. 45. 81. 90. 92. 166. 170. 191. 252. 268. 274. 352. 404. 407. 452. 464. 491
Wolfius (*Jo. Chriſt.*) 179. 221. 222. 238. 319

Z.

Zanchius (*Hieron.*) 84. 93. 135
Zohar (Liber) 44

INDEX RERUM

AC PHRASIUM PRÆCIPUARUM.

A.

Abarbanel (Iſaac) quis 222
Abhuhabh, Rabbi, quis 527
Abrahamus pater credentium 50
Academia duæ olim apud Judæos celebratiſſimæ 643
——— nomen non tam ab *Hecademo*, ſed *Cadmo* derivant quidam 610
Accedere ad Deum *juo corde* nemo poteſt 405 niſi Meſſias intercedendo 416. abſque quo non datur ad Deum acceſſus 421
Accommodatio Prophetiarum non admittenda 538
Acetabulum quid 103
Albo (Joſeph) quis 221
Alphæus, V. *Cleophas.*
Amozus nec *Propheta*, nec Prophetæ filius, quid id velit 620
Angelus Domini Meſſias 213. 228. & *Angelus faciei* 232. immo & *Facies* ipſa 233
Angelus Mortis Judæis eſt Juſtitia Dei vindicans 418
Angelus, qui luctabatur cum Jacobo fuit non creatus, ſed Filius Dei 128-137
Angeli, quos vidit in ſcala Jacobus, variè conſiderantur a variis 69. ubi refutantur Judæi 70. quid eorum *deſcendere* & *adſcendere* 85. & quid eo denotatum 89
Anima tranſmigratio nonnullis creditur Jacobi ſcalâ repræſentata 70
Anti-Chriſti nomen quo ſenſu veniat 199
Antiqua docentur in regno Dei 647. quæ ſedulo ſervanda 650 & cum novis conjungenda 651. nequaquam rejicienda 657
Appropinquare & *accedere* ad Deum Sacerdotum eſt, & quomodo illa duo diſtinguantur 397. 400. quod facturus erat Meſſias 415
Appropinquare eſt Sacerdotum, uti & *accedere* 398. Sed prope ad Deum nemo poteſt merus homo 402
Arca fœderis vocatur gloria Iſraëlis 414
Audiendi Moſes, omneſque Prophetæ, in primis Meſſias 190. 255. & Jeſus 288
Auguſti Imperat. tabulas deſcriptionis appellant Veteres 265
Auguſti Imper. deſcriptio ad perſonas, non facultates ſpectabat 593

B.

Babylone dicuntur Judæi ſcholas habuiſſe tempore captivitatis 433
Batulorum ortus & uſus 61-63.
Barcoſba non potuit odorari in timore Domini 235
Bechai R. quis 565
Benedictiones aliæ privatæ, publicæ etiam Patriarchales, quæ etiam Propheticæ 3. 4.

3.4. Morientium ſunt efficaces, parentum in primis in liberos 5. qualis generis ea Jacobi fuit, quam accepit ab Angelo 115
Beth-aven non eadem cum *Bethel* 64
Bethelem cenſent Judæi fuiſſe in monte Moria. 37. malè, cum fuerit antè hæc urbs dicta Luz 38. an eadem cum *Beth-aven* 64
Bethele, *Jerichunte*, *Gilgale* &c. urbibus, ſua habuerunt Prophetæ auditoria 614

C.

Cabbala Judæorum minus ſolida 342. 413. nonnulla tamen aliquando bona habet 421
——— majorem habet ſubtilitatem quam ſoliditatem 226
Cabbaliſtico more quid ex literis אש confici poſſit 515
Cadmi nomen videtur non nullis originem nomini Academiæ dediſſe 610
Candelabrum luminaris, qualis liber 523
Catenam auream ſuam, neque *germen palmæ* Homerus derivavit ex ſcala Jacobi 75.77
Cenſus ævo Auguſti an perſonarum, an facultatum? 587.593. hæc poſterior multas ſæpe turbas movit, non item prior 594
Charan urbs Meſopotamiæ 35
CHAUARITA Meſſiæ nomen 568
Cibus facit ad excitandum ſpiritum hominis 5
Cleophas idem cum *Alpheo* 600
Collis Dei in ſacris eſt *Schola* 613
Conſilium quid, & in ſpecie pacis, quomodo illud inter Deum & Meſſiam 492 &c.
Corde ſuo accedere ad Deum quid 403
Corona non modò Regii, ſed etiam Pontificalis muneris fuerunt inſigne 435
Corona duæ impoſitæ capiti Joſuæ, non Joſuam 440 neque Zerubbabelem ſignificant, 442. ſed Meſſiam. 444. quod pluribus probatur 445 &c.

D.

Davidis filius eſt Meſſias 354. 355. qualis & Jeſus fuit 372
David pater Meſſiæ 578
Deſcriptionis tabulas Patres priſci appellabant, ex quibus conſtaret Jeſu ortus è Davide 582
Deus dicitur *inneminatus* Caligulæ 120. Deum *videre* & vivere, putabant Judæi ſimul ſubſiſtere non poſſe 122
Diabolo dant Judæi munus die expiationis magnæ, ne ab ipſo accuſentur 565. quod facit aliis anni diebus omnibus: unde hoc derivent 566
Dies venientes notant dies Meſſiæ 324
Dierum ultima, & *dies poſteriores* 539. 547
Differri adventus Meſſiæ nequaquam ob peccata poteſt 549 & *ſeqq.* ob veracitatem Dei 551. & ſuam agendi conſuetudinem 554. & ipſorum Judæorum traditionem 555-562
Dominator qualis 394
Domitiani tempore adhuc erant Davidis poſteri 598
Domus Dei, de qua loquitur Jacobus, non eſt Templum 37-55 57
Dormientes aptiores ſunt recipiendis ſpiritualium rerum notionibus 65. vindicatur ab exceptionibus 67

E.

Ecce, præfigitur ſæpius rebus futuris 108

Eccleſia aliquando vocatur nomine *Iſraëlis*, aliquando *Jacobi*, & quando 155

—— recte Templum dicitur 466

Edomita gens bellicoſa 19. Judæis tandem ſubjecti 20

Elia domus traditio quæ 253

Eliana traditio de ſex mille annis, quibus duraturus ſit mundus, diligenter examinatur 555 *& ſeqq.* quam nunc ſiniſtrè interpretantur Judæi, ſed refutantur 559

Elihu quis 170

Eſavus erat profanus 11. neque verè pœnituit 12. benedictus tantùm eſt reſpectu corporalium 17. quæ adimpleta 19. an æternùm perierit 20. fuit exemplar, aut typus Judæorum incredulorum 24

Euangelii doctrina non minus variis ſignis eſt confirmata quam Legislatio Moſaïca 290. 292

—— prædicatio cito pervenit ad remotiſſimas Gentes, quæ crediderunt 375 *& ſeqq.* incepta tamen inter Judæos 379

Exercituum Deus vocatur in primis Deus a poſterioribus Prophetis, quid dicat, & cur 506 & 508

Exercitus omnes in ſua habet poteſtate Deus 507

F.

Fabula Ethnicorum, etſi ſpeciem ſæpe habeant quandam cum veris Moſis hiſtoriis, non ſemper tamen ex his ſunt depromtæ 78

Facies nonnunquam vocatur Meſſias 136. & *facies Dei* 233

Fagius (Paul.) quando floruit & mortuus 250

Femoris luxatio in Jacobo 103

Fidei articulos nonnulli Judæi tres tantum ſtatuunt, & illum de Meſſia omittunt 571. 572

Filii Prophetarum qui dicuntur, & cur 615

Futurum tempus non tantùm adhibetur de iis, quæ incipiunt exiſtere, ſed & de iis, quæ in lucem magis prodeunt 500 & 503

—— tempus (ex. gr.) *Erit*, uſurpatur ſæpe etiam de iis, quæ jam incipiunt exiſtere, & in lucem magis, quàm antè, prodeunt 503

G.

Genealogiæ Matthæi & Lucæ reſpectu Jeſu defenduntur & conciliantur 588 *& ſeqq.*

Gentes in Sacris ſæpe veniunt nomine exercitus 508

Germen vocatur Meſſias 309 *& ſeqq.* 334. *& ſeqq.* 347 & *juſtum* 313. 352. 448

Germina vocantur nonnunquam liberi 313

Gerſon R. quis. Vid in *Levi*.

Gnoſtici ex nomine Dei *Zebaoth* videntur cudiſſe ſuum *Jahdabaod* 506

Graci ſemper pueri 657

Gratia per Jeſum data 273, 274

Grotius (Hugo) citra controverſiam eruditiſſimus 514

H.

Habacucus quando prophetavit 528

Habitarunt Chriſtiani ſecure tempore Chriſti 379 *& ſeqq.*

Harpocrationum imagines digito labiis impreſſo ſilentium imperabant 603

Helenæ Reginæ propinquum fingunt Judæi Jesum fuisse 372
Heli fuit pater Mariæ Virginis 597

I.

Jaboci flumen 98
Jacobus surrepsit Esavo benedictionem per fraudem, etiamsi res ipsa in se haud iniqua esset, 10–13. Benedictio ipsius continebat bona *naturalia*, *civilia*, & *spiritualia* 15. quod ostenditur in implemento 18. fuit Typus Christi 23. Ei plures quam aliis leguntur obtigisse visiones admirandæ, & cur 29. in specie illa scalæ 31. causa itineris ipsius in Mesopotamiam 32. initi ætatis anno 77. peragravit totam Canaänem 39. putant Judæi locum, ubi pernoctavit, fuisse Moriam 37. Lapides ex quibus cervical fecit, non fuerunt ex altari super quo ligatus fuit Isaäcus 41. de somnio ejus 44. vidit scalam, & quot ejus gradus 46. Dominus in ea visione eum constituit haredem promissionum paternarum 49. quæ recensentur 50–54. & reverentiam in eo operantur 54. qui hunc locum visionis vocat *domum Dei*, *cœlique portam*, quo sensu 55, 56. & erexit unxitque lapidem 58. quid notaverit non idem sentiunt Interpretes 63. somnium ejus divinum 64. 66. Scalæ significatio falsa 69—72. Vera 73. quæ faciebat ad Jacobi solatium 79. cujus generalem substantiam perspexit 92. Cur solus Jaboci flumen non transeat atque precetur 98. Luctatur ibi, & qualis Luctationis species 99. 100. hæc facta in pulvere 101. & luxatum ejus femur 103. quæ claudicatio non habita est pro defectu 104. Petit benedici 106. & accipit nomen Israël 108. quis istius nominis mutationis scopus 109. Luctatio illa fuit vera, non in somnio 124—127. Vir ille Filius Dei, cujus est demum benedicere, & non Angelus creatus 128-137. Messiæ non indecorum quod vel luctetur, vel vinci se patiatur 138—141. hujus luctationis scopus multiplex ratione Jacobi 141–143. & cum relatione etiam ad Christum 142. & Ecclesiam 152. quod utrimque multis convenientiis ostenditur *ibid.*
Jacobi nomen supplantatorem notat, & cur datum 113. Hoc nomine aliquando vocatur Ecclesia 155
Jaldabaod Gnosticorum 506
JEHOVÆ nomine vocantur juxta Judæos Messias, justus, & Jerusalem 344
Jesus Nazarenus est verus a Deo promissus *Propheta* sicut Moses 257. Diserte dicitur Propheta, non modò a Christianis, sed & Muhammedanis & Gentibus 258. male negante Tostato 259. ad hoc munus legitime *suscitatus* 261. docens ut auctoritatem habens 262. & quidem a Deo 263. Ex *fratribus* Israëlis *ibid.* ex domo Davidis 264. etiam *ex eorum medio ibid.* in *bonum Israëlis* 265. non exclusis gentibus 266. Mosi *par* in omnibus, cùm ratione *Prophetiæ* 267. tum *Miraculorum* quæ majora & plura fecit quam Moses omnesque Prophetæ simul 269 *& seqq.* nec non *dignitatis muneris*, qui & *internuntius* fuit Dei, novam afferens doctrinam 272. in primis gratiam 273. & ita non modò *par* Mosi, sed eò in omnibus excellentior, quod per partes ostenditur 274. non modò respectu *Prophetiæ*, sed & *Miraculorum* 279. in

quibus patrandis ſuperavit & magnitudine, & numero omnia illa Moſis & Prophetarum, ſimul 280. qui & his omnibus præcelluit munere *Internuntii* 281. utpote qui modò ſervi, Jeſus Filius ac Dominus 281-285 ac proinde *audiendus*, & quidem ſolus 285-287. Solvuntur objectiones de æternitate Legis 288. de Jeſu doctrina ab illa Moſaïca aberrante 292. miracula Jeſu non valere 294. eum Moſi non parem fuiſſe, ut pote qui & Deus dicitur, & Moſes tantùm homo fuit 295. qui ex Virgine, natus & non Moſes 297. neque Jeſum prophetias edidiſſe, ſed contra Legem ſolviſſe 299

Jeſus eſt *Oriens* 369. & *Germen* 370. 516. *Nazirenus* & inde dictus 370. a Deo ſuſcitatus triplici modo *ibid.* & quidem *Davidi*, cujus filius verè dicitur 371. ipſis Judæis tradentibus 372. qui eum quoque Helenæ Reginæ Propinquum fuiſſe fingunt *ibid.* qui etiam. *Rex* eſt 273. & *ſapienter* egit 374. & *Judicium* exercuit 375. & quidem *in tota terra* 376. quæ repleta eſt ejus Euangelio 377. & Salvavit Iſraelem 379 fecit Iſraëlem ſuum *ſecure habitare* & ſpiritualiter, 379 & corporaliter 380. factus ſuis *Jehova Juſtitia* 382. contra hunc Jeſum multa objiciunt Judæi, quod non ſit promiſ us Meſſias 384-387. Jeſus eſt *Magnificus* & Dominator 422. qui ut Sacerdos appropinquavit ad Deum cum ſacrificio 423. & ſpopondit cum corde 424. ſolus quidem 425 eſt *Vir* per excellentiam 514. ex ſe ipſo progerminavit 516. cùm reſpectu ſuæ humanæ naturæ, tum munerum 517. ædificavitque Templum Domini, & ſui corporis, & Eccleſiæ *ib.* portatque gloriam omnimodam 518. dominatur in throno ubi etiam ſedet quà Sacerdos 519 adduxitque omnigenam pacem 520

Jeſus fuit *Præco* 547. qui *venit in fine* OEconomiæ veteris, eamque evertit 549. cujus adventus definitus differri non potuit 549. Ex Davidis familia ortus eſt, quod probatur ex Euangelio 578. Judæis 549. Deſcriptionis tabulis 580. teſtimoniis Patrum 582. Genealogiis Euangelicis 583. & Scriptis Talmudicis 584. Objectionibus reſpondetur 585 *& ſeq.*

Interpres, ſive *Internuncius*, quo ſenſu Moſes 185-290. quo *Meſſias* 247-255. quò Jeſus.

Joſephus Albo quis 367

Joſua dicitur Meſſias, non quod ex eo deſcenderit, ſed multa cum eo habuit ſimilia 597

Iſaäcus hæres benedictionis Abrahami, ejus hæredem conſtituit Jacobum 2 & 55. edere vult cupedias venaticas antequam benedicat quare? 5. vindicatur hoc contra plures 6.9. Benedicit Jacobo 14. & Eſavo 17. quæ benedictiones comparantur, & in implemento oſtenduntur 18 & ſeqq. Quo pacto benedixerit *fide* 21

Iſraël, hujus nominis ſignificatio 180. 112. Hoc nomine ſæpe inſignitur & Chriſtus & Eccleſia 145.146

—— nonnunquam Edom dicitur 24

Juda & *Iſraël* ſæpe diſtinguuntur 325. 361

Judæi multa objiciunt, cur Jeſus non ſit Meſſias: ad quæ reſpondetur 384-387

Judæorum objectiones variæ contra imple-

plementa Prophetiarum in Jesu Nazareno refelluntur 522. & seqq.
——— misera inter sua figmenta fluctuatio de Messia 567
Judæos tempore adventus Messiæ corruptissimos fore tradunt ipsi 562
Justorum aliquot millena semper esse in Israële, quorum nonnulli æquiparentur sanctitate Angelos tradunt ipsi 563. immo die expiationis magnæ totum Israëlem purum esse 564
Judicium facere 321. 322
Julianus Imperator tertium Templum conatus est exstruere per Judæos, sed cœlitus opus impeditum fuit 455-461
Jupiter Sabasius unde hæc denominatio 506
Juramenta faciunt ad ratificationem fœderis 496
Jus, sive *Justitiam facere*, quid sit 321. 322
Justi titulus competit vix ullis regibus 314
Justitia nostra, quo sensu sumatur in sacris 328 *& seqq.* & quomodo talis Messias 364. agnoscentibus Judæis ipsis 366

L.

Lapides, ex quibus, Jacobus fecit cervical, non fuerunt tres vel duodecim 42. neque basis mundi, dictus *lapis fundationis* 43. ubi & multa Judæorum & Christianorum refutantur figmenta.
Lapides antiquitus nonnulli erigebantur, & ungebantur in usum sacrum 58 quem unxit Jacobus nonnullis emblema est Messiæ, 63. aliis gentium ungendarum Spiritu S. ibid.
Levi, Ben Gerson quis 237
Lex Mosis non est æterna 288. nec debet eodem modo abrogari quô lata est 289. quod satis tamen factum tempore Pentecostis effusione Spiritus S. 290. congregatis populi primoribus 300
Loci nomine nonnunquam venit Deus apud Rabbinos, uti & *Rupis* 36
Loqui in primis competit Messiæ ceu Prophetæ 214
Luctationis variæ species 100
Luctari, & pati se vinci Messiæ non indecorum 137.
Ludere aliquando placet Deo cum hominibus 137
Luz urbs postea dicta *Bethel* 38

M.

Magnifici Vox 393
Magnificus solus est Messias 410. 413
Majestas adscribitur Messiæ vario respectu 469. 471
Maimonides (Moses) quis 220
Malachias Prophetarum sigillum dicitur 202. cujus vaticinii finis est initium Euangelii Marci *ibid.*
Maria virgo non denotata per scalam Jacobi 72. de qua lepidam tradunt Judæi fabellam 73
Maria mater Jesu est è familia Davidis 588. & quidem per Nathanem 597. Fuerit Virgo ἐπίκληρος, an inde sequatur, quod ad familiam Davidis pertineat 593
Matrimonia contrahere non licebat Judæis extra gentem Israëliticam, sed quidem extra tribum suam: quod & licuit

cuit Sacerdotibus, & Pontifici M. 589. & ſeqq.
Menaſſe Ben Iſraël doctor Judæus 556
Mendaces omnes homines; neque ab eo alienus fuit Moſes; & Legiſlatores Judæi 541
Miracula multa a Rabbinis ſuis facta fingunt Judæi, ut illa Jeſu enervent 246. ſed quæ longè ſuperant illa Moſis ac Prophetarum ſimul 270
Meſſias eſt ille Propheta promiſſus a Moſe 208-257. quod per omnia epitheta fuſe probatur: conſentientibus ipſis Judæis 216. qui Iſraëli quidem promiſſus, aliarum tamen gentium futurus etiam doctor 220. qui etiam miracula patrare debuit, conſentientibus Judæis antiquis 238. non recentioribus 239 juxta vaticinia 240. quod maligne Maimonides negavit 241. qui refutatur 242-246. qui verus eſt *Internuntius*, ſive *Interpres* novam allaturus legem, ſive doctrinam, 247-253. quod maligne rurſus negat Maimonides 254. Idcirco etiam audiendus 255-257. Quæ omnia implementum habent in Jeſu Nazareno 257 *& ſeqq.* Vid. in *Jeſu*.
Meſſias dicitur *Germen* & *Oriens* 310. *& ſeqq.* 340. juxta ipſos Judæos 341. Meſſiæ nomina octo 341. *& ſeqq.* & *Jehova Juſtitia noſtra* 331. 364. germinabit ex ſe 450. ædificabit Templum & corporis ſui naturalis, & myſtici, np. Eccleſiæ 464-467. *Majeſtatem* portaret 469 471. *ſederet* in *throno* tanquam & Rex & Sacerdos, quod nulli olim licitum 473-485. & inter eum & JEHOVAM foret conſilium pacis 485. ejus adventui ſigna temporum ſunt ſtatuta 533. *& ſeqq.* eſt *Præco*, *Locutor* &c. per excellentiam, 536. qui non *mentitur* 540. *neque meraretur* 542 neque *tardaret* 545. cujus adventus ad Judæos duplex, 545. neque poterat differri, quod contra Judæos fuſe diſputatur 549 *& ſeqq.*
Meſſiam jam adveniſſe multi Judæi tradunt, ſed deliteſcere, quia eo indigni ſunt: in mari ex gr. Romæ, regnare alibi &c. 467 *& ſeqq.* quem ex conſtellatione ſiderum aliqui conjectant 569. & hunc ejus adventum ex articulis fidei nonnulli tollunt 571. quod refutatur 572. Pſeudo-Meſſiæ multi recenſentur 573. Debuit verus Meſſias ex Davide oriri 577 *& ſeqq.* quod in Jeſu obtinet. Vid. *Jeſus*.
Methodus deliberativa & *confirmativa*, quæ ſit: utrâque uſi ſunt Apoſtoli: & utraque ingentem habet uſum 432, 433
Miraculorum patratio eſt ſignum etiam veri Prophetæ, quæ Moſes patravit, quæ ratione & magnitudinis & numeri recenſentur 281-285. quæ Meſſias etiam patrare debuit 238-242. Vide in *Meſſias*; & patravit Jeſus. Vid. in *Jeſus*.
Morari, quando quis dicitur 542
Moriam montem putant fuiſſe Judæi, in quo pernoctaverit Jacobus, ubi poſtea exſtructum Templum 37. 55-57
Morientium verba notatu digna 5
Moſes potius Propheta ſuſcitatus ab Iſraële, quam Deo, quo ſenſu 168. Propheta ſimilis ei, quid ſit 175. In quibus ejus excellentiæ ſupra reliquos conſiſtant, non tantum ratione *prophetiæ* 177. in quibus differt a reliquis Prophetis 179. ſed & *miraculorum* 181. non modò reſpectu magnitu-

gnitudinis 182. verùm etiam numeri 184. uti & *dignitatis muneris*, quòd *internuntius* fuerit 186. & qui audiendus 190. & *Dominus Prophetarum* Judæis dicitur 192. eum ex miraculis dignoſcendum negavit Maimonides, qui refutatur 242. Magnus fuit & fidelis in tota Dei domo 281
Muhammedani Jeſum pro magno habent Propheta 258

N.

Nauſicäa Virgo apud Homerum an Rebecca 77
Nazirenus unde 370
Nehardiæ, ad flumen Euphratis ſitæ, dicuntur Judæi ſcholas habuiſſe tempore captivitatis Babylonicæ 433
Nomen Dei eſt ipſe Deus 229. quod eſt in Meſſia *ibid.* & in Jeſu 267
Nomina Meſſiæ octo 341
Nova docentur in regno Dei, quo ſenſu 649. quæ addiſcenda, fundata in antiquis 650. neque hæc poſteriora tranſeunda 652. Non omnia nova ſunt, quæ ſic dicuntur 654. 657. ideoque non novitatis prætextu rejicienda 655. ſed inquirenda 656

O.

Oder agri gratus 15
Oderari timorem Dei ſolius eſt Meſſiæ ſignum, ex ipſis Judæis 234. nec non ex Euangelio 235
Olei magnus inter Orientales uſus 59
Oriens vocatur Meſſias, quo ſenſu 310 *& ſeqq.* 345. 346
Orientales gaudent vivacitate phantaſiæ
Orobio (Iſaac.) quis 194

P.

Pacis conſilium inter Deum & Meſſiam quid ſit, & de qua re 485 &c. 493. an excludatur Spiritus S. 504
Paläſtra Græcorum & Romanorum 100
Paradiſus prima fuit Schola 606
Patriarchæ ſuarum familiarum erant capita, ſacerdotes ac Prophetæ 4
Pax quotuplex adducenda per Meſſiam 494. & adducta per Jeſum 520
Pellicanus (*Conr.*) quando vixit & mortuus 250
Pera (lib.) 225
Peſikta (lib.) 225
Porta cœli quæ Jacobo 59
Profanus Eſavus, quo ſenſu 11
Promiſſiones Dei ſemper ſortiuntur effectum 553
Propheta nomine primus inſignitus Abrahamus 4
Propheta qualis 165. qui Moſi ſimilis non foret interpres eorundem verborum 188. Hic non eſt Propheta quivis, ſive Prophetarum ordo 193 neque Joſua 204. neque Jeremias 206. neque ullus ex Vet. T. Prophetis 208. ſed Meſſias, & quidem ſolus 208—257. Vide in *Meſſia*.
Propheta rari fuerunt 202. ceſſarunt poſt Artaxerxem, *ibid.* nulli prophetarunt niſi ad dies Meſſiæ, quo ſenſu 252
—— *majores* & *minores* cur ita dicantur 446
—— a rebus V. T. & quidem terrenis, derepente ſæpe tranſeunt ad res ſpirituales, & promiſſiones de Meſſia 463
Prophetiarum implementa non ſuſpenduntur a conditionibus 523
Propheta etiamſi *Videns* vocetur 530. tamen diſtinguitur a *Viſione* 538

Prophetæ ſcholas ſuas habuerunt a priſcis temporibus 606. ex iis ordinarii vulgò deligebantur 619. 622
Proſperari varia notat 319, 320
Pulchrum eſt quod utile eſt 635
Pulverulenta agitatio in lucta 100. Pulvis in lucta excitatur 102

R.

Rebecca in totum a fraude excuſari nequit, ubi ſua directione benedictio Iſaäci confertur, etſi res ipſa in ſe non eſſet iniqua 10—14
Reges cognomen *juſti* non adeo appetunt, quàm quidem alia 314
Renes ſedes ſunt & fomentum cupiditatum 494
Revelationes, quas acceperant Prophetæ, ſolebant ſcripto exhibere & communicare, quod & ſolebant inter Romanos Pontifices ſummi 528. 529
Rex eſt Meſſias, ſed ſpiritualis 356. & quidem in tota terra, etiam inter gentes 360

S.

Sacerdotum eſt primò *appropinquare* ad Deum cum ſacrificio, deinde *intercedere* 400. quod & Meſſias faceret 415
Salomo dicitur Meſſias, non quod ex eo deſcenderit, ſed multa cum eo habuerit ſimilia 597
Salvatio a Meſſia exſpectanda eſt in primis a peccato 362
Scala a Jacobo viſæ miræ dantur Judæorum traditiones 46. 48. ſub titulo *Scala Jacobi*, priſci librum ediderunt 49. qui ex *ſcala* loquebatur erat Filius Dei, *ibid.*
Scala non notavit piorum preces 71. neque Mariam 72. ſed in genere providentiam Dei ſuper piis 73. ad quam ſcalam Homerus non reſpexit in ſua *catena aurea* 74. neque in *germine palmæ* 77. in ſpecie Meſſiam 80. quod probatur 82. Convenientia 87. Solvuntur objectiones 91. 92
Schechina Judæis eſt Meſſias 233
Schola primæ Deus fundator, 606. eaſque habuerunt priſci inde a primo initio, & deinceps ſemper 607. talem habuit Abrahamus & ſequentes Patriarchæ 608. Nec non Prophetæ, uti Moſes, reliquique 609. in unaquaque urbe debuit eſſe ſchola 611. eratque Synedrium magnum univerſæ Gentis quaſi ſchola *univerſalis* 613. 621. 643
—— Prophetica in primis ea dicitur, in quo Naziræi inſtruebantur cognitione rerum divinarum 612. tales ſcholæ erectæ fuerunt a Samuële, Elia, Eliſa, etiam in urbibus 614. in his præfuit vel Propheta, vel Doctor quiſpiam magnæ auctoritatis 615. qui habebat vulgò inter diſcipulos aliquem ipſi familiarius adminiſtrantem, & ſæpe ei ſuccedentem 616. docebatur Chriſtus fundamentum Eccleſiæ, & quæ ad eum ſpectabant 618. ex iis Prophetæ vulgò ordinarii deligebantur 619. 622. quæ ſcholæ diſierunt poſt captivitatem Babylonicam 623. & earum loco venerunt Synagogæ & domus inquiſitionis, & Rabbini doctores 624. quibus nunc ſimiles ſunt noſtræ Academiæ 627
Scriba qui dicantur 640. Eorum erat ordo quidam inter Judæos 641. ex tribu Simeonis vulgò deſumebantur *ibid.* Scriba Chriſtianus edoceri debet in regno cœlorum, ſive locus ſpectetur, ſive res docendæ, ſive Doctor 643.

Peritus

peritus antiquorum 647. & Novorum 649. quæ ambo conjungere debet 656. & tunc ex thesauris suis ea proferre prudentia 658. pro ratione cujusvis cum indolis 659. incorruptè & graviter 660. non verbis sequipedalibus novisve, sed è Scriptura petitis in timore Dei 661. Tales scribæ fuerunt Apostoli, prisci Patres, Reformatores, qui vetera & nova conjungebant, Mosem & Christum 662. Tales & nos habemus in scholis nostris, qui audiendi ab omnibus cujusvis facultatis 663 *& seqq.*

Sedere multa notat 470. quod nulli licitum in Sanctuario nisi soli Regi 482. & aliquando Sacerdoti summo 485. sed quod Messiæ jure competit *ibid.*

Sigalionum imagines digito labiis impressо silentium imperabant, & quare 623

Similitudo non in omnibus semper extendenda, sed limitanda 174-176

Simeon (Rabbi) quis 225

Sinus est intimæ admissionis locus 267

Somniorum genera varia & exempla 45. quale istud Jacobi, 64. & magni ea faciunt Ethnici. *ibid* recensentur à Judæis inter prophetias 66

Somnia etiam a Deo immittuntur, & cur 64. quid de iis sentiant Judæi, Ethnici, Christiani 65-68

Speculatores dicuntur Prophetæ 530

Spiritus S. per Messiam communicaretur etiam gentibus 237

——— mentio cur non fiat expressa in consilio pacis 504

Stare erat Sacerdotum 482

Stationarii Viri unde sic dicti 482

Supplantator Jacobus dictus 113

Suscitare usurpatur & de nativitate, & munere 167

Suscitandi verbum multa notat 315. præcipuè ubi de Deo usurpatur cum respectu ad alios 316

T.

Tanchuma (Liber) quis 222

Tardare quando quis dicitur 545

Templa duo hic in terra ædificanda dicunt Judæi veteres; tertium exspectant in cœlo 454. Quod proinde non in terra unquam quærendum *ibid.*

Templum duplex ædificaret Messias 1. Corporis 464. 2. *Ecclesiæ* 466. quod multis gradibus præstaret 467

——— tertium exstruere sub Juliano Imperatore conati fuere Judæi, sed frustraneus fuit conatus, quod ostenditur ex Socrate, 455. Sozomeno 456. Chrysostomo 458. Ammiano Marcellino 560. & Judæis 561

Tempus statutum vocatur tempus Messiæ 533. quod etiam definitum variis modis & vicibus 533

Temporum signa inquirere solebant prisci, & nolunt hodie Judæi in causa Messiæ, & cur? 527. quæ varia statuit Deus 534

Tostati (Alphonsi) Encomium 259

V.

Venire, & *venturus* dicitur Messias, quo sensu 544. 549

Verba Dei ponere in alicujus ore, quid 191. 192

Verba Dei loqui, & non humana, quo sensu 275

Verbo ubi additur *Nomen* facit ad intendendam significationem 318

Vestes Summi Sacerdotis custodiebantur in

in quodam Templi conclavi 483
Via Dei quæ 177. 227
Vir dicitur Meſſias 447
—— qui luctabatur cum Jacobo erat non Angelus creatus, ſed Filius Dei 128-137
—— quo ſenſu Jeſus dicatur 514
Viſio quid 530. Eſt ordinaria & extraordinaria *ibid.* à Propheta diſtinguitur 531. manſit ea inter Judæos, & quouſque 546. tandem abolita 547
Ulyſſes an idem cum Jacobo 77
Vocare ſæpe eſt *agnoſcere*, *prædicare*, *laudare*, 330
Uncti aliquando ſunt lapides in uſum ſacrum 58-60
Vile omnibus præfertur 635

Z.

Zacharie nomen notat *Dei memorem*, & Vate dignum eſt 446
Zebaoth an nomen Dei appellativum, an proprium 509. poteſt referri & ad *exercitus*, & ad *tempora definita* 507-509
—— nomine ut plurimum Deus utitur, juxta Hebræos, ad puniendos malos, & ſervandos bonos 512
Zerubbabel non eſt germen Davidis 334. qui quidem Dux non Rex 335. 336. neque *Magnificus*, neque Sacerdos 409.

FINIS.

NOMINA

Juvenum præſtantiſſimorum, qui has Diſſertationes repetitis ſinguli ſæpe vicibus, publicè defenderunt.

PETR. VERGENST, Lugd. Bat. } JOAN. WILH. LOYAL, Duſſelo-Montanus }	EXERCIT. I.
JAC. PYNE, Lugd. Bat. } CHRISTIAN. STEINBERG, Montanus } THEOD. VANDER VECHT, Lugd. Bat. }	II.
JOSEPH. MILECKI, Polonus	III.
JAC. OOSTERBRUGH, } Alcmaria-Bat. } CORN. STUURMAN, }	IV.
WILH. CREYGHTON, Boruſſus, } GEORG. CHRISTPH. GROHIUS, Neoſtadio-Palatinus } JOAN. HAZEU, Voorhouta-Bat. }	V.
JAC. VAN LOVEN, Amſtelo-Bat.	VI.
FRANCO DE BRUYN, Flor. F. Schelluno-Bat.	VII.
Hæc publicè non ventilata.	VIII.
GER. ÆMYLIUS, Rob. F. Ger. N. Lugduno-Bat.	IX.

CORRIGENDA VITIA TYPOGRAPHICA.

Pag. 10. lin. 2. a fine *nonnulli* l. *nonnulli.*
lin. ult. in cuſtode *Pro* l. *Pre.*
28. lin. 9. 2. l. b.
58. lin. 11. מצב l. מצבה /
96. lin. 8. a fine *Titulo* l. *Tituli*
160. lin. 8. C. Pone c.
237. lin. 4. a fine, poſt Levi, adde *Ben*
306. lin. 13. a fine deleatur alterum *etiam*
414. lin. 4. a fine, loco כ pone parentheſis notam)
324. lin. 5. a fine *ſcripſiſſe* leg. *ſcripſiſſe.*
426. lin. 7. & 8 a fine *quatuor* leg. *quinque.*
460. lin. 4. a fine *diligentiæ tamen ubique diffidens.* Ita exemplaria nonnulla. Alia autem: *diligentiam tamen ubique dividens.* V. notæ Variorum in h. l. in editione Jac. Gronovii.
473. reg. 6. *uti* l. *ubi*
588. reg. 8. VIII. leg. IX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google